PENTATEUCHUS

EX

RECENSIONE

TEXTUS HEBRAEI

ET

VERSIONUM ANTIQUARUM

LATINE VERSUS

NOTISQUE PHILOLOGICIS

ET CRITICIS

ILLUSTRATUS

A

JOANNE AUGUSTO DATHIO

S. THEOL. DOCT. ET PROF. LINGUAE HEBR. ORD.
IN ACAD. LIPSIENSI.



HALAE

SUMTIBUS ORPHANOTROPHEI

MDCCLXXXI.





PRAEFATIO



Quod ante biennium dedi promiſ-
ſum de Pentateucho latine ver-
tendo, id jam exſolvo. Quam
bene hoc labore ſim perfunctus, Lectorum eſt
dijudicare, meum vero, breviter exponere, quo-
modo in eo ſim verſatus. — Idem mihi in

ratione vertendi fuit consilium, quod in prophetarum versione sum secutus. Nimirum ut sensum textus plane redderem, neque singulorum verborum nimis tenax essem, ita tamen, ut dum linguae idiotismos transferre in linguam latinam vitarem, a paraphraseos additionibus me abstinerem. * Atque ab hoc quidem facilius sibi cavere potest interpres, quam ab illo. Etenim quoniam characterem scriptoris simul debet servare, facile fit, ut huic tribuat, quod linguae sit tribuendum, inprimis cum termini utriusque nondum satis certo consti-

* Illius interpretis partes mihi sumsi, quas S. R. *Griesbach* Theologus Jenensis Celeberrimus ei tribuit, qui neque literam textus presse sequatur, neque paraphrastica ratione verba explicet, sed scriptores sacros ex suis quidem moribus, modo non hebraice loquentes inducat. vid. *Repertorium* literaturae biblicae et orientalis P. VI. p. 277. seqq.

conftituti fint et definiti. Atque haud fcio an hæc difficultas major fit in ftilo Hebræorum hiftorico quam dogmatico. Nam in hoc fcriptoris fententia ut plurimum tam clare eft propofita; ut eam a verborum ftructura facile poffis difcernere, et fic quoque judicare, quid ingenio fcriptoris, quid linguæ fit tribuendum. Sed in hiftoria enarranda ftilus fcriptorum hebræorum multo magis redundans eft et verbofius. Quem fi interpres latinus ubique imitari velit, ne is aures latinas nimis offendat et peregrinus videatur. Igitur media quadam via ei incedendum eft, qua antiqua Hebræorum fimplicitas in modo narrandi ita fervatur, ut nec Latinorum hiftoriæ fcribendæ leges prorfus negligantur. Equidem operam dedi, ut hanc viam tenerem. Attamen vereor ne aliis in hanc, aliis in illam partem nonnunquam deflexiffe videar. Perfpicuitatem vero et fidem in vertendo nullibi, uti fpero, defiderabunt. Illius

quidem ſtudioſus fui in omnibus locis, quæ, ſi verborum nimis tenax fuiſſem, ſenſum habuiſſent obſcurum et difficilem. Hanc vero videor mihi præſtitiſſe, dum ſenſum verborum nudum et ſimplicem, ſine additionibus, quas paraphraſis admittit, exhibui. Cujus quoque propterea, ſi eſſet ambiguus aut probatu difficilior, in notis adſperſis rationem reddidi. Igitur de his quoque pauca dicam. — In prioribus Geneſeos capitibus has obſervatiunculas paullo prolixiores eſſe et frequentiores quam in reliquis, Lectores, uti ſpero, veniam mihi dabunt. Non poteram ſilentio præterire hypotheſes varias a Viris doctiſſimis noſtra inprimis ætate ad illorum capitum interpretationem allatas. Quanquam enim mihi id minime ſumo, ut inter diſſentientes arbitrum agam, tamen, quin libere profiterer, quæ ſententia mihi in quæſtione exegetica veriſimilior videatur, hominem, qui nullius in verba jurare conſueverit,

parum

parum decere arbitrabar. In reliquis hanc rationem fecutus fum, ut vel explicarem, quod lectori ex fimplici verborum verfione obfcurum effe poffet; vel in locis difficilioribus aut ambiguis caufas indicarem, cur hunc, quem in verfione pofuiffem fenfum, alii præferendum putarim. Ceterum numerum notarum præter illud confilium ut augerem, confulto me abftinui. Nolui enim commentarium fcribere, fed verfionem, quæ facrarum literarum ftudiofis fenfum librorum facrorum indicaret et occafionem præberet ad ea quæ a viris doctis ad fcripturæ facræ illuftrationem fcripta effent, facilius vel invenienda vel dijudicanda. Propterea quoque laudavi fubinde interpretes eruditos, recentiores inprimis, eorumque libros e quibus didici, ne aliorum inventa mihi tribuere viderer, et rationes expófui nonnunquam, fi ab eis diffentirem, quod tamen non ita fæpe factum eft, quoniam laudare lubentius quam reprehendere foleo.

leo. — *Notas criticas*, in quibus de diſſenſione antiquarum verſionum a lectione recepta dixi, ſi illarum lectiones huic præferendæ mihi videbantur, in hoc quidem volumine ipſi verſioni ſubjeci, non, quod in prophetarum volumine factum eſt, in uno faſciculo collectas in fine exhibui, quoniam non nimis multæ ſunt, neque lectionem verſionis copia ſua interrumpunt, aut retardant. — Si vitam Deus et valetudinem concesserit, excipiet hoc volumen *Liber Pſalmorum*, ut voluntati eorum ſatisfaciam, qui hanc librorum ſacrorum partem prius quam libros hiſtoricos ex verſione mea legere præoptarunt. Ego quidem vehementer gaudebo, ſi hicce labor meus ſacrarum literarum ſtudioſis profuerit ad libros Moſaicos recte intelligendos et explicandos. Scripſi in Acad. Lipſ. menſ. Sept. A. R. S. MDCCLXXXI.

GENESIS



GENESIS a)

CAPUT

a) Quaestio de fontibus Archaeologiae Mosaicae, sive, unde Moses hauserit rerum ante eum gestarum historiam? nostris temporibus decisa videtur, postquam Theologi et Philologi eruditissimi satis probarunt, Mosen composuisse Archaeologiam suam ex monumentis antiquis majorum suorum. *Vitringa*, quod ego quidem sciam, primus (nam timidiuscule hoc fecit) paullo prolixius et allatis rationibus hanc sententiam proposuit et defendit in Obss. S. Lib. I. Cap. III. p. 29 seqq. Post eum vero complures alii. Integrum super hoc argumento librum scripsit *Astrucius*, nomine tamen suo suppresso, cui titulum fecit: *Conjectures sur les memoires originaux, dont il paroit, que Moise s' est servi pour composer le livre de la Genese. Bruxelles* 1753. *Io. Clericus* in Dissert. III *de scriptore Pentateuchi, Mose*, ejus Commentariis praemissa. *Jo. Jac. Schultens* diss. qua disquiritur, unde Moses res in libro Geneseos descriptas didicerit, quae inserta est *Oelrichs* Belgii literati opusculis Tom. I. p. 245. Bremae 1774. S. R. *Jerusalem* in epistolis super libris Mosaicis p. 80 seqq.

A S. R.

S. R. *Dœderlein* in Institutione Theologi Christiani p. 113. seqq. Neque etiam est, quod quis defendat ineptam Judæorum sententiam, qui Mosen singula Geneseos verba dictante Spiritu sancto excepisse existimant; aut vereatur, ne quid sacræ historiæ auctoritati divinæ decedat, si Mosen usum esse antiquissimis majorum suorum monumentis historicis asseramus. Etenim, ut de utroque pauca modo dicam, quis libros Regum, Chronicorum, ex commentariis majoribus et prolixioribus compositos esse neget, cum eorum auctores ad illos subinde lectores remittant? neque tamen hoc horum librorum auctoritati canonicæ adversatur. Lucas item ipse fatetur, se evangelium suum ex aliorum traditionibus concinnasse, et quis unquam ejus fidem suspectam fecit, aut hoc scriptore divino indignum judicavit? Quidni igitur idem statuatur de Archæologia Mosaica salva ejus fide et auctoritate divina? Verum etiam ex singulis hujus historiæ partibus facile intelligitur, Mosen usum esse commentariis aut monumentis antiquis in familiis majorum suorum servatis, quæ in ordinem digessit, mutatis hinc inde et additis quæ ei necessaria videbantur. Arguunt hoc frequentes illæ inscriptiones, quas præposuit initio novi cujusque fragmenti quod in manibus habuit, et præcedenti, quanquam eandem rem sed paullo plenius enarravit, attexuit. Genealogias porro patriarcharum cum accurata annorum enarratione, quibus singuli vixerint, gentium antiquissimarum origines, et alia minutiora, quæ in familiis Abrahami, Isaaci et Jacobi evenerant, quis sibi persuadeat hæc omnia dictante Spiritu S. Mosen literis consignasse? Qua peculiari inspiratione præterea opus non erat, cum maxime probabile sit, pios Israelitarum majores rerum antiquissimarum memoriam conservasse

CAPUT I

Mundi origines. b)

1. Prin-

vasse suisque tradidisse posteris. Artem enim scribendi Mosis aetate longe priorem esse, neque Israelitis incognitam, argumentis defenditur non contemnendis, de quibus vero hoc loco plura dicere non attinet. Caeterum subtiliter magis, quam utiliter, *Astrucius* libro supra citato investigavit per integrum Geneseos librum singula loca, in quibus singula fragmenta, quae Moses contexuit, incipiant et desinant. Cujus quidem rei in prioribus undecim capitibus indicia sunt non obscura, sed inde a capite duodecimo, ubi Abrahami historia incipit, non nisi ex levi conjectura horum fragmentorum discrimen adstruitur; qua cognitione etiam tuto carere possumus, cum nemo dubitet Mosen schedas, quas in manibus habuit, hac, non alia ratione digessisse. Nec tamen sine ratione *Astrucius* existimat, initium quoque Exodi Mosen scripsisse ex schedula in familia sua servata, in qua cum de initio crudelitatis Pharaonis in Israelitas, tum de Mosis nativitate et prima educatione expositum esset usque ad Caput II, 11, in quo jam ipse Moses inciperet suam rerum a se gestarum historiam enarrare.

b) Ex tot Theologorum et Philosophorum hypothesibus ad hujus capitis interpretationem allatis, mihi quidem haec eligenda videbatur, quae tum verbis textus hebraei aptissima esset, tum observationibus virorum doctissimorum de interiori terrae nostrae structura non adversaretur. Atque talis, ex meo quidem judicio, est ea, quam S. R. *Rosenmüller* proposuit in libello, cui titulum fecit: *Antiquissima telluris histo-*

ria a Moſe Cap. I. deſcripta. Ulmæ 1776. Cui jungi velim ea, quæ S. R. *Dœderlein* ſuper eadem quæſtione docte admodum et ſubtiliter, uti ſolet, diſſeruit, in *Inſtitutt. Theol. Chriſt.* p. 402 ſeqq. Summa hypotheſeos eſt haec: 1) Monumentum illud antiquiſſimum, quod Moſes hiſtoriæ ſuæ præpoſuit, *hiſtorice* eſt explicandum. Omnes allegoriæ, picturæ hieroglyphicæ et ſubtiles geogoniæ in ejus interpretatione alienæ ſunt. Nulla ne remotiſſima quidem indicia oſtendi poſſunt ſenſus allegorici, aut, quod verba minime rara, ſed ſæpiſſime obvia, aliter ſint accipienda, ac ex uſu loquendi in aliis locis haud dubie ſunt vertenda. 2) Sed ſcriptum eſt hoc monumentum ſtilo infantiæ generis humani accommodato, dictionibus nimirum anthropopathicis et opticis pleno. Eſt enim ſine dubio antiquiſſimum, compoſitum fortaſſe ex ipſius Adami narratione, cui Deus veras mundi origines revelarit neceſſe eſt, quas homo ſola ratione duce nunquam inveſtigaſſet. Primi vero homines ſingulari Dei cura educati et multarum rerum uſu adhuc expertes, quomodo aliter de Deo loqui potuerunt, quam homo de homine, et res aliter æſtimare, ac eis in ſenſus incurrebant? 3) Non deſcribitur prima telluris noſtræ productio, ſed altera, ſive ejus reſtauratio. Quod partim per obſervationes phyſicorum recentiorum probabile fit, qui in interioribus terræ partibus multa veſtigia deprehendunt vetuſtioris et diuturnioris cujusdam inundationis, quam Noachicæ, cui inſignes illæ mutationes, quas terra noſtra ſubiit, olim multis, ſed parum accurate tribuebantur; partim ex verbis ipſius textus, argumento, uti arbitror, non contemnendo. Etenim תֹהוּ וָבֹהוּ de Chao ſ. mole rudi et indigeſta nunquam dicitur, ex qua Deus ab initio ex traditione gentilium

lium totum hoc univerſum creaſſe fingitur. Sed loca Jeſ. 34, 11. Jer. 4, 23. Pſ. 107, 40 plane evincunt illa verba dici tantum de locis vaſtatis, deſtructis, incultis. Atque talis erat terra noſtra aquis obiecta, cum Jova eam ex abyſſo emergere juberet. — Neque hæc antiqua telluris noſtræ facies ſcriptoribus ſacris ignota fuiſſe videtur. Davides quidem Pſ. 104, 6 ſeqq. ita loquitur de hujus terræ creatione, ut Deum ventis uſum fuiſſe dicat, ad aquas, quibus ſumma montium cacumina tecta erant, diſſipandas; et Petrus in epiſtola ſua poſteriori Cap. 3, 5 dicit *οὐρανοὶ ἔκπαλαι καὶ γῆν aqua* periiſſe, quibus opponuntur *οἱ νῦν οὐρανοὶ καὶ γῆ* igni deſtinata. Ex oppoſitione igitur prior deſtructio non poteſt ea eſſe, quæ Noachi temporibus facta eſt, de qua Cap. 2, 5. ſed diverſo longe contextu dixerat. Tandem 4) ſeſe hæc hypotheſis valde commendat a facilitate ſua, quas difficultates in illis Coſmogoniis ſubtiliter excogitatis obvias, (ex quibus unam illam de prima luce, quali? cum ſol nondum extitit, nominare lubet) minime coacte removet. Ipſam ſingulorum verborum interpretationem verſioni ſubjiciemus, ubi commodius legitur. Alia vero complura lectu digna ex ipſo S. R. *Roſenmulleri* libello facile parabili petantur. Non adverſari videntur huic hypotheſi, quæ S. R. *Doederlein* l. l. p. 402 ex oratione quadam *Linnæi* attulit: non eſſe primam telluris formam e noſtris temporibus noſtroque conſpectu æſtimandam, ſed a tenuibus initiis terram firmam nova identidem incrementa cepiſſe, contractis littoribus et oceano deminuto. Dummodo ſub verbis תהו ובהו non intelligatur Chaos illud gentilium, in quo tanquam in ovo omnes hujus mundi particulæ concluſæ fuiſſent, et quo, neſcio quo caſu, rupto, totum hoc univerſum

 motu

1. Principio creavit Deus cœlum et terram. *c*)
2. Posthæc *d*) vero terra facta erat vasta et deser-

motu quodam interno extitisset. Ex significatione verborum תהו ובהו Moses dicit terram nostram fuisse vastatam et destructam, ex voluntate vero Dei eam ex aqua, sub qua demersa fuisset, iterum emersisse, et quoad solem, lunam et reliqua astra cœlestia eandem relationem accepisse, quam etiamnum habet. Cæterum de ejus amplitudine nihil dicit. Igitur ego quoque nihil neque affirmare neque negare audeo, annon postea aliæ quædam partes accesserint, aut aliæ rursus interierint, aut aliæ insignes subierint mutationes etc. de quibus omnibus ex mea sententia salva historia mosaica potest disputari.

c) *Principio*, h. e. cum tempus esse inciperet, quod factum est tum cum Deus totum hoc universum crearet. Cœlum h. l. dicitur in oppositione ad terram, ideoque omnia corpora cœlestia notat: Ingens quidem spatium et longe maxima corpora, si cum nostro terrarum orbe comparantur. Sed quod Moses tantum de creatione terræ dicere volebat, cœli tantum mentionem fecit, quoad illud ad nostram terram suam relationem habet.

d) Vau ante הארץ non potest verti per *et*, nam refertur ad v. 1, ubi narratum fuit, terram æque ac cœlum a Deo esse creatam. Jam pergit v. 2. de terra, eam, incertum quo tempore, insignem subiisse mutationem. Igitur Vau per *postea* est explicandum, uti sæpe, e. c. Num. 5, 23. Devt. [illegible], 19.

deſerta *e*) et aquarum profundis tenebris offuſa; tum ventus a Deo immiſſus *f*) movebat has aquas.
3. Et juſſit Deus ut lux oriretur: *g*) Orta igitur lux eſt.

e) De propria ſignificatione verborum תהו ובהו confer dicta in nota *b*). Antiquorum interpretum explicationes omitto, a Geneſeos Commentatoribus abunde allatas et dijudicatas.

f) רוח אלהים nolim h. l. per *vim divinam* explicare, uti S. R. *Dœderlein* l. l. p. 330. placuit. Quamquam enim verba hebræa admitterent hanc explicationem, tamen h. l. eorum propria ſignificatio videtur præferenda, quoniam *lucis ortæ* in ſequenti verſu rationem reddunt. Vento enim a Deo aquis, quibus terra obtecta erat, immiſſo, orta eſt huic iterum lux ſc. a ſole. — Verbi רחף bis tantum præter h. l. obvii Devt. 32, 11. et Jer. 23, 9. primaria ſignificatio videtur eſſe *movere*, *agitare*. In hunc ſenſum etiam antiquiores interpretes explicarunt. Onkelos: מנשבא *ſufflabat*, ſic quoque paraphraſis Samaritana. Verſio Arabica in plurali habet: *venti Dei ſpirabant ſuper aqua*. Syrus idem vocabulum retinuit. Cui explicationi convenit Pſalmus 104, in cujus verſu ſeptimo Deus dicitur ventis uſus eſſe in terræ creatione.

g) hebr. *dixit Deus, fiat lux, et facta eſt lux.* Ἀνθρωποπαθῶς de Deo dictum, uti in ſequentibus complura alia. Admiſſa hypotheſi, ex qua hoc caput explicamus, omnes diſparent difficultates de ratione hujus lucis, quod ſol cum luna et ſtellis quarto demum die creatus dicatur. Non opus eſt ut lux aut ignis peculiaris cujusdam naturæ fingatur. Nimi-

est. 4. Quae cum divino consilio conveniens esset, h)
ei ut et tenebris Deus certos terminos fixit. 5. Nimirum destinavit i) lucem diei, tenebras vero nocti.
Ita ex vespere et mane extitit dies primus. k)
6. Tum

rum sol et omnia astra cœlestia utique adfuerunt secundum v. 1, non demum quarto die creata. Igitur lux illa, quæ ex voluntate divina orbi terrarum affulgere debebat, nulla alia est, quam *lux solis*, quæ terræ affulgere incipiebat, cum aquæ illæ, quibus terra esset immersa, per ventum illum essent dissipatæ, ita ut splendor solis ad terram penetrare posset, quæ sic ex aquis quasi emergere incipiebat.

h) hebr. *et vidit Deus lucem esse bonam.* Est iterum locutio anthropopathica, quæ in sequentibus septies repetitur. Sumta est ab homine opus feliciter peractum examinante et probante, quæ tamen non sine ratione aut consilio de Deo adhibetur. Sistit enim hæc phrasis Deum ut creatorem bonum et sapientem, qui omnia, quæ produxerit, perquam bona fecerit, ideoque mala quæ sunt in hoc mundo, aut imperfecta, non posse esse ab illo Deo. —

i) קָרָא sequente לְ est *designare*, *assignare*. Sic quoque v. 8. et 9. dicitur. Cohæret hæc propositio cum antecedenti: Deus luci et tenebris certos terminos posuit, atque lucem diei, tenebras nocti destinavit.

k) Dissentiunt interpretes, utrum dies naturales viginti quatuor horarum sint intelligendi, an tempus longius. Equidem non video, cur a propria verborum significatione discedamus. Dierum et noctium vicissitudo efficitur motu telluris

6. Tum jussit Deus ut existeret spatium expansum *l*) inter aquas, quod aquam ab aqua separaret. 7. Paravit igitur Deus illud spatium sic, ut alia aqua esset sub eo, alia juxta illud. Quod cum factum esset, 8. Deus hoc spatium cœlo assignavit: *m*) Ita ex vespere

luris circa axem suam: quæ jam locum habebat, cum impedimenta, aqua nempe, qua circumfusa erat, essent remota. Qui obiiciunt, opus tertii diei nimis magnum esse, quam ut intra quatuor et viginti horas potuisset absolvi, præsupponunt, Deum, postquam Chaos illud creasset, non amplius omnipotentia sua egisse, sed naturam effecisse omnia per vires a Deo collatas. Sed uti Chaos illud philosophorum jam repudiavimus, ita omnis narrandi modus mihi videtur innuere, Deum in rerum omnium procreatione et constitutione non tam viribus naturæ, quam potius omnipotentiæ suæ egisse; his vero unum diem, et si Deo visum fuerit, brevius adhuc tempus suffecisse, ne illi quidem, contra quos disputamus, negant.

l) רָקִיעַ a רקע *extendit*, *diduxit*, vers. 8. vocatur *cœlum*, nempe aërium s. æthereum, quo mediante duplicis generis aquæ separarentur. *Nubes* enim, quibus terra adhuc tecta erat, ascenderunt; quas aquam vocari neminem offendat, cum revera aër aqua sit, modo longe tenuior, quam aqua proprie sic dicta.

m) Deest ad opus hujus diei formula approbationis, quam οἱ ό habent: *καὶ εἶδεν ὁ Θεὸς ὅτι καλόν.* Quæ lectio magnam accipit

ſpere et mane extitit dies ſecundus. — 9. Porro juſſit Deus, ut aqua quæ ſub cœlo eſſet, in unum locum conflueret, ut ſiccum appareret. *n*) Quod cum factum eſſet, 10. ſiccum terræ deſtinavit, aquarum vero confluxum mari. Atque hæc quoque voluntati divinæ reſponderunt. 11. Tum juſſit Deus, ut terra gramen pareret, herbas ſemine inſtructas, nec non arbores frugiferas varii generis, quæ omnes in terra ſemen ſuum emitterent. Quod ita etiam factum eſt. 12. Edidit enim terra gramen et herbam varii generis ſingula ſemine inſtructa, arbores frugiferas, quarum quæque in ſuo genere ſemen ſecum habebant. Hæc quoque Deo probabantur. 13. Tum ex veſpere et mane extitit dies tertius. — 14. Tum juſſit Deus, ut lumina illa in cœlo diem a nocte diſcerne-

cipit probabilitatem, quod in ſequentis diei opere hæc formula bis occurrit et prima pars ſequentis pericopæ videri poſſet ad hunc diem transferenda, quod in ea opus ſecundum verſ. 8. incœpium, perfectum et abſolutum narratur. Similitudo clauſularum facile occaſionem dare potuit huic tranſpoſitioni. Neque tamen ex teſtimonio unius verſionis græcæ audeo aliquid definire, cum reliquæ verſiones omnes et Codd. in lectione recepta conſentiant.

n) Quanquam primo et ſecundo die aqua non parum imminuta eſſet, tamen terra nondum ita erat exſiccata, ut edendis herbis et arboribus apta eſſet: hoc igitur factum eſt die tertio, cum quo cf. plenior narratio Cap. 2, 5. 6.

cernerent, *o*) ut menses, dies et annos signarent: *p*)
15. ut tanquam lumina in illo cœli expanso lucem
suam in terram emitterent. Quod ita etiam factum est.
16. Deus igitur constituit *q*) duo luminaria magna,
alterum quidem ad diem regundum, alterum paullo
minus

o) Non demum quarto die sol, luna et reliqua astra creata sunt, quod ex nostra interpretatione secundum v. 1. jam dudum factum erat. Sed verba intelligenda sunt de constituto et determinato solis et lunæ usu, quem terræ præstare debebant. Sic quoque in aliis locis היה cum ל constructum notat *determinationem* rei ad certos usus. e. c. Num. 10, 31. Zach. 8, 14. Cæterum *optice* dici astra illa esse in cœlo illo æthereo, ut in sequentibus plura, facile intelligitur.

p) אותות nonnulli interpretes distinguunt a sequenti מועד, vt illa sint signa tempestatis, quæ observant nautæ et agricolæ; prognostica pluviæ, serenitatis, ventorum. Sed malim explicare per Hendiadys: *inserviant anni tempestatibus*, sive etiam *mensibus*. quorum determinatio lunæ tribuitur Ps. 104; 19.

q) Cum v. 14. et 15. Moses in genere dixisset, ex astris quædam ex voluntate Dei terræ usibus inservire debere, jam pergit in specie recensere ea lumina cœlestia, quæ maximam terræ utilitatem præstant; ubi iterum phrases opticæ observandæ sunt. Luna enim non habet propriam lucem, et stellæ lunam magnitudine longe superant. — עשה et in sequenti versu נתן non de *creatione* sunt accipienda, sed utrumque h. l. uti sæpe, est *constituere*, *perficere*.

minus ad noctem moderandam, nec non stellas:
17. Voluitque, ut ea ex cœlo terram collustrarent:
18. ut diem et noctem gubernarent, utque inter lucem et tenebras discrimen facerent. Hæc quoque voluntati divinæ responderunt.
19. Et sic vespere cum mane commutato dies quartus est peractus. —
20. Porro jussit Deus ut aqua ederet animalia viva natatilia et aves, quæ sub terra in aëre volarent.
21. Tum creavit Deus immania cete et omnis generis animalia viva, quæ in aqua natant, et volucrum varia genera; quæ omnia, uti Deus voluit, valde bona erant.
22. His Deus largitus est vim prolificam, ut aquam fœtu suo replerent, et ut volucres in terra multiplicarentur.
23. Quo facto ex vespere et mane extitit dies quintus. —
24. Tum porro jussit Deus, ut terra ederet varia animalium genera, cum majorum tum minorum, tum et ferarum. Quod ita etiam factum est.
25. Igitur creata sunt a Deo omnis generis animalia, quæ in terra vivunt, cum majora tum minora; atque hæc quoque Deo probabantur.
26. Tandem etiam hominem Deus decrevit creare, r) qui per similitudinem, quam cum eo habe-

r) Phrasis *faciamus hominem* a multis interpretibus ad pluralitatem personarum in Deo probandam adhibetur. ~~Sed perperam.~~ Est anthrop. locutio, qua indicatur *dignitas hominis*

haberet, ejus imaginem adumbraret: qui dominaretur piscibus, avibus, pecudibus, et omnino toti terræ, et quæ in ea vivunt. 27. Igitur creavit Deus hominem ad imaginem suam; marem et fœminam Deus ad imaginem suam creavit. 28. Atque eis his verbis bene precatus est: Fœtificate, multiplicamini, replete terram, eamque vobis vindicate; estote domini piscium, avium, omniumque quæ in terra vivunt, animalium. 29. Porro Deus eis dixit: En concedo vobis omnes, quæ e terræ solo procreantur, herbas frugiferas, nec non omnes arborum fructus semine præditarum, quibus omnibus in cibum utamini. *s*) 30. Similiter animalia omnia, aves et quæcunque

nis a Deo creandi, quem dominum rerum omnium facere volebat. Cap. 2, 18. in singulari dicitur: *faciam ei auxilium.* Sic enim solent homines in rebus gravioribus gerendis et constituendis agere. cf. *Zachariæ* in Theol. bibl. P. II. p. 52.

s) His verbis herbæ tantum et terræ fructus homini in alimentum a Deo conceduntur, omissa animalium carne. Hinc viri quidam docti collegerunt κρεοφαγίαν ante diluvium interdictam fuisse hominibus. Non quod in se crudelis sit, aut naturæ humanæ adversetur, sed quod necesse fuerit animalia multiplicari, antequam eis vesci homines inciperent, cum a Deo non nisi paria creata esse probabile sit. Quæ sententia, cui equidem nolim contradicere, tamen tantum ad commorationem in paradiso restringenda videtur. Nam statim

cunque in terra vivunt, pascantur viridi omnis generis herba. Quo facto, 31. Deus consideravit omnia quæ fecerat, et erant valde bona. Tunc ex permutatione vesperæ cum tempore matutino exstitit dies sextus.

CAPUT II

Diei septimi feriæ. Alia descriptio terræ et creationis hominum ex alio fragmento. a)

1. Sic cœlum, terra et astra perfecta sunt. 2. Cumque septimo die *b*) Deus opus suum absolvisset, eo die feriatus est ab opere, quod fecerat. 3. Atque hunc septimum diem Deus faustum et sacrum esse voluit, *c*) quod in eo feriatus esset ab opere, quod creando

statim post lapsum clara indicia habemus animalium mactatorum in sacrificiis Abeli, atque Cap. 7. animalia pura et impura nominantur.

a) Male capita hoc loco sunt divisa. Tres versus priores ad primum caput sunt referendi.

b) Pro הַשְּׁבִיעִי Cod. Sam. *οἱ ό* et Syrus legunt הַשִּׁשִּׁי *die sexto absolvit. Hubigantio* quidem hæc lectio præferenda videtur. Sed quoniam recepta lectio commodam admittit explicationem, nolui eam deserere, quanquam nec illa omni caret probabilitate.

c) hebr. *benedixit Deus diei septimo.* Phrasis *benedicere diei* recte explicatur ex opposita *maledicere diei*, quæ significat diem

diem *exsecrabilem*, *infaustum* habere. Sic Jerem. 20, 14. *maledictus sit dies quo natus sum;* h. e. *infaustus sit ille.* Similia habet Jobus Cap. III, 1. seqq. Ejusmodi dies tristis debebat peragi sine ullo lætitiæ signo. Igitur *benedicere diei* est velle, ut dies faustus sit et læte peragatur. — Non possum hoc loco silentio præterire quæstionem inter viros doctissimos antiquioribus et recentioribus temporibus agitatam, utrum Moses hæc verba addat ad rationem legis Israelitis latæ de sabbato celebrando explicandam, an sint ipsius monimenti historici verba, quibus narretur, Deum statim in principio rerum humanarum legem de sabbato sanxisse? Equidem non dubito assentiri eis, qui posteriorem sententiam defendant. Nam si prior locum haberet, si Moses legem suam commendare Israelitis voluisset, profecto sua verba non conjunxisset per copulam Vau, ut reliqua totius narrationis connectuntur; sed distinxisset ea per particulam עַל כֵּן *propterea*, uti Cap. 2, 24. atque Exod. 20, 11. hac ipsa de re agens. Non minus grave mihi quidem videtur argumentum, quod *Ikenius* inprimis urget in Dissert. 1. *de institutis et cerimoniis legis Mosaicæ ante Mosen*, Vol. II. Dissertatt. philol. theol. p. 27. Breviorem nempe illam periodum septem dierum, quæ hebdomadis aut septimanæ nomine usurpatur, jam antiquissimis temporibus obtinuisse, cujus non solum inter alias gentes, sed etiam in historia S. luculenta vestigia deprehendantur. Genes. 29, 27. 28. 7, 4. 10. 8, 10. 12. Jam vero intelligi non posse, quomodo hic cyclus observari potuerit, nisi peculiari quadam ratione dies septimus a sequenti primo distingueretur. Non posse dici, dies successive tantum numeratos esse, et septimo numerum esse finitum. Nam præterquam quod nulla ratio commoda

ostendi

ostendi queat, cur primi homines id fecissent, aut quando et qua occasione id primum cœperit: vix concipi posse, quo pacto, præcipue rudiori illo mundi ævo, tam exacte per nudam dierum numerationem septimanæ successive et quidem ab omnibus supputatæ fuissent, ut nunquam confusio orietur. Contra si admittatur, septimum diem aliqua ratione præ aliis sacrum fuisse, certisque religionis exercitiis transactum, errorem facile caveri potuisse. Hæc fere *Ikenius* l. c. Tandem locus Exodi 16, 23. non sine vi ad primam sabbati Mosaici institutionem, uti mihi quidem videtur, trahi potest. Nihil enim in eo præcipitur, quod ad sabbati celebrationem pertinet, sed monetur tantum, eo die, ut jam noto, Mannam non esse colligendam. — At enim vero hæc sententia non est ita intelligenda, quasi sabbatum, quod primi homines aut sic dicti patriarchæ et eorum posteri celebrarunt, idem prorsus fuerit cum sabbato Mosaico. Ritus, quos Moses eo die observandos Israelitis præscribit, plane docent hunc diem olim ab iis non ita esse peractum. Sed non probant id, quod aliter sentientes volunt, hunc diem prorsus non distinctum fuisse a reliquis. Quod esse potuit exercitiis quibusdam religionis aut cultus sacri habitis, si vel otium illud aut abstinentia a labore, quæ sabbati Mosaici primaria lex fuit, in solennitate illa antiqua diei septimi non obtinuerit. Qua limitatione admissa concedi possunt *Spencero* omnia, quæ prolixe probavit (Lib. I. Cap. V. Sect. VII. seqq.) sabbatum a Deo Israelitis præscriptum fuisse, ut ejus celebratione ab aliis gentibus secernerentur; atque tamen locum habere potuit inter eos consecratio quædam diei septimi a majoribus eis tradita, quæcunque illa fuerit.

do perfecerat — *d)* 4. Hæ ſunt origines *e)* cœli et terræ I

d) בְּרָא לַעֲשׂוֹת Hæret in lectione Illuſtris *Michaelis*, quæ ei tavtologica videtur, et quia *οἱ ὁ* vertunt *ὧν ἤρξατο ποιῆσαι*, putat legendum eſſe בָּרָא ab Arab *incipere*, *invenire*, hinc vertit: die er zu machen erfunden hatte. Senſu, uti mihi videtur, non minus frigido. cf. Ejus Biblioth Orient. P. IX. p. 172. Sed lectio ſana eſt. Eſt hebraiſmus, quo infinitivus verbi ſimilem actionem indicantis verbo finito jungitur. Simillimus locus eſt Eccleſ. 2, 11. עָמַלְתִּי לַעֲשׂוֹת *operatus ſum faciendo.* Sic et in aliis verbis Jud. 13, 19. 2 Reg. 21, 6. Pſ. 126, 2. In hac conſtructione verbum finitum ſæpe adverbialiter verti poteſt et infinitivus per tempus antecedentis verbi explicari. Sic *Lud. de Dieu* in Crit. S. ad h. l. qui tamen recte quoque obſervat, infinitivum ſæpe redundare. Quoniam vero עָשָׂה generalius verbum eſt quam בָּרָא, nam non omnis rei perfectio eſt creatio, verti poteſt: *creando perfecit.* cf. de hoc hebraiſmo *Glaſſius* in Philol. S. p. 273. edit. novæ.

e) תּוֹלְדוֹת modo origines ejus rei, de qua ſermo eſt, modo poſteros eorum, de quibus agitur, ſignificat. Priori ſenſu hoc loco ſumitur, poſteriori Cap. 5, 1. — Cæterum ex hac inſcriptione apparet, novum h. l. incipere fragmentum hiſtoricum a Moſe inſertum, quod in Capite III definit atque primo brevem terræ a Deo creatæ deſcriptionem continet, deinde plenius de homine, domicilio ei a Deo tradito, paradiſo, interdicto arboris cujuſdam uſu, muliere creata et lapſu primorum hominum exponit. Quam peri-

copam difficillimam esse, fassi sunt omnes omnium temporum interpretes, atque diversæ hypotheses ad eam explicandam allatæ testantur. Equidem pro brevitate, cui in his notulis studendum est, lubenter abstineo ab earum recensione. Potiores ex antiquioribus qui nosse velit, evolvat *Clericum* in Commentario. Ne recentiorum quidem hypotheses h. l. commemorare libet, præter eam quæ P. IV. *Repertorii literaturæ orientalis* p. 172 seqq. sub titulo: Versuch über die Urgeschichte, inserta est. Cujus auctor anonymus non minori ingenii acumine quam linguarum peritia eam hujus pericopæ interpretandæ viam ingressus est, qua plerasque difficultates removit, atque narratam historiam ita explicavit, ut neque fides historica tolleretur, neque ratio humana offenderet in modo quo res gestæ dicerentur. Hypothesis quidem, ex qua hanc pericopam interpretatur, nova non est, sed a bonis interpretibus dudum admissa et probata, ita ut fere non amplius in hypothesibus, sed in legitimæ interpretationis regulis sit habenda. Sed nemo eam ad *integram hanc pericopam* transtulit. Quod cum videret Auctor ingeniosissimus fieri posse atque adeo debere, factum est, ut, quod tentaret, multis qui præconceptis non essent opinionibus impediti, aut antiquarum explicationum non nimis tenaces, assecutus videretur. — Est vero hypothesis, sive potius regula, ex qua hæc pericopa interpretanda est, hæc: Cum hoc fragmentum historicum sine dubio sit ex antiquissimis temporibus, modus narrandi etiam remotissimæ antiquitati convenit. Qui nimirum perquam imperfectus est, prodit linguæ insignem paupertatem, quæ nondum culta erat, carebatque verbis et phrasibus, quæ res universas indicant, quorum loco igitur singulares

solet

terræ, cum creata essent. Eo tempore, quo Deus *f)* cœlum

ſolet adhibere; ordinem, quo quæque facta ſunt, non accurate ſervat. Relinquit igitur lectoribus nonnunquam nonnulla ſupplenda. De Deo ſemper humano more loquitur. Ubique eum immediate loquentem et agentem inducit, ubi homines agere ſolent. Quæ pluribus exponit Auctor l. l. p. 177 ſqq. Ex his igitur tenuibus antiquiſſimæ linguæ initiis et cum illis conjuncta primorum hominum de rebus eis obviis ſentiendi et loquendi ſimplicitate *tota* hæc pericopa dijudicanda eſt, et quæ illi ſuo more ſimplici dixerunt et narrarunt, noſtris temporibus accommodate ſunt explicanda. Viderunt hoc in nonnullis, quod antea jam obſervavi, interpretes, v. c. in iis quæ de Deo *ἀνθρωποπαθῶς* dicuntur. Sed cum in aliis indagatio horum defectuum antiquæ linguæ difficilior nonnunquam ſit, factum eſt, ut verba et modum narrandi ex noſtris temporibus æſtimarent, et propterea ſeſe in difficultates inextricabiles immitterent. Verum Auctor anonymus laudatæ diſſertationis pro ingenii ſui facilitate acute vidit, quæ ex linguæ antiquiſſimæ ſimplicitate, prouti in ſenſus cadebant, narrata eſſent, atque ex vero eventu ea explicavit. In nonnullis quidem non poſſum ei aſſentiri. Sed in ſumma rei lucem mihi ab eo eſſe accenſam gratus profiteor.

f) In hoc ſecundo Archæologiæ Moſaicæ monimento Deus non uti in primo אלהים ſed יהוה אלהים vocatur. Deinde in Capp. IV. VI, 1 — 8. uno nomine יהוה venit, et ſic variant etiam ſequentes pericopæ in deſignando nomine divino. Fortuitam hanc eſſe variationem, parum probabile

cœlum et terram fecerat, 5. nulli adhuc in agris frutices exiſtebant, nec gramina in campis ſuccreverant, ſiquidem Jova Deus nondum pluviam in terram demiſerat, g) nec homines erant, qui terram colerent.

bile eſt, ſed non minus difficile veram ejus rationem indicare. Miſſis aliis conjecturis, placet ea quæ hanc variationem ex diſcrimine iſtorum monimentorum derivat, ex quibus librum Geneſeos a Moſe compoſitum eſſe diximus. cf. not. a) Cap. I. Dubium quod contra hanc hypotheſin moveri poteſt, Deum nomen יהוה ſibi longe poſt, cum populum ex Aegypto vellet educere, impoſuiſſe, ſolvemus infra ad Exod. VI, 3. qui proprius eſt hujus quæſtionis locus.

g) Plerique interpretes exiſtimant ſuppleri in hoc et ſequenti verſu nonnulla, quæ ad opus tertii diei pertineant. Sed ut taceam, non poſſe hæc commode cum v. 11. Capitis primi conciliari, contrarium etiam apparet ex eo, quod hæc pericopa ſeparatum ſit a primo capite fragmentum, in quo igitur auctor, diverſus ſine dubio a priori, nihil neque potuit neque voluit ſupplere. — Equidem in ſenſu verborum non magnopere laboro. Dicit auctor fragmenti, terram ab initio omnem fertilitatem ſuam ab immediata Dei potentia, non ab hominis ſtudio et labore accepiſſe. v. 5. Itaque repetit, cum v. 7. hominem a Deo creatum dixiſſet, v. 8. de paradiſo in Edene plantato. — Venit tamen in mentem, annon de ea tantum regione ſermo ſit, quam Deus primæ hominum commorationi deſtinaverat, de Edene, quam fortaſſe eo ipſo die, quo hominem creavit, ad hunc uſum

rent. 6. Tum igitur nubes e terra aſcenderunt, quæ eam irrigabant. 7. Hominem vero finxit Jova Deus e terræ pulvere et ſpiritu vitali animavit. Sic homo factus eſt creatura vivens. 8. Plantaverat vero Jova Deus hortum in *regione* Edenis *h*) orientali, quem homini modo creato aſſignavit. 9. In hoc horto Jova Deus e terra procreaverat omnis generis arbores tum ad aſpectum pulcras, tum ad victum ſuaves; in his quoque arborem vitæ et arborem diſcriminis boni a malo *i*). 10. Fluvius vero promanabat ex Ede- [illegible] ne, [illegible]

uſum adaptavit. In qua deinde præterea plantavit paradiſum, ſecundum v. 8. Nimis quæſita mihi videtur explicatio ab auctore der Urgeſchichte allata p. 178.

h) עֵדֶן non eſt nomen appellativum, ſed proprium, coll. v. 10, et 4, 16. quod etiam legitur 2 Reg. 19, 12. Jeſ. 37, 12.

i) *Arbor vitæ* prædita erat ſine dubio vi conſervandæ vitæ humanæ, coll. 3, 22. *Arborem diſcriminis boni a malo* multi putant arborem fuiſſe natura ſua noxiam, cujus fructus eſſent venenati et vitæ hominis pernicioſi. Sed negat hoc S. R. *Erneſti* in Opuſc. Theol. p. 230. primo, quod hoc contrarium ſit verbis hujus ipſius verſus, in quibus dicatur, Deum non niſi bonas arbores in hoc horto plantaſſe, quod de hac arbore æque ac de arbore vitæ et reliquis hujus pomarii arboribus eſt accipiendum, et propterea Vau ante עֵץ recte, uti videtur, explicatur per *in his*, uti et in aliis locis, v. c. verſ. 19. Deinde quod hæc hypotheſis tollat *arbitrium*

 legit

ae, k) qui hortum illum irrigabat, ex quo deinde in quatuor

legis divinae in hoc praecepto. Neque video quae sit hujus opinionis necessitas. Etenim quae legem violatam secuta est corruptio corporis animique humani, potuit vtrumque invadere, si quoque fructus arboris interdictae perniciosi non fuerint, tantum ex comminatione divina. — Neque in eo assentiri possum Auctori der Urgeschichte, quod neget p. 198. Deum hanc arborem hoc nomine insignivisse, quoniam boni et mali notitiam homines tunc nondum haberent, atque omnia bona essent; postea demum homines nomen hoc ei dedisse ab eventu, quem esus fructuum interdictorum in eis habuerat. Mihi quidem verba serpentis ad mulierem, sive potius dubitationes ipsius mulieris Cap. 3, 5. de quibus plura ad illum locum, contrarium haud obscure videntur innuere, quae nomen arboris manifeste respiciunt. Potuit vero Deus aliqua saltem notione mali utut imperfecta primos homines imbuere, quemadmodum idem in notione *mortis* factum esse ipse Vir doctissimus suspicatur p. 198.

k) Ex multis auctoribus, qui de situ Paradisi scripserunt, unum laudasse sufficiat *Relandum*, qui lectu dignissimam super hoc argumento scripsit dissertationem, quae prima est in parte prima Differtt. Miscell. (Traject. ad Rhenum, 1706. octonis). Cujus de singulis sententiam paucis indicabo. Nimirum flumen Phischon *Relando* est illud, quod a Graecis et antiquis Geographis *Phasis* dicitur. Terra *Chavila* ei est pars Scythiae ea, quae *Colchis* vocatur. Praedicata terrae Chavilae a Mose tributa optime conveniunt Colchidi, aurum nempe et lapides pretiosi; quorum nomina magis nota admo-

quatuor capita findebatur. 11. Primum vocatur Phischon,

admodum incerta sunt. Relando quidem *Bdolah* videtur esse Crystallus et *Schoham* Smaragdus. — Flumen *Gihon* est Araxes, quod regionem *Cossaeorum* Mediae proximam peragrat. — *Chidekel* est Tigris, in quo etiam plerique consentiunt, et de *Euphrate* nullum est dubium. — Ubi autem horum quatuor fluviorum fontes sunt, ibi collocari debere videtur Paradisus. Jam vero in Armenia illos inveniri, constat ex scriptoribus geographicis. Unus vero ille Paradisi fluvius, ex quo quatuor illi orti sunt, una cum arboribus Paradisi et omni ejus elegantia post primorum hominum expulsionem evanuit, et frustra hodie quaeritur. Sic fere *Relandus*. Cum quibus in plerisque consentit Ill. *Michaelis*, tantum in explicando fluvio illo Paradisi v. 10. a plurimorum interpretum sententia discedit. Singularem illum numerum נָהָר pro plurali positum esse putat; non peculiarem aliquem fluvium indicari, ex quo reliqui orti sint, sed hos ipsos, qui in sequenti versu nominentur. Es quollen auch Flüsse aus Eden hervor, den Garten zu wässern, und sie giengen immer weiter von einander, und hatten vier Ursprünge oder Quellen. Sic *Grotius* quoque est interpretatus, provocans inprimis ad v. 14, in quo tamen nullum video argumentum pro hac sententia. Quae quidem apta est ad difficultatem tollendam, si de fluvio illo Paradisi quaeritur, ubinam sit? sed adversari ei videntur ultima verba v. 10, quae esse deberent "וְהָיוּ לוֹ אַרְבָּעָה ר si id dicerent, quod Ill. *Michaelis* in versione posuit; deinde frigidus esse sensus videtur, si de fluviis narratur, eos habere fontes, ex quibus oriantur.

ſchon, quod totam regionem Chavilam auriferam obit, 12. Aurum vero illius regionis præſtantiſſimum habetur. Cryſtalli quoque et Smaragdi ibi reperiuntur. 13. Alterius fluminis nomen eſt Gihon, quod totam terram Cuſch permeat. 14. Tertium flumen vocatur Chidekel, quod verſus Aſſyriam fertur, et quartum eſt Euphrates. — 15. Tradidit vero Jova Deus homini illum hortum, ut eum coleret et cuſtodiret: 16. Eique his verbis præcepit: de omnibus horti arboribus edere tibi licitum ſit, 17. modo non de arbore diſcriminis boni a malo: Simulac ea veſceris, morti eris obnoxius. — 18. Judicavit autem Jova Deus non bonum eſſe, Adamum eſſe ſolum; igitur decrevit ei adjutricem dare ejus naturæ accommodatam *l*). 19. Nam cum Jova Deus omnis generis ani-

l) hebr. עֵזֶר כְּנֶגְדּוֹ Lutherus non recte vertit כְּנֶגְדּוֹ die um ihn ſey, quod נֶגֶד non ſignificat, ſed ex prima ſignificatione eſt *anterius*. Contextus plane docet *ſociam ejusdem naturæ* intelligi. Nam in ſequentibus narratur, Adamum non inveniſſe inter animalia ullum ſibi ſimile, propterea Deum formaſſe fœminam ex ejus corpore. In quem ſenſum נֶגֶד duplicem in modum poteſt explicari, vel ut pleonaſtice poſitum ſit, et præfixum et affixum tantum attendatur, q. d. כְּמוֹ הוּא ut in לְנֶגְדּוֹ et כְּנֶגְדּוֹ vel ut de *conjunctione matrimoniali* intelligatur, quam ſententiam *Schultenſius* defendit in Animadv. philol. ad h. l. Priorem ſenſum antiquiores

animalia, in his quoque aves, e terra formasset, atque adduxisset ea ad Adamum, ut nomina eis daret, quæ deinceps, prouti eis ab Adamo imposita essent, ut eis propria gererent: *m*) 20. Adamus quidem nomina

quiores interpretes videntur intendisse, οἱ ὁ, βοηθὸν κατ' αὐτόν. *Vulg.* adjutorium simile sibi. *Chald.* סְמַךְ כְּקִבְלֵיהּ *Syrus:* מְעַדְרָנָא אָכְוָתֵהּ.

m) Quæ in hoc et sequenti versu narrantur, non sunt nimis ad literam urgenda, uti fecerunt plurimi ex antiquioribus interpretibus, quasi nempe solennis omnium animalium conventus esset habitus, in quo Adamus singula singulis suis nominibus compellasset. (*vid. Bochartus* in Hieroz. P. I. Lib. I. Cap. IX.) Non opus est, ut difficultates, quæ hanc sententiam premant, enumerem. Qui res ex vero dijudicare didicerit, neque miracula præter necessitatem augere consueverit, facile intelliget, hujusmodi omnium animalium conventum et nominum impositionem ab homine recens creati infantia et a consilio divino, quod in versu 18. indicatur, admodum esse alienum. Mihi quidem sic videtur res intelligenda. Deus hominem recens creatum duxit in locum, in quo multa videbat animalia congregata. Nam כל h. l. ut sæpe non universe dici apparet ex eo, quod piscibus nulla nomina indita sint. Adamus igitur formam eorum, sonos quos edebant, et alia, quæ ejus attentionem inprimis excitabant, considerans, nomina eis dedit, simul vero intellexit, nullum in his esse ejusdem secum naturæ. — Linguæ originem per istam nominum impositionem indigitari

na imposuit cunctis animalibus, avibus quoque et feris agrestibus; sed nullam in iis deprehendit adjutricem, quæ naturæ suæ conveniret. 21. Tum Jova Deus gravem Adamo soporem immisit et unam ex costis ejus extraxit, in cujus locum carnem substituit. 22. Ex qua costa mulierem formavit eamque ad Adamum adduxit *n*). 23. Tum hic, id tandem est, *o*) inquit,

tari putem cum S. R. *Herdero* (in Diss. germ. vom Ursprunge der Sprache p. 79.). Neque intra breve tempus, quod narratur, videtur peractum, uti sibi persuadent, qui literæ nimis adhærent. Sed cum Adamus inter animalia viveret, et cum eis versaretur, fieri non potuit, quin multa ab eis disceret, multa in iis observaret, quæ nominibus eis imponendis occasionem darent. Sed hoc auctor fragmenti more suo breuiter et paucis verbis multa complectendo narravit.

n) Quam ingeniose auctor sæpe laudatus der Urgeschichte p. 181. difficultates hujus loci de Eva ex costa Adami creata, removeat, legatur l. c. Non ausim conjecturam sive impugnare sive defendere.

o) זאת הפעם referendum est ad contemplationem animalium, in quibus Adamus nullum invenerat, quod ejusdem secum naturæ esset. Hoc tandem est, inquit, tale animal, quod meæ naturæ est conveniens. Et quoniam antea reliquis animalibus nomina imposuerat, hinc quoque nomen dat conveniens cum suo ipso nomine. Vocat eam אִשָּׁה *viram* ab אִישׁ *vir*, in quo commode potest paronomasia,

quæ

inquit, os de ossibus meis, et caro de carne mea, igitur vira vocetur, quod de viro sumta est. — 24. Propterea vir patrem et matrem relinquet *p)* et suæ adhærebit uxori, unamque carnem constituent. 25. Ambo autem, Adamus et uxor ejus, nudi erant, nec tamen propterea erubescebant. *q)*

CAPUT

quæ in lingua hebræa est, in latina quoque servari. Nam latini veteres dixerunt *viram* pro fœmina, teste *Festo.* vid. *Gesnerus* in Thes. L. L. *Hieronymus* male *virago*, quæ proprie significat *mulierem animi virilis*. *Symmachus* finxit verbum ἀνδρὶς, ab ἀνήρ. οἱ ό habent: γυνή.

p) Hæc non sunt verba Adami, qui eo ipso die quo creatus est *patris* et *matris* nondum habebat notitiam, sed Mosis, qui hanc addidit observationem ad dissuadenda divortia inter Israelitas usitata. Gravissimum hoc esse peccatum dicit, gravius adhuc quam parentes deserere; quod non separationem ab iis notat, sed denegationem auxilii et amicitiæ, quæ inter parentes et liberos semper locum habere debet. Innuit igitur insolubilem esse debere illam inter conjuges conjunctionem. Quæ scita est obseruatio Ill. *Michaelis* ad h. l. In hunc sensum citantur etiam hæc verba a Christo Matth. 19, 4. 5.

q) Docetur primos homines, prouti a Deo creati erant, nullos habuisse affectus libidinosos, propterea vestibus sine incommodo caruisse, quippe quæ necessariæ factæ sunt post corruptionem illam naturæ humanæ. cf. 3, 7. Omnis pudor venit ex sensu indecori, propterea additur, eos non erubuisse.

CAPUT III

Lapsus protoplastorum et poena eum subsecuta. a)

1. Serpens b) vero, callidissimum omnium animalium a Jova

a) Quoniam hoc caput cum antecedenti manifeste unum fragmentum constituit, historice etiam uti illud est explicandum. Continuatur historia, et quid protoplastis in horto, qui eis a Deo traditus erat, evenerit, narratur. Quis vero, nisi ludere velit in re seria, topographicam paradisi descriptionem allegorice explicet? Sequens etiam tristis hominum status, qui priori opponitur, satis probat hoc secundum literam interpretandum esse et veram narrare historiam. Neque fortasse interpretes allegoriam, aut imaginem hieroglyphicam, aut apologum moralem quaesivissent in hoc capite, si modum narrandi ex antiqua historiae simplicitate, de qua antea dictum est, judicassent. Quod, si fit, difficultates, quae sensum allegoricum requirere eis videbantur, disparent, atque in rebus nihil absurdi, nihil ab eo quod probabile sit, aut a vero alienum deprehenditur. Tentabimus igitur brevem loci difficillimi illustrationem duce Anonymo illo auctore in libro laudato.

b) Serpentem vere et proprie sic dictam esse intelligendam, omnes historiae circumstantiae probant. Eva vidit serpentem, atque in excusatione sua apud Deum etiam tantum serpentem nominat, quae eam seduxerit. Poena quoque, quae ei v. 14. statuitur, tantum huic animali convenit. Neque de diabolo quidquam suspicata est mulier, cujus sine dubio

ne

acci[illegible] [illegible] [illegible]

a Jova creatorum, dixit c) mulieri: Itane eſt? num inter-

ne notitiam quidem habuit. Nam ſi eam habuiſſet, tentationem fortaſſe facilius ſuperaſſet.

Sed quid? an non loca Nov. Teſt. probant, diabolum fuiſſe, qui Evam ſeduxerit? Non probant. Nam 2 Cor. 11, 3. nihil de diabolo legitur, tantum de ſerpente. Joh. 8, 44. ſermo eſt de ſtudiis diaboli, atque homicida vocatur, quoniam cædem Caino ſuaſit, cf. 1 Joh. 3, 12. Si draco et ſerpens vocatur diabolus Apoc. 12, 9. hoc fit ex uſu loquendi Judæorum tempore Nov. Teſt. qui ad noſtri loci interpretationem transferri non poteſt. Plura vide l. l. p. 203. ſeqq. et S. R. *Dæderlein* in der auserleſenen Theol. Bibliothek Vol. I. p. 367. — Callidiſſimum animal vocatur ſerpens ab eventu, quoniam dubia in muliere excitavit adverſus legem divinam atque tandem etiam ad ejus violationem ſeduxit.

c) Sermones ſerpentis cum muliere nulli fuerunt. Sed mulieri, cum videret ſerpentem de fructu arboris vetitæ comedere, ſubortæ ſunt cogitationes de ejus ſalubritate, quæ in ſequentibus ex antiquo narrandi more tanquam ſermones aut colloquium inter utrumque habitum referuntur. In lingua enim antiqua *dicere* etiam pro *cogitare* uſurpatur, quoniam nulla ſine verbis cogitatio eſſe poteſt. Sic Deus complura *dixiſſe* fertur, quæ tantum de ejus decretis explicanda ſunt. At enim vero fortaſſe de hoc minus dubitatur, quam de illo, quod ab initio innuebam, mulierem vidiſſe ſerpentem de fructu arboris comedentem. In textu quidem hoc non expreſſis verbis legitur, ſed perquam probabiliter hoc colligitur ex ſpe, quam mulier concepit, cum

interdixit vobis Deus comedere de omnibus pomarii arboribus? 2. Respondit mulier serpenti: omnibus arborum fructibus pomarii vesci nobis licitum est. 3. Tantum fructu unius arboris hujus pomarii vesci Deus nobis interdixit, et ne tangere quidem eam licet, alioquin moriemur. 4. Ad hæc serpens mulieri, nequaquam moriemini, inquit, 5. Sed novit Deus, *d*) si de hoc fructu comederitis, tum oculos vestros apertum iri, *e*) Deoque similes vos esse futuros, boni et mali

cum serpentem videret et fictos illos cum ea haberet sermones. Cæterum ne quis, ut nonnunquam fit, novitate hujus explicationis offendatur, observo eam satis esse antiquam. Sic enim *Abarbanel* jam locum intellexit a *Clerico* citatus, itemque *Simeon* de *Muis*, qui hanc Abarbanelis sententiam pluribus exposuit et approbavit in Criticis Anglicanis.

d) Poterant hæc mulieri in mentem venire, cum videret fructum arboris vetitæ serpenti non esse lethalem. Igitur suspicabatur, eum sibi multo magis esse profuturum, inprimis quod Deus ipse arbori *scientiam boni et mali* nomine ei dato tribuerat. Hæc aut similia mulierem cogitasse ex v. 6. fit probabile: *judicavit fructus arboris ad comedendum esse aptos*, nimirum quoniam serpens eis sine damno vescebatur — — et *desiderabiles ad intelligendum*, h. e. propter scientiam, quam secuturam esse esum fructuum colligebat ex nomine arbori dato.

e) Apertio oculorum dicitur de incremento cognitionis. Sic proprie phrasis legitur de animadversione rei antea non visæ. Genes. 21, 19.

mali intelligentes. 6. Tum mulier aſpiciens arborem judicabat fructus ejus ad comedendum perquam aptos eſſe, aſpectu eſſe pulcherrimos et propter prudentiam quam efficerent valde optabiles; cepit igitur de fructu ejus et edit. Dedit etiam marito ſuo, qui ipſe *de eo* edit. 7. Tum vero aperti ſunt amborum oculi. Animadverterunt ſeſe nudos eſſe et ex complicatis foliis ficulneis fecerunt ſibi ſubligacula. — 8. Sub veſperam *f)* audiverunt vocem Jovæ Dei *g)* appa-

f) לְרוּחַ הַיּוֹם *circa tempus venti veſpertini.* Solet in Oriente circa veſperam ventus æſtum diei atque adeo ipſam noctem flando recreare. Oppoſitum eſt כְּחֹם הַיּוֹם Geneſ. 18, 1. Cant. 2, 17.

g) Inde ab hoc loco incipit hujus hiſtoriæ explicatio ab anonymo auctore ſæpe laudato l. c. allata, longe diverſa a vulgari, quod ego ſciam, omnium interpretum. Quæ quidem cum primum eam legeris, habet in quo hæſites et tantum non offendas. Sed ſi argumentorum probabilitatem examinaveris, modumque, quo ſecundum hanc explicationem omnia evenerint, rei naturæ aptum et convenientem deprehenderis, deſines hæſitare, et, ſi antiquarum opinionum non juſto es tenacior, novitas te non amplius offendet. Summam tantum hypotheſeos breviter recenſebo. Quam docte, quam ingenioſe Auctor eam ornaverit, legatur l. d. In verſione vero ſingula textus verba expreſſi, liberum lectori de hypotheſi, ex qua illa interpretari velit, judi-

judicium relinquens. — *Vox Dei per hortum ambulantis* est *tonitru*, quod constat sæpe hoc nomine venire. Sub vesperam nempe oritur tempestas, prima fortasse in orbe recens creato. Cujus tonitru et fulgure homines peccati sibi conscii terrentur, mortem timentes, quam Deus eis minatus fuerat, si de fructu arboris vetitæ ederent. *Colloquium Dei* cum Adamo et Eva v. 9—13. *morsus conscientiæ* sunt cum excusationibus, quibus culpam alter in alterum devolvit. Sed tempestate ingravescente, tonitru continuo resonante, ita ut nullibi se tutos existimarent, *fugiunt e paradiso*, hinc v. 23. Jova dicitur eos ex horto expulisse. — At enim vero, dicis, hujus expulsionis in fine capitis demum mentio fit, et multa narrantur, quæ eam præcesserint; sententia dicta in Adamum, Evam et serpentem, nomen Evæ ab Adamo mutatum, vestium usus monstratus. Recte quidem. At quis ab auctore, tantæ inprimis antiquitatis, requirat, ut quo ordine singula se exceperint, narret? Fuisse vero hominum fugam e paradiso, sive expulsionem eorum, conjunctam cum illa tempestate, sive terrore propter vocem Dei concepto, apparet ex eis, quæ v. 10. et 11. narrantur, quæ nemo dixerit in paradiso esse facta. — Homines igitur postquam e paradiso aufugerant, omnia longe alia et diversa a priori sua commoratione inveniebant. Jam vitam agebant multis cum molestiis et doloribus conjunctam. Adamus cum vultus sui sudore agrum colebat, Eva inter dolores partus enitebatur. Unde vero illa subita nec expectata mutatio? Infantia generis humani atque imperfecta Dei et effectuum naturalium cognitio hæc omnia immediatæ Dei sententiæ dictæ in homines et terram die illo pernicioso tribuebant. Non probabile est Deum ipsum sententiam

tiam hanc pœnalem in Adamum, Evam et ſerpentem iisdem verbis, quæ v. 14—20. leguntur, pronuntiaſſe. Pro linguæ pauperiate, qua Adamus et Eva utebantur, et pro experientia admodum exigua, quam tunc habebant, non intellexiſſent, quæ de graviditate, partu et aliis rebus dicuntur. *Pœnæ interminatæ* tantum *temporales* ſunt. Non opus erat, ut Deus eis prædiceret mala et incommoda, quæ brevi ipſi ſenſuri eſſent et experturi, cum nihil de gravioribus malis, de *æternis* pœnis, quas promeruerant, diceret. At *æterni* notionem homines nondum habebant, igitur non poterat Deus pœnas æternas minari! Recte. At neque Eva intelligebat, quid ſit gravidum eſſe, quid parere. Igitur neque hæc Deus ei dixit. — Neque *ſerpenti* pœnas, quas v. 14. ſeqq. legimus, Deus eſt minatus. Cum non niſi cauſſa occaſionalis lapſus protoplaſtorum eſſet, pœnam ne promeruerat quidem. Sed primi homines fugam animalium a ſerpente eis noxia arbitrabantur pœnam eſſe ſerpenti divinitus inflictam. Atque Evæ odium in ſerpentem nemo mirabitur in poſteros quoque propagatum, qui omnes eam tanquam animal pernicioſiſſimum perſequuntur. — Difficiliorem habent explicationem phraſes: *ventre tuo incedes* et *pulverem comedes*, ex quacunque hypotheſi locum interpreteris. Quod ad priorem attinet, fabulæ Judæorum ſunt dudum exploſæ, ſerpentes ab initio pedibus inceſſiſſe, quibus poſt ſeductionem protoplaſtorum eſſent privatæ. Sed neque eorum interpretum ſententia poteſt probari, qui quædam ſerpentum genera colli et corporis anterioris erigendi facultate inſtructa eſſe dicunt. Omnia ſerpentum genera habent hanc facultatem, quæ tamen pro earum magnitudine differt, nec tamen inceſſus erectus dici poteſt. Na-

apparentis in horto, feque abdiderunt ab eo inter arbores.

turæ omnium ferpentum proprium eft, ut in ventre fefe moveant. Duplicem modum oftendit Auctor anonymus, hujus difficultatis removendæ. *Vel* ut hæc verba: *in ventre incedes et pulverem comedes*, non fint pars pœnarum ferpenti indictarum, fed ipfius ferpentis defcriptio, qua indicetur, mirum videri poffe, omnes res creatas, animalia et homines fibi ab hac beftia humi repente timere, q. d. *tu qui in ventre incedis et pulverem comedis.* Quam explicationem ex eo probat, quoniam hæc verba interpofita funt pœnæ opinatæ ferpenti dictæ, odio nempe animalium et hominum adverfus eam. — *Vel* ut utrumque a primis hominibus per errorem habitum fit pro pœna ferpenti inflicta ob efum fructus vetiti. — At fic non continent hæc verba promiffionem de Meffia mittendo aliquando generi humano? At quibus argumentis probatur eam his verbis ineffe? Num protoplafti fenfum ejus intellexiffent? Illi quibus de pœnis æternis quas promeruiffent nihil dictum erat, num muneris mediatorii rationem percepiffent? Nunquam neque Jefus neque Apoftoli locum in hunc fenfum explicarunt. Paulus fæpe de lapfu Adami locutus, nullibi hæc verba citavit. Tandem neque ipfa membra fibi oppofita admittunt hanc explicationem. Quod breviter fed acute oftendit Auctor laudatus. Pluribus vero hanc myfticam hujus loci interpretationem impugnavit *Zachariæ* in Theol. Bibl. P. II. p. 318—330. — Non faveo illis, qui promiffiones de Meffia e Vet. Teft. detrudere ftudent. Sed intrudere eas in loca, in quibus non leguntur, æque ac illud temerarium mihi videtur.

bores. 9. Sed Jova Deus Adamo acclamavit: ubi es? 10. Ille respondit: Audita voce tua per pomarium ego territus utpote nudus abscondi me. 11. Tum ille, quis tibi indicavit te nudum esse? Num edisti de arbore, de qua ne comederes, tibi præceperam? 12. Adamus respondit: mulier quam mihi associasti, dedit mihi de fructu illius arboris, quod comedi. — 13. Tum Jova Deus mulieri dixit: cur tu hoc fecisti? Illa respondit: serpens me decepit ut comederem. 14. Tum Jova Deus serpentem his verbis est allocutus: quoniam tu illud fecisti, omnibus animalibus *h*) cum cicuribus, tum feris eris detestabilis, in ventre tuo incedes, et pulverem comedes, *i*) quam diu vives. 15. Inimicitiam inter te et mulierem, inter tuam et ejus progeniem conciliabo. Hæc capiti tuo insidiabitur, tu ejus calci *k*) — 16. Mulieri vero dixit:

h) מִכָּל הַבְּהֵמָה non per comparativum potest explicari, uti placuit nonnullis interpretibus, sed per præpositionem *ab omnibus animalibus eris maledictus.* Reliqua enim animalia huic maledictioni non sunt subjecta. cf. Cap. 4, 11. 34, 19.

i) *Pulverem comedere* i. q. in pulvere jacere. cf. Jes. 49, 23. Michæ 7, 17. Ps. 72, 9. Similis phrasis est Ps. 102, 10. *cinerem comedere*, pro *sedere in cinere.*

k) Nondum satis certa et explorata videtur significatio verbi שׁוּף. Duo loca, in quibus præter nostrum legitur Job. 9, 17. יְשׁוּפֵנִי

dixit: augebo tibi graviditatis moleſtias; cum dolore liberos paries, et tamen mariti tui conſuetudinem appetes. *l*) Is vero erit tuus dominus. — 17. Adamo dixit: quoniam uxori tuæ obtemperans de arbore comediſti, cujus eſum tibi interdixeram: infelix ſit propter

בִּשְׂעָרָה יְשׁוּפֵנִי et Pſ. 139, 11. חֹשֶׁךְ יְשׁוּפֵנִי non admodum favent ſignificationi *conterendi*, quæ vulgo ei tribuitur. Neque in noſtro loco, in quo manifeſte in utroque membro eodem ſenſu dicitur, in poſteriori membro per *conterere* verti poteſt. Antiquiores interpretes diſſentiunt. Oi ό habent: *αὐτός σȣ τηρήσει* (lectio Complut. *τειρήσει* ſine dubio falſa eſt,) *κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτȣ̃ πτέρναν.* Eodem ſenſu Onkelos et Jonathan. Vulgatus in altero membro: *et tu inſidiaberis calcaneo ejus.* Sed Syrus: *ille conculcabit caput tuum, et tu feries eum in calce*, et Arabs: *ille findet caput tuum, et tu mordebis eum in calce.* Priorem explicationem præfero, utrique h. l. membro aptam, et quæ etiam ex Arab. شاف *ex alto in aliquem proſpicere ſ. oculos defigere*, quod eſt inſidiantium, poteſt illuſtrari.

l) Sunt interpretes bene multi, qui vocabulum תְּשׁוּקָה de obedientia mulieris viro debita explicant, et hoc membrum cum ſequenti connectunt. Sed propter locum Cant. 7, 11. et creberrimum uſum verbi شاق apud Arabes de *appetitu venereo*, hanc ſignificationem præferendam putavi. Quæ ſententia etiam eſt complurium interpretum cum antiquiorum, tum recentiorum. vid. *Lette* in *Animadv. S. ad textum hebr.* qui tamen priorem explicationem defendit.

propter te terra, multa cum moleſtia fructus ejus comedes per omnem vitam tuam. 18. Spinas et carduos tibi procreabit, et agri herbis veſceris. 19. Cum vultus tui ſudore victum tibi comparabis; donec in terram redeas, ex qua ſumtus es; pulvis enim es, et in pulverem reverteris. — 20. Adamus mulierem ſuam Chavvam vocavit *m*), quod ea mater eſſet omnium viventium. 21. Jova Deus vero oſtendit Adamo ejusque uxori, quomodo ſibi tunicas ex pellibus facerent, quibus ſe amicirent. —

22. Jo-

m) In fine fragmenti addit auctor nonnulla, quæ manifeſte referenda ſunt ad tempus, quo protoplaſti jam extra paradiſum vivebant. Adamus verſ. 20. mulieri ſuæ nomen *Chavvæ* dedit, matris viventium. Incertum quidem eſt, qua occaſione; *vel* cum primum filium peperiſſet, quæ ſententia eſt auctoris anonymi in Repertorio p. 283, *vel* ſecundum alios, cum ſpes ei facta eſſet, eum ex conjuge ſua poſteros eſſe habiturum. Sed quidquid de occaſione nominis impoſiti ſtatuatur, de tempore dubitari vix poteſt, nempe in paradiſo hoc minime factum eſſe, cum trepide a Jovæ tonitru ſeſe abderet et mox fugeret. Item quod v. 21. narratur de primis veſtibus, quarum inventionem nemo dixerit a Deo primis hominibus monſtratam antequam ab eo ex paradiſo expellerentur. — De quæſtione a Theologis ad h. l. mota, an origo ſacrificiorum ab his animalibus ab Adamo mactatis repetenda ſit. vid. S. R. *Erneſti* Opuſc. Theol. p. 243.

22. Jova Deus dixit: En Adamus nobis similis factus est, boni malique intelligens — — n). Cavendum vero, ne porrecta manu capiat de fructu arboris vitalis, eoque gustato vivat in perpetuum. 23. Igitur expulit eum Jova Deus ex Edenis pomario, ut terram, ex qua ortus erat, coleret. 24. Quo facto collocavit ab orientali parte horti Edenis Cherubos cum ense flammas vibrante ad arboris vitalis aditum custodiendum.

CAPUT IV

Cain et Abel nascuntur. Ille hunc interficit. A Deo propterea punitur. Ejus posteri, et quidam artium inventores.

1. Posthæc Eva ex Adamo marito suo gravida facta, pepe-

n) Hic et sequens versus non parum confirmare videntur explicationem totius loci allatam. Nam quæ in hoc versu Jova dixisse fertur, nemo iisdem verbis a Deo dicta putabit; Ironia enim, quæ ei tribuitur, semper Deo est indigna. — Auctor fragmenti narrare vult: Spem immortalitatis et similitudinis cum Deo consequendæ protoplastos misere fefellisse. Quippe ejectos e paradiso de arbore vitæ comedere non potuisse, neque unquam ad illam regionem potuisse redire tonitru et igne subterraneo prohibitos. — Sed hæc pro antiqua rerum dijudicandarum ratione, quæ Deum ubique immediate agentem inducit, narrantur. Hinc sermones illi, quos Deus secum ipse instituit, et consultatio de eo quod factu opus sit, tandemque hujus decreti executio.

peperit Cainum. *a*) Dicebat enim: Virum acquisivi Deo juvante. 2. Deinde iterum peperit fratrem ejus Abelem; is quidem opilio fuit, Cainus vero agricola. 3. Sub finem anni obtulit Cainus de frugibus terræ Jovæ oblationem. 4. Idem etiam Abel fecit e primogenitis maxime gregis sui. Hujus quidem munus Jova *b*) gratum habuit: 5. Caini vero oblationem

a) h. e. *acquisitio.* Sic enim nomen mater ipsa explicat, et subindicat gaudium, quod conceperat ex illa nova acquisitione, sive augmento familiæ. — אֶת h. l. positum est pro מֵאֵת ut Genes. 49, 25. 2 Reg. 23, 35. Sic quoque *οἱ ό: διὰ τοῦ Θεοῦ.* Vulg. *per Deum.* Onkelos מן קדם. Syrus tantum presse textum secutus vertit למריא. Nonnulli interpretes, *Munsterus*, quem multi secuti sunt, in his etiam *Lutherus*, vertunt in Accusativo *virum Jovam*, quasi Eva credidisset, se *Messiam* peperisse. Quem errorem jam *Drusius* et copiosius adhuc *Amama* refutavit in Antibarb. Bibl. p. 232. Si scivit, Messiam esse debere Jovam, quomodo existimare potuit, Cainum esse Messiam, quem sciebat, esse ab Adamo genitum?

b) *respexit ad Abelem et sacrificium ejus.* Quod factum est probabiliter igne cælitus demisso, ex quo Abel favorem Dei cognoscere potuit, uti sequentibus temporibus factum est Jud. 6, 21. 1 Reg. 18, 38. Quam sententiam versio *Theodotionis* expressit, teste *Hieronymo; καὶ ἐνεπύρισεν ὁ Θεὸς, et inflammavit Deus super Abel et super sacrificium ejus, super Cain vero et super sacrificium ejus non inflammavit.*

nem eſt averſatus. Qua de re Cainus gravem iram concepit, quam et vultu oſtenderet. 6. Tum Jova Caino dixit: quid iraſceris? cur capite demiſſo incedis? 7. Nonne ſi benefeceris, capite erecto potes incedere? Si male egeris, ſtatim ſe prodet peccatum *tuum*. Hoc quidem te *inſtar meretricis* tentabit, ſed tu debes ei dominari. c) 8. Sed dure locutus eſt

c) Hanc difficillimi loci interpretationem in verſione poſui, non quod eam unice veram puto, ſed quod eam verba textus admittunt. Dantur vero aliæ quoque explicationes non minus probabiles. Nam שאת pro diverſis verbi נשא ſignificationibus diverſimode poteſt explicari. Illa, quam in verſione poſui, ſic probatur. שאת *elevatio* ſc. faciei tibi erit. Qui ſenſus bene reſpondet præcedentibus, *cur vultu demiſſo incedis?* לפתח חטאת רבץ *ante fores peccatum jacet*, h. e. manifeſtum fiet peccatum, non magis id celari poteſt, quam id quod pro foribus jacet. Multi interpretes *peccatum* h. l. dictum volunt pro *pœna peccati*, quæ immineat ſeu parata ſit peccatori. Præferrem hanc explicationem ei, quam adſcripſi, niſi tunc in ſequenti membro אליך תשוקתו *ad te appetitus ejus* ſc. τῦ חטאת *peccatum* in alio ſenſu ſumendum eſſet, quam in præcedenti membro, nempe pro ipſo peccato, quod hominem tentat. Qui phraſin לפתח חטאת רבץ de inſidiis explicant, quas ſtruit peccatum homini, non attendunt, hunc ſenſum minus convenire ſubjecto propoſitionis, *ſi male feceris*. Ei qui male facit, peccatum non amplius inſidiatur. — In ultimo

est *d*) Cainus cum Abele fratre suo; et cum *aliquando* rure

ultimo membro תשוקתו accipio in eodem sensu, quo Cap. 2, 16. adfuit. Sic eleganti prosopopœia peccatum tanquam mulier impudica sistitur, quæ hominem ad libidinem suam explendam tentet, cui igitur resistere debeat. Levis est in vocabulo חטאת difficultas, quam miror interpretes quosdam movisse, ut explicationes valde contortas afferrent: vid. *Clericus* et *Hubigantius*. חטאת ex forma quidem fœmininum in h. l. tamen tanquam masculinum construitur cum sequenti רבץ et cum affixo in תשוקתו, cujusmodi syntheses generis sæpe obviæ sunt. Sic supra 2, 15. גן construitur sequentibus affixis fœminini generis. — Ex aliis explicationibus, non minus quam hæc quam adscripsi probabilibus, duas tantum breviter indicabo. שאת potest explicari ex phrasi נשא פנים *faciem suscipere* h. e. æstimare, rationem alicujus habere. Tunc sensus erit non incommodus: si recte feceris, gratus mihi eris, acceptum erit sacrificium etc. *Vulgatus* interpres vertit שאת *recipies*, h. e. fructum percipies, f. mercedem habebis. Sic נשא dicitur de eo, quod factum sequitur, sive bonum sit sive malum, v. c. Prov. 9, 12. et hinc h. l. sensus erit aptissimus: Si bene feceris, habebis hujus tuæ pietatis præmium et mercedem. — In verbis adeo ambiguis nihil audeo definire.

d) In textu est ויאמר קין אל הבל אחיו quæ verba, si vertuntur: *et dixit Cainus ad Abelem fratrem suum*, utique desunt nonnulla, quoniam nihil sequitur, quod Cainus Abeli dixerit. Supplent vero ea, quæ deesse videntur, Co-

dex Samaritanus ejusque verſio per verba נלכה השדה. Similiter *οἱ ὁ*, Aquila: *διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον*, Vulgatus: *egrediamur foras*; Syrus, Targum Jonathanis et Hieroſolymitanum. Propter tot teſtes pro hoc additamento non dubitarunt *Hubigantius* et *Kennicotius* in Diſſert. ſuper ratione textus hebr. I. p. 332. et II. p. 341. verſ. lat. quin illa verba textui hebraico eſſent reſtituenda. Attamen illis teſtibus alii non contemnendi opponi poſſunt, qui hæc verba non legerunt, Onkelos, Symmachus, Theodotion et uterque Arabs. Ipſi Maſorethæ, de quorum nota *Kennicotius* l. c. multa, ſed parum accurate diſputavit, diſſentiunt, dum alii Codicibus hebræis notam adſcripſerunt: פסקא באמצע פסוק, deeſſe aliquid, alii, et quidem plerique, uti videre eſt in Bibliis Kennicotianis, eam omiſerunt, alii contrariam addiderunt, monentes lectorem בלא פסקא nihil deeſſe. *Montefalconius* in Hexaplis duo attulit Scholia Codd. græcarum verſionum adſcripta, in quibus negatur, hæc verba apud Hebræos extare, ſed eſſe in Apocrypho. Qui vero ille fuerit, ignoratur. — Illuſtris *Michaelis* etiam de lectione recepta judicavit (in Biblioth. Or. P. IX. p. 179.) eam nullum ſenſum dare, deeſſe aliquid. Neque tamen fauet illi additamento *eamus in agrum*, quanquam illud in verſione germanica poſuit. Vidit enim, ea verba perquam inepta eſſe. Quid opus erat, ut Cainus Abeli perſuaderet, ut ſecum rus exiret, cum rure degerent? Ex conjectura igitur emendat lectionem receptam, et pro ויאמר legendum putat וימר a מרר *amarus fuit: attamen amaro animo Cainus fuit in Abelem.* Nemo negabit, conjecturam eſſe ingenioſam, et auctore ſuo dignam. Neque tamen neceſſaria videtur, quoniam lectio recepta utique ſenſum

rure essent, ille hunc aggressus est et interfecit;
9. Quo facto Jova eum interrogavit, *e*) ubi Abel fra-

sensum admittit, quanquam Vir Illustris hoc tam confidenter negat. Miror, ei non in mentem venisse significationem verbi אמר apud Arabes obviam, *durius loqui cum aliquo.* Nam quod dubitet, eam verbo אמר h. l. substituere, non arbitrer, cum alias in transferendis significationibus verborum Arabicis ad hebraica minime parcus sit. *Lette* in Animadv. ad textum hebr. *Haitsmam* citat, qui pluribus exemplis hunc verbi אמר usum probarit. Ipse quidem, ut alii, אמר pro *colloqui* dictum putat, sed locus Genes. 22, 7. tam parum hanc significationem probat, quam alter ille Exod. 19, 25. Neque probanda est ellipsis, qua in subsidium advocata *Hieronymus* in Quæst. in Genesin locum explicat: Dixit Cain Abeli fratri suo אלה דברים hæc verba; ea nempe, quæ Deus cum Caino erat locutus. Utraque explicatio sensum facit frigidum et parum probabilem.

e) Colloquium Dei cum Caino mihi quidem non videtur explicandum ex hypothesi, de qua ad præcedens caput dictum est, quasi nempe ex antiquo de rerum eventu judicandi modo, qui Deum ubique immediate agentem et loquentem inducit, effectus tantum indicarentur fratricidii in animo Caini, morsus scilicet conscientiæ, timor a Deo cædis commissæ vindice, exilium, in quo oberraverit, et alia. Auctor quidem anonymus der Urgeschichte p. 240. ita sentit, atque hunc locum præcedenti simillimum judicat. Sed signum

frater ejus eſſet, ille vero ſe hoc neſcire reſpondit, neque ſe fratris ſui eſſe cuſtodem. 10. Tum vero Jova, quid feciſti? inquit, fratris tui ſanguis ad me e terra clamat. 11. Jam igitur deteſtabilis eris ipſi terræ, quæ os ſuum aperuit ad recipiendum ſanguinem fratris tui a tuis manibus. 12. Quando eam coles, vim ſuam tibi non amplius præbebit, extorris et incertis ſedibus per terram vagaberis. 13. Ad hæc Cainus Jovæ reſpondit, major eſt mea culpa, quam ut remittatur. 14. Expellis me hodie ex hac regione. *f)* Latebo tuæ præſentiæ, et dum vagus et profugus per terram oberro, futu-

ſignum, quo verſu 15. Deus Cainum a metu violentæ mortis pacatum reddit, ſupponit colloquium, quod re vera præceſſerit. — Omnino frequentiores apparitiones et conſuetudo quædam Dei cum hominibus prima mundi ætate negari non poteſt, quanquam modum ejus et rationem ignoramus. Hiſtoria Noachi, Abrahami et reliquorum patriarcharum nimis clare eam indicant; cui explicandæ non ſufficiunt, quæ auctor laudatus p. 232. habet.

f) He articuli h. l. vim habet δεικτικὴν, atque eam in ſpecie regionem indicat, in qua Adamus ſedem fixerat cum familia ſua; ex qua verebatur Cainus diſcedere, quoniam in hac potiſſimum ſe tutum exiſtimabat, in qua Deus hominibus ſæpe ſolebat apparere. Hinc etiam ſequentia verba ſunt explicanda וּמִפָּנֶיךָ אֶסָּתֵר.

futurum eſt, ut qui in me inciderit, interficiat. *g*) 15. Nequaquam, *h*) inquit Jova, quicunque te interfecerit, ſeptupli pœnam ſubibit. Deinde ſigno quodam coram Caino edito *i*) eum certiorem fecit, quod nemo, qui forte in eum incideret, eum eſſet inter-

g) Illuſtris *Michaelis* putat, Cainum ſibi tantum a feris animalibus timuiſſe, non ab hominibus, quoniam aliæ regiones nondum erant habitatæ. Quanquam illud nolim excludere, tamen poterat etiam Cainus vereri vindictam aliorum e familia Adami. Neque enim repugnat, ipſum Abelem jam liberos habuiſſe. In domo paterna fortaſſe tutus fuiſſet, ſed cum ex ea ejiceretur, vindicem ſanguinis utique poterat metuere.

h) לָכֵן non poteſt verti per *ideo* aut *propterea*, quia Deus reſpondet ad præcedentem Caini ſermonem; neque ſatis apte per particulam affirmandi, *ſane*, *utique*, quam ſignificationem interdum habet. *οἱ ό*, Symmachus, Theodotion, Vulgatus, Syrus legerunt לֹא כֵן *οὐχ' οὕτως*, *nequaquam*. Quos in verſione ſecutus ſum. Ill. *Michaelis* omiſit hoc vocabulum. *Hubigantius* vertit: *omnino is*, *qui occiderit*.

i) *Signum* illud non intelligo de ſigno, quo Deus Cainum ipſum notaverit, aut inſigniverit, uti plerique interpretes. *Clericus* quidem exiſtimat, Cainum juſſum eſſe a Deo, depoſita veſte ferina aliam veſtem, neſcio qualem, induere, qua dignoſci facile ab aliis potuerit. Inepte. שׂוּם ſæpe idem eſt quod נָתַן. Igitur putem, Deum ſigno aliquo edito Caino confirmaſſe, nihil ei neque a feris animalibus, neque ab hominibus eſſe metuendum.

interfecturus. — — 16. Igitur Cainus discessit *ex eo loco*, ubi Jova *cum eo locutus erat*, et consedit in terra Nod, Edeno ab oriente. 17. Uxor ejus ex eo gravida facta peperit Chanochum, *k*) quod nomen filii sui deinde urbi a se exstructæ imposuit. 18. Chanocho natus fuit Irad, Irad genuit Mechujaelem, Mechujael Metuschaelem, et Metuschael Lamechum. 19. Is duas duxit uxores. Alterius nomen erat Ada, alterius Zilla. 20. Ada Jabalem peperit. Is primus fuit eorum, qui pastoritiam vitam sub tentoriis agunt. *l*) 21. Frater ejus Jubal inventor est citharæ

k) Genealogiam hanc quorundam ex Caini posteris Moses non sine causa videtur inseruisse. Nam de reliquis ejus posteris, ut et de aliis Adami filiis, quos habuit secundum 5, 4. præter hos tres, Cainum, Abelem et Schethum, nullum nominavit. Sed quoniam in his sunt primi artium quarundam inventores, digna habita fuerunt eorum nomina, quæ servarentur in monimentis illis antiquissimis.

l) h. e. *Nomadum* antiquissimum vitæ genus, quo deinde Noachi posteri, Abrahamus, Isaacus et Jacobus usi sunt. De quo vid. Ill. *Michaelis* diss. von der Schafzucht der Morgenländer, P. I. der vermischten Schriften. — In verbis textus est aliqua difficultas יֹשֵׁב אֹהֶל וּמִקְנֶה. Ante מקנה videtur רֹעֵה supplendum. *οἱ ό* habent *κτηνοτρόφων*. Vulg. atque *pastorum*. Syrus: וְקָנַיי קְנִינָא. Onkelos: וּכָרֵי בְּעִיר.

ræ et tibiæ. 22. Deinde Zilla peperit Tubalem, fabrum ferrarium, qui omnia malleabat atque æs et ferrum fabricare cœpit. *m)* Ejus ſoror fuit Naamah;

m) Antiquiores interpretes diſſentiunt in vertendis verbis hebr. וְצִלָּה גַם הִוא יָלְדָה אֶת־תּוּבַל קַיִן לֹטֵשׁ כָּל־חֹרֵשׁ נְחֹשֶׁת וּבַרְזֶל Οἱ ό habent: *Σελλὰ τὲ καὶ αὐτὴ ἔτεκε τὸν Θόβελ. Καὶ ἦν σφυροκόπος χαλκεὺς χαλκοῦ καὶ σιδήρου.* Primo clarum eſt, eos omittere vocabulum קַיִן quod etiam faciunt in ultimo membro hujus verſus, *ἀδελφὴ δὲ Θόβελ, Νοεμά.* Deinde recte vertunt לֹטֵשׁ *καὶ ἦν σφυροκόπος, erat malleator.* Nam notio *acuendi* et *poliendi*, quæ huic verbo vulgo tribuitur in quinque illis locis, in quibus in codice hebræo extat, h. l. apta non eſt. Sed apud Arabes لطس ſignificat quoque *tundere*, contundere. Tandem omittunt כל Vulgatus: *Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator et faber in cuncta opera æris et ferri.* Apparet eum legiſſe: חֹרֵשׁ כל וג״. Syrus nomen integrum retinuit, ſed omittit לֹטֵשׁ atque ut Vulgatus כל post חרש legiſſe videtur: אוּמָן בְּכָל דַּנְחָשָׁא וְפַרְזְלָא *artifex in omni ære et ferro.* Ego quidem primo aſſentior Ill. *Michaeli* in eo, quod קַיִן h. l. non ſit pars nominis proprii, ſed cognomen viri ab arte, quam invenit, ei datum. Apud Arabes قين *fabrum ferrarium* notat, neque probabile eſt, matrem præſagiiſſe, cujus opificii inventor filius ſuus ſit futurus. Probant quodammodo conjecturam *oἱ ό*, qui nomen קין omittunt, uti ſupra jam eſt obſervatum. Deinde כל melius

mah. — — 23. *Aliquando* Lamech dixit uxoribus ſuis: Ada et Zilla, audite vocem meam, Lamechi mulieres, attendite meo ſermoni: 24. Si propter viri aut juvenis cædem vulnera et plagæ mihi intendantur, cum de Caino pœna ſeptuplex ſtatuta eſſet, in Lamecho id fiet ſeptuagies ſepties. *n*) — — 25. Adami conjux denuo gravida facta peperit filium, quem Sethum nominavit. Reſtituit mihi, inquie-

melius jungitur cum לֹטֵשׁ quam cum חֹרֵשׁ. Senſum enim nullo modo probabilem reddit maſorethica verborum diſtinctio, quod Onkeloſi paraphraſis probat, qui Tubalcainum *magiſtrum* dicit *eorum*, *qui periti fuiſſent in operibus æris et ferri.* Quaſi jam illo tempore hoc artificium a pluribus fuiſſet excultum, et Moſes non contrarium diceret, dum artium inventores enarrat.

n) Plerique interpretes exiſtimant, Lamechum cædem commiſiſſe et vindictam minari, ſi quis eum propterea punire velit, graviorem quam qua Cainus ulciſcendus dicebatur. Sed parum apta eſt hæc explicatio, neque contextui neque ipſius carminis apodoſi. Placuit igitur ea, quam S. R. *Heſs* de hoc loco dedit in Hiſtoria populi Iſraelitici germanice ſcripta Parte I. p. 83. Nempe Lamechum ſeſe jactare propter filios illos, qui artium adeo utilium eſſent inventores: Cainum progenitorem ſuum propter cædem non eſſe punitum, multo minus ſe poſſe puniri, ſi vel ſimile ſcelus commiſiſſet. Verba enim non clare dicunt cædem ab eo eſſe patratam, ſed ſunt hominis admodum inſolentis et profani, quales fuerunt ſine dubio omnes Caini poſteri.

quiebat, Deus aliam fobolem, loco Abelis, quem Cainus interfecit. 26. Cui Setho etiam filius natus eft, quem Enofch vocavit. Tunc cœperunt *homines* de nomine Jovæ vocari. *o*)

CAPUT V

Adami ex Setho profapia usque ad Noachum.

1. Hic eft catalogus pofterorum Adami. Cum Deus homines creavit, fecit eos ad imaginem fuam. 2. Marem et fœminam creavit; benedixit iis, hominesque vocavit ipfo illo creationis die. 3. Annum Adamus egit trigefimum fupra centefimum, quando filium procreavit fibi fimilem, Sethum. 4. Quem poftquam genuerat, vixit adhuc octingentos annos, et complures habuit filios filiasque, 5. et anno ætatis non-

o) Hæc verba refpiciunt difcrimen, quod Cap. 6, 2. clarius indicatur inter filios Dei et filios hominum. *Filii Dei* vocabantur, qui *Deum Adami* colebant. Adamus fuit filius Dei, Luc. 3, 38. et omnes, qui hunc Deum profitebantur, annumerabantur his filiis Dei. Inter Caini pofteros cognitio Dei probabiliter mature eft extincta. Ipfe enim remotus a patris fui confuetudine et reliquorum ex familia ejus, homo natura fua peffimus, habuit fine dubio progeniem ipfo vitiofiorem, qui propterea ab illis *Dei filiis*, filii hominum vocabantur. Phrafis קרא בשם hoc fenfu extat etiam Ef. 44, 5. 48, 1.

nongenteſimo et trigeſimo mortuus eſt. 6. Sethus
centeſimo quinto ætatis ſuæ anno genuit Enoſchum.
7. Poſthæc vixit octingentos et ſeptem annos; cum-
que complures liberos procreaſſet, 8. annumque
duodecimum ſupra nongenteſimum compleviſſet,
diem obiit ſupremum. 9. Enoſch anno ætatis ſuæ
nonageſimo genuit Kenanem, 10. poſtea vixit
quindecim et octingentos annos, pluresque habuit
utriusque ſexus natos, 11. tandemque anno æta-
tis quinto et nongenteſimo mortuus eſt. 12. Kenan
vixerat ſeptuaginta annos, cum Mahalallelem gigne-
ret. 13. Poſtea vixit quadraginta et octingentos an-
nos, genuitque plures liberos, 14. ita ut decimum
ſupra nongenteſimum annum ageret, cum diem obi-
ret. 15. Mahalallel vixerat quinque et ſexaginta
annos, cum Jaredum filium ſuum videret. 16. Poſt-
ea vixit triginta et octingentos annos, aliosque præ-
ter illum filios filiasque genuit, 17. et mortuus eſt,
cum annum ageret octingenteſimum nonageſimum
quintum. — 18. Jered anno ætatis centeſimo ſe-
xageſimo quinto genuit Chanochum. 19. Poſthæc
octingentos annos vivendo complevit, viditque plu-
res liberos, 20. tandemque anno ætatis nongente-
ſimo ſexageſimo ſecundo vitam cum morte commuta-
vit. 21. Chanoch vixerat quinque et ſexaginta an-
nos, cum Methuſalam procrearet. 22. Fuit vero
homo eximiæ pietatis. Trecentos annos vixit, poſt-
quam

quam Methusalam genuerat, et complures utriusque sexus habuit liberos. 23. Trecentos sexaginta quinque annos Chanoch vivendo complevit. 24. Vita hac summa cum pietate exacta, deinde non fuit in terris, *a*) a Deo quippe sublatus. 25. Methusalah centum octoginta et septem annos natus, genuit Lamechum. 26. Postea septingentos octoginta et duos vixit, et complures alios habuit liberos, 27. tandemque anno ætatis nongentesimo sexagesimo nono e vita discessit. 28. Lamech vixerat centum et octo annos, cum filium procrearet, quem 29. Noachum vocavit, is enim, inquiebat, nos consolabitur *b*) de

a) Sic vertimus וְאֵינֶנּוּ phrasi Livio usurpata I, 16. de Romuli decessu. Indicatur subitus ἀφανισμὸς Henochi, quem sequens formula, *sumsit eum Deus*, quoque indicat, quæ de raptu Eliæ adhibetur. 2 Reg. 2, 3.

b) יְנַחֲמֵנוּ. Quoniam ab hoc verbo nomen נֹחַ derivari non potest, atque οἱ ό legisse videntur יְנִיחֵנוּ, dum vertunt διαναπαύσει ἡμᾶς, *Hubigantius* hanc lectionem præferendam judicavit, et in versione sua posuit: *iste requiem dabit nobis.* At enim vero non videtur sollicitanda lectio recepta, quanquam non caret aliqua veri specie lectio græcorum interpretum, quoniam Codex Samaritanus et versiones omnes lectionem textus hebræi exprimunt, atque etiam supra jam Cap. IV, 1. simile exemplum adfuit in nomine Caini, ex quo apparet, Hebræos in illa nominum notatione sensum magis quam verba respexisse. cf. Commentarii *Cappellorum.*

labore nostro admodum molesto in cultu terræ, cui Deus maledixit, perferendo. 30. Postquam Lamech Noachum genuerat, vixit quingentos nonaginta quinque annos, et complures habuit liberos. 31. Tandemque anno ætatis septingentesimo septuagesimo septimo diem suum obiit. 32. Noachus cum esset quingentos annos natus, genuit Semum, Chamum et Japhetum.

CAPUT VI

Summa hominum corruptio, propter quam Deus omnes delere decernit, excepto Noacho, quem jubet navem ædificare.

1. Deinde cum crescere hominum multitudo in terrarum orbe cœpisset, filiæque eis nascerentur, 2. harum pulcritudine capti sunt, qui de nomine Dei vocabantur, *a)* et in matrimonium duxerunt, quascunque placuisset. 3. Tum Jova, non in perpetuum, inquit, redarguam propter errores suos homines fragilis et imbecillis adeo naturæ, *b)* constituo eis

a) hebr. *filii Dei.* cf. dicta ad Cap. 4, 26.

b) Verba textus sunt לֹא יָדוֹן רוּחִי בָאָדָם לְעֹלָם בְּשַׁגָּם הוּא בָשָׂר. Verbum דון, in quo maxime est difficultas, antiquiores interpretes fere omnes explicant per *manere.* Οἱ ό, ἐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις εἰς τὸν αἰῶνα διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς σάρκας. Vulgatus: *non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Syrus,

Syrus לא חַעְמַר *non habitabit* etc. Onkelos לָא יִתְקַיַּם *non permanebit generatio hæc pessima coram me in æternum.* Tandem Arabs in Polygl. لَا تُحِلّ *non habitabit* etc. Attamen *Symmachus* habet: ȣ̓ κρινεῖ τὸ πνεῦμά μȣ κ. λ. atque *Hieronymus* in quæst. Genes. testatur, in hebræo scriptum esse, *non judicabit spiritus meus* etc. Sane non adeo facile est ad divinandum, cur illi interpretes tanto consensu יָדוֹן per *manere* explicarint. Variæ sunt virorum de eo conjecturæ, quæ quoad antiquiores legi possunt apud *Fullerum* in Miscell. S. Lib. 5. Cap. 5. et *Glassium* in Philologia S. p. 66. antiquæ edit. Recentiorum plerique putant eos יָלוּן aut יָדוּר legisse, quam lectionem etiam *Clericus* et *Hubigantius* probant. Et ille quidem רוּחַ de vita hominum explicat, in hunc sensum, quem et Chaldæus verbis hebræis subjecit: *non manebit in hominibus in perpetuum vita, quam eis concessi.* At enim vero, quanquam רוּחַ de vita dicitur, ut Ezech. 37, 5. 6. 8. Pf. 104, 29, tamen durum videtur *spiritum Dei* h. l. de vita hominibus a Deo data explicare, quod in locis citatis רוּחַ simpliciter dicitur de hominum vita. Neque לון sive דור satis aptum videtur verbum, quod in hac sententia esset adhibitum. Propterea non sollicitandam putem lectionem receptam, in primis quoniam necdum satis certum est, illos interpretes alias literas legisse in Codd. suis, quanquam alia puncta subjecerint, aut ab alio verbo יָדוֹן derivarint. — בְּשַׁגַּם verti cum *Gussetio* et aliis (vid. *Simonis* Lex. Hebr.) *propter errores suos*. Antiquiores interpretes vero omnes per particulam caussalem expresserunt. Dubito.

eis terminum centum et viginti annorum. — 4. Latrones eo tempore per terram grassabantur. Quod factum est etiam postquam illi, qui filii Dei vocabantur, connubia inierant cum puellis eorum, qui se humanæ tantum originis esse profitebantur, ab his enim sobole aucti sunt. Atque isti sunt famosi illi antiqui orbis heroes. — 5. Cum vero Jova videret magnam esse hominum in terra nequitiam, omnesque quas animis suis conciperent cogitationes pravas tantum esse: 6. pœnituit eum fecisse homines in terra, animoque suo indoluit. 7. Delebo, inquit, homines quos creavi e terrarum orbe; cum homines, tum pecora, tum alia animalia atque adeo volucres: Pœnitet enim eos fecisse. 8. Noachus vero Jovæ probabatur. — — 9. Hæc est historia Noachi. c) Noa-

c) Inscriptio novi fragmenti. In qua תולדות non potest verti per *genealogiam*. Nam nomina trium filiorum Noachi versu decimo non possunt argumentum constituere totius pericopæ. Sed significat *historia*, ut Cap. 2, 4. et infra Cap. 37, 2. Narratur enim, quomodo Noachus a Deo servatus sit in diluvio. — In hac pericopa, quæ hoc et tribus sequentibus capitibus continetur, creberrima est rerum repetitio cum levi aliqua mutatione, quam Celeb. *Eichhorn* (in Repertorio literaturæ orient. P. V. p. 185.) ex eo venisse suspicatur, quod duo monumenta antiqua, in quibus hæc historia memoriæ fuit prodita, conjunctim a Mose

Noachus fuit vir probus, omnium illius ætatis maxime pius, et Deum ſincere colens, 10. (habebat vero tres filios, Semum, Chamum et Japhetum,) 11. cum omnes homines perditiſſimi eſſent, et omnia violentia et rapinis plena eſſent. 12. Cum igitur Deus hanc tantam totius generis humani corruptionem videret, et quod omnes flagitioſiſſime viverent: 13. Inſtat finis omnium hominum, inquit; Nam cum tota terra illorum ſceleribus repleta ſit, auferam eos ex ea. 14. Aedificato igitur navem *d*) ex lignis cupreſſi-

Moſe in una hac pericopa ſint exhibita. Favet huic conjecturæ præter alia, quæ ingenioſe a Viro Eruditiſſimo extricata ſunt, permutatio nominum divinorum, Jehovah et Elohim, quæ omnino in his fragmentis, quibus Moſes in congerenda Archæologia ſua uſus eſt, ſolent variare. cf. Cap. 2. not. *f*)

d) תֵּבָה Originatio vocis dubia eſt. Præter h. l. legitur Exod. 2, 3. 5. In nonnullis Codd. (vid. Biblia.Kennicott.) plene ſcribitur תיבה, quæ ſcriptio innuit radicem ע״ו. *Clericus* quidem confert Chald. שׁוּב, quod ut et hebr. שׁוּב nonnunquam eſt *habitare*, ut Pſ. 23, 3. 6; hinc putat תבה proprie eſſe *habitationem*. Quod negat *Clodius* in Lex. hebr. ſelecto, et confert Arab. ثاب vel ثبي *collegit*, *congregavit*, ex quo תבה locum ſignificet, in quem res colligantur. Oἱ ό vertunt h. l. per *κιβωτὸν*, quam vocem Syrus quoque habet, ſed Exod. 2, 3. 5. per *θίβιν*, quam vocem

 lexica

pressinis cum variis cellis: eamque bitumine intus et foris obducito. 15. Hæc vero sit illius exstruendi ratio: Longitudo ejus sit trecentorum cubitorum, quinquaginta latitudo, et triginta altitudo. 16. Tectum *e*) ei impones. Ipsius vero navis *culmen* superne

lexica antiqua explicant per arcam ex papyro confectam. vid. *Biel* Lex. sub voce θίβη. Celeb. *Forsterus* in libro de Bysso Antiquorum p. 113. ex lingua Coptica explicat, ut sit vox ex duabus composita, *navis rami* s. *folii palmæ*. Quæ originatio, si quoque loco Exodi aptari posset, nostro tamen non convenit. Onkelos et Arabs hebraicum תֵּבָה retinuerunt. Vulgatus *arca*, Josephus quoque λάρναξ. Sed male sine dubio vox hebraica sic explicatur. Nam forma *arcæ* usui, cui תבה destinata erat, prorsus inepta fuisset, quod bene observat Ill. *Michaelis*. Navigii formam necessario habere debuit *rotundam*. Alias enim vi fluctuum et aquarum non potuisset resistere.

e) Significatio vocabuli צֹהַר incerta est. Plerique per *fenestram* explicant, a צהר *splenduit*. *Schulsensius* in Clave dialect. p. 287. per *tectum*, coll. Arab. ظَهْرٌ *dorsum*, quo sane hoc ædificium carere non potuit, propter pluviam tot dierum continuam. Sed multo magis difficilia sunt sequentia verba: וְאֶל־אַמָּה תְּכַלֶּנָּה מִלְמַעְלָה quæ vulgo ad צהר referuntur, quod eis magnitudo fenestræ definiretur, cum tamen propter affixum fœminini generis necessario ad תבה sint referenda. Evolvi ductore *Castellione*, quem valde laudat, libellum *Jo. Buteonis* de Arca Noæ (insertus est Tom.

perne facies cubitale. In latere ejus januam aptabis, et tres conſtrues *contignationes*, infimam, mediam et ſupremam. 17. Etenim ego aquarum inundationem terræ immittam, qua omnia animalia viva ſub cœlo auferantur, et omnia quæ in terris ſunt, extinguantur. 18. Tibi vero id beneficii tribuam. Tu una cum filiis tuis, uxore tua, filiorumque uxoribus hanc navem conſcendetis, 19. atque in eam de ſingulis animalibus ſingula paria, marem et fœminam, tecum inferes, ut in vita ſerventur. 20. Ex ſingulis avium et animalium cum majorum tum minorum generibus paria ſingula vitæ ſuæ ſervandæ cauſa tecum introibunt. 21. Igitur et cibum omnis generis comportato, quo tu et illa alantur. 22. Fecit vero Noachus omnia, quæ a Deo juſſus erat.

CAPUT VII

Noachus in navem cum ſuis et animalibus omnis generis receptus ſervatur. Reliqua omnia aquarum inundatione pereunt.

1. Tandem juſſit Jova Noachum una cum ſuis navem conſcendere, quod eum unum inter omnes

 alios

Tom. II. Crit. Angl.) qui hæc verba de tecti culmine explicat, quod per totam navis longitudinem unius cubiti fuerit. Quem ſenſum verba hebræa videntur admittere.

alios ejus ætatis vere pium reperiſſet, 2. ex omnibus
animalibus mundis ſecum recipere ſeptena paria, ex
immundis vero tantum bina de ſingulis, 3. ſimili-
ter de avibus mundis *a*) ſeptena paria, ut eorum
genera in terrarum orbe conſervarentur. 4. Nam
poſt ſeptem dies ſeſe pluvjam in terram eſſe demiſ-
ſurum, quadraginta dies totidemque noctes duratu-
ram, qua omnes res creatæ in terra exiſtentes ſint
delendæ. 5. Noachus igitur omnia diligenter exe-
cutus eſt, quæ Jova juſſerat. 6. Agebat vero an-
num ætatis ſuæ ſexcenteſimum, cum aquæ terram
inundarent. 7. Cujus diluvionis vitandæ cauſa na-
vem illam conſcendit, cum ipſe, tum et ejus filii,
conjux et filiorum conjuges. 8. De animalibus mun-
dis et immundis, nec non de avibus reliquisque be-
ſtiis 9. paria, mas et fœmina, ad Noachum in navi-
gium

a) In Codice Samaritano additur הטהור, quod etiam legerunt *οἱ ό* et Syrus. Sed non Vulgatus, Onkelos, Arabs. Oppoſitio ad verſum præcedentem videtur hanc lectionem probare. Sed conſtat, Hebræos non ſemper ſatis accuratos eſſe in repetendis iis, quæ ex antecedentibus poſſunt intelligi. Multo minus in textum recipiendum putem, quod *Hubigantius* vult, quæ *οἱ ό* præterea habent: *καὶ ἀπὸ πάντων τῶν πετεινῶν τῶν μὴ καθαρῶν δύο δύο ἄρσεν καὶ θῆλυ.* Nam manifeſte hæc ſunt a gloſſatore, qui hunc verſum ſimillimum facere voluit præcedenti. Quod ipſum etiam priorem lectionem ſuſpectam mihi facit.

gium intromiſſa ſunt, quemadmodum Deus juſſerat. 10. Exactis tandem ſeptem diebus aquæ terram inundarunt. 11. Anno ætatis Noachi ſexcenteſimo, die ſeptimo decimo menſis ſecundi *b*) fontes Oceani magni proruperunt et nubes immenſam aquarum vim effuderunt. 12. Sic imbres per quadraginta dies continuos totidemque noctes cecidere. 13. Eo ipſo die Noachus ejusdemque filii, Semus, Chamus et Japhetus, conjux ejus et tres filiorum conjuges navem conſcenderunt. 14. Una cum omnibus animalium generibus diverſis, cum majorum tum minorum, nec non volucrum variarum. 15. Ingreſſa vero ſunt Noachi navigium omnia animalia, quæ ſpiritum vitalem trahunt, paria, 16. mas et fœmina, quemadmodum Deus Noacho juſſerat. Quo facto Jova ipſe fores obſtruxit. *c*) 17. Cum vero terræ inundatio per quadraginta dies continuaret, aquæ adeo excreverunt, ut navigium ſuper terram attollerent, 18. et cum indies magis magisque creſcerent, ferri cœpit

b) h. e. Novembris. Ante exitum ex Aegypto Iſraelitæ annum incipiebant ab Octobri menſe, qui poſtea eis Tiſri vocabatur. Poſt illum exitum ab Aprili, quem Niſan dicebant.

c) Nempe quoniam Noachus foris rimas januæ bitumine obducere non poterat, Deus ipſe cura ſua proſpexit, ne aqua poſſet perrumpere.

cœpit per aquas. 19. Quæ tandem tantopere auctæ ſunt, ut non tantum altiſſimos montes æquarent, 20. ſed ad quindecim cubitos etiam ſuperarent. *d*)

21. Sic

d) Num diluvium totum terrarum orbem inundarit, an regiones tantum eo tempore habitatas, diſſentiunt interpretes. Ego quidem facio cum his, qui poſteriorem ſententiam defendunt. 1. Conſilium Dei fuit delere *genus humanum*. Jam vero Noachi tempore nondum tota terra habitata eſt. 2. Vocabulum *omnis*, non probat inundationem fuiſſe univerſalem. Conſtat multis in locis כל intelligendum eſſe tantum de re, ſive loco, de quo agitur. Sic Cap. 2, 19. 20. Adamum omnibus animalibus nomina dediſſe narratur. Ezech. 31, 6. ſub arbore, cujus imago eſſe debebat rex Aegypti, nidificaſſe dicuntur *omnes* aves cœli, et omnes feræ agreſtes genuiſſe. Sic quoque Dan. 4, 18. Igitur *omnia animalia* in navem intromiſſa ſunt *earum regionum*, quæ aquis erant inundandæ. Sic quoque de *montibus* ſentiendum eſt, quos aquæ ſuperarunt. Neque verba *ſub omni cœlo* contrariam ſententiam probant, ſiquidem interdum etiam de finitimis regionibus adhibentur, ut Deut. 2, 25. — 3. Hac hypotheſi admiſſa multæ objectiones removentur, ad quas non niſi multis miraculis admiſſis, h. e. contra omnem veri ſpeciem, poteſt reſponderi: v. c. quomodo animalia aliarum mundi partium indigenæ, Africæ nimirum et Americæ, a Noacho ex remotiſſimis illis regionibus in Meſopotamiam ſint deducta, cum pabulo ſingulis proprio, et quomodo ab eo poſt diluvium in patriam ſuam iterum ſint dimiſſa. vid. S. R. *Jeruſalem* in Diſſert. ſuper

Reli-

21. Sic exſpirarunt omnia terræ animalia, volucres, pecora et feræ, omnia omnino terræ animalia et omnes homines. 22. Omnia, inquam, quæ in terra continenti ſpiritum vitalem naribus ducunt, extincta ſunt. 23. Quicquid in terra ſubſiſtebat, cum de hominibus tum de animalibus, beſtiis et volucribus, periit, Noacho ſolo, et quæ cum eo in nave eſſent, ſuperſtite. 24. Exundarunt vero aquæ ſuper terra centum et quinquaginta dies.

CAPUT VIII

Poſtquam aquæ diluvii decrevisſent et terra eſſet ſiccata, Noachus cum ſuis navigio egreditur, et Deo ſacrificium offert, quod hic acceptum habet.

1. Tum Deus Noachi omniumque quæ cum eo in navi-

Religione P. II. Obſ. III. — Illuſtris *Michaelis* quidem urget inprimis, quod aqua centum et quinquaginta dies ſupra montes altiſſimos ſtetiſſe dicatur, quod fieri non potuiſſe exiſtimat, niſi univerſale fuerit diluvium, quoniam aqua alias neceſſario defluxiſſet, niſi in aliis regionibus æquali ſtetiſſet altitudine. At enim vero Vir Celeb. videtur præſupponere, aquas per illud tempus, quo in tantam altitudinem excrevit, nullum amplius habuiſſe affluxum ex meatibus terræ ſubterraneis. Sed ſi contrarium admittatur, quod etiam ex Cap. 8, 2. 3. colligi poteſt, nihil obſtat, quo minus aqua propter perpetuum affluxum tamen per tot dies montes altiſſimos ſuperaret.

navigio essent animalium memor, spirare jussit ventum, quo aquæ in terra desidere cœperunt. 2. Tum obstructi sunt Oceani fontes, nec imbres amplius de cœlo cadebant. 3. Igitur aquæ continuo e terra diffluentes magis magisque imminutæ sunt post centum quinquaginta dies. 4. Decimo septimo die mensis septimi *a*) navis delata est in Armeniæ *b*) montes. 5. Aquæ vero continuo decrescebant, usque ad decimum mensem, *c*) cujus primo die montium cacumina conspiciebantur. 6. Finitis quadraginta diebus Noachus navis fenestram aperuit, 7. atque corvum emisit, qui avolabat et revolabat, donec aqua in terra esset exsiccata. 8. Deinde columbam emisit, ut resciret, num aqua e terra defluxisset. 9. Sed cum illa non inveniret ubi quiescere posset, rediit ad eum in navem, quoniam terra adhuc aquis tecta erat. Noachus igitur porrecta manu eam ad se in navem recepit. 10. Cum deinde alios septem dies expectasset, iterum columbam emisit. 11. Quæ circa vesperam ad eum rediit, oleæ folium, quod decerpserat, rostro tenens. E quo Noachus intelligebat, aquas e terra defluxisse. 12. Interjectis aliis septem diebus columbam emisit, quæ non amplius ad eum rediit. 13. Anno pri-

a) Aprilis. —

b) hebr. montes Ararat. vid. *Bochartus* in Phaleg, Lib. I. cap. 3.

c) Julii.

primo et fexcentefimo, primo primi menfis die, *d*) aqua in terra erat exficcata, quod Noachus remoto navigii tecto intellexit. 14. Septimo et vicefimo tandem fecundi menfis *e*) die tota terra fuit exficcata. — — 15. Tum Deus juffit Noachum 16. navigio egredi una cum conjuge fua, filiis eorumque uxoribus, 17. omnia quoque animalia, aves, beftias et quæcunque in terra vivunt, fecum educere, ut per terram iterum difpergerentur, propagarentur, multiplicarentur. 18. Efcenderunt igitur navigio Noachus cum conjuge fua, filiis eorumque conjugibus, 19. omnia animalia, aves, beftiæ, fecundum varia fua genera. 20. Noachus vero in ara Jovæ exftructa immolavit de omni pecorum et avium mundarum genere. 21. Quod facrificium *f*) Jova acceptum habuit, atque apud animum fuum

d) fcil. vitæ Noachi, fecundum Cap. 7, 11. unde et *οἱ ὁ* addiderunt *ἐν τῇ ζωῇ τοῦ* Νῶε, fed nullus reliquorum interpretum.

e) Quoniam diluvium incepit feptimo decimo die menfis fecundi, integrum annum et dies undecim duravit. Qui fi eft annus lunaris, uti probabile eft, trecentorum quinquaginta quatuor dierum, illis undecim diebus computatis vera diluvii duratio fuit anni integri folaris, qui trecentos fexaginta quinque dies complet. Hæc *Michaelis*.

f) רֵיחַ הַנִּיחֹחַ in lexicis vulgaribus explicatur *odor acquiefcentiæ* f. *fuavitatis*, h. e. fumme gratus, aut fuavis, ex auctori-

ſuum ſtatuit, nunquam amplius terram hominum cauſſa (quorum quippe conatus omnes pravi tantum eſſent inde a pueritia) ita perdere et deſtruere, ut omnia animalia viva perirent; quemadmodum tum quidem factum eſſet. 22. Nec unquam deinceps, dum terra eſſet, intermiſſuras eſſe *viciſſitudines* ſementis et meſſis, frigoris et caloris, æſtatis et hiemis, diei noctisque.

CAPUT IX

Deus bene precatur Noacho ejusque familiæ, concedit eſum carnis, ſanguinis vero interdicit. Iridem ut ſignum diluvii non iterandi conſtituit. Noachus ex vino recens plantato ebrius ridetur a Chamo filio ſuo. Cui propterea imprecatur, Semo contra et Japheto fauſta ominatur.

1. Noachum vero ejusque filios benigne Deus eſt allocutus his verbis: fœtificate et terram numeroſa prole complete. 2. Timori et terrori eſtote omnibus

ctoritate τῶν ό et Vulgati, *ὀσμὴ εὐωδίας, odor ſuavitatis.* Non male quidem quoad ſenſum, nec tamen ſatis accurate. Subſtantivum נִיחוֹחַ explicandum eſt ex phraſi הֵנִיחַ חֵמָה *quieſcere facere iram*, h. e. placare, Ezech. 21, 22. 24, 13. hinc ſubſtantivum נִיחוֹחַ *expiatio* ſ. *placamen* et רֵיחַ נִיחוֹחַ *odor placaminis* ſæpe de ſacrificiis dicitur per ἀνθρωποπάθειαν, quaſi numen ſacrificii nidorem olfaceret, eoque placaretur et oblectaretur, pro quo verba propria ſubſtitui.

bus terræ animalibus et avibus. Omnia quæ in terra vivunt, nec non pisces maris vestræ voluntati permittuntur. 3. Omnibus animalibus vivis vesci potestis, ut herbam viridem omnia vestris usibus trado. 4. Modo carnem cum vita h. e. sanguine *a)* ne comedatis. 5. Animadvertam in omne animal, quod hominem necaverit, pœnasque repetam ab omni homine, qui alium interfecerit. 6. Qui cædem commiserit, supplicio debet affici: ego enim hominem ad imaginem meam creavi. *b)* 7. Vos vero genus vestrum larga sobole propagate et in terra augeamini. — — 8. Porro Deus Noacho ejusque filiis dixit: 9. En ego vobis posterisque vestris promitto, 10. simul quoque omnibus animantibus, avibus et bestiis, omnibus, quæ vobiscum navigio egressa

a) hebr. בְּנַפְשׁוֹ דָמוֹ *in vita ejus, sanguine ejus*, דָמוֹ explicat נֶפֶשׁ quod clarum est ex Devt. 12, 23.

b) In contextu hebr. est: *nam in imagine Dei fecit hominem.* Constructio verborum mutata est. Nam quoniam verba Dei sunt, esse deberet: *ad imaginem meam feci hominem.* Oi ό habent ἐποίησα, quasi legissent עָשִׂיתִי. Vulgatus: *ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Sic quoque Syrus q. e. נַעֲשָׂה. Lectio recepta sana videtur, repetendum est אלהים post עָשָׂה. In versione tamen constructionem servandam putavi.

egressa sunt, 11. promitto, inquam, vobis, neque animalia aquarum inundatione amplius perditum iri, neque terram diluvione iri in posterum corruptum. 12. Pignus vero illius promissionis, pergebat Deus, quam vobis omnibusque animalibus, quæ apud vos sunt, in perpetuum dedi, 13. arcus meus in nubibus sit. Hunc habete pro pignore illius promissionis terræ datæ. 14. Quando terram obnubilavero, arcus ille in nubibus conspicietur. 15. Tum vero memor ero promissionis vobis omnibusque animalibus datæ. Non amplius aquarum inundatione corrumpentur. 16. Hunc igitur in nubibus arcum aspiciens recordabor hujus promissionis meæ omnibus animantibus et creaturis datæ. 17. Hoc igitur, inquiebat Deus Noacho, habetote pignus promissionis omnibus in terrarum orbe animantibus datæ. — — 18. Noachus tres habebat filios, qui cum eo nave egressi erant, Schemum, Chamum, qui pater est Canaanis et Japhetum, 19. quorum progenies per totum terrarum orbem diffusa est. — — 20. Noachus vero agriculturæ deditus, vineas cœpit conserere. 21. Aliquando cum ex vino inebriatus nudus in tabernaculo jaceret, 22. vidit Chamus pater Canaanis pudenda patris sui, idque Schemo et Japheto duobus fratribus suis renunciavit. 23. Hi vero pallio, quod ambobus suis humeris imponunt, retro gradientes patris sui verenda tegunt. Aversi erant

erant eorum vultus, ita ut patris sui verenda non viderent. 24. Noachus quum vinum edormisset, et certior esset factus de eo, quod filius suus natu minimus ipsi fecisset, 25. dixit: Infelix sit Canaan, perpetuæ fratrum suorum servituti sit addictus. 26. Laudetur Jova Deus Schemi, Canaan vero sit ejus servus. 27. Fortunet Deus Japhetum et habitet in tentoriis Schemi, Canaan vero sit eorum servus. c) — 28. Noachus cum post diluvium trecen-

c) Οἱ ό et Vulgatus יַפְתְּ vertunt *πλατύναι*, *dilatet*, quos recentiores interpretes sequuntur, ex significatione Chaldaica et Syriaca verbi פְּתָה neque sensu incommodo. Sed فتا significat etiam *liberalem*, *munificum* esse, et sic Arabs vertit يُحْسِن quem in versione secutus sum. Sequens יִשְׁכֹּן construo cum אלהים non cum יַפְתְּ, sic quoque Chaldæus et Arabs. Neque difficilem habet hæc formula explicationem, respondet enim τῷ יַפְתְּ in præcedenti membro. Sed quoad pronomen לָמוֹ quod in utroque versu legitur, est ambiguitas quædam. Potest enim in singulari et plurali verti. Onkelos et Syrus in versu 26. et 27. per pluralem vertunt. Arabs et Syrus in singulari. Jonathan et οἱ ό in versu 26. in singulari, sed in versu 27. in plurali, (in Cod. Alex. Vaticanus habet αὐτῷ) et hi quidem recte videntur vertisse, quoniam in versu 27. uterque fratrum Semus et Japhetus nominantur.

centos quinquaginta annos vixisset, completis nongentis et quinquaginta annis e vita discessit.

CAPUT X

Origines gentium Mosis aetate celebriorum ex tribus Noachi filiis.

1. Haec est genealogia filiorum Noachi, Schemi, Chami et Japheti, quibus post diluvium nati sunt sequentes: a) 2. Posteri Japheti sunt: Gomer, Magog, Medi, Graeci, Tubal, Meseg, et Tiras. 3. Posteri Gomeri sunt Ascenas, Riphat et Togarma. 4. Graecorum coloniae sunt Elis, Tartessus, Italia et Dodanaei. 5. Ab his originem habent regionum exterarum incolae, lingua, genere et natione diversi. 6. Posteri Chami sunt Aethiopes, Aegyptii, Phud et Canaan. 7. Aethiopum coloniae sunt Seba, Chavilah, Sabla, Rama, Sabtcha. Coloniae Ramae sunt Scheba

a) De his gentium originibus omnino conferendus est *Bochartus* in Phaleg f. Geographia S. quod opus amplissimum continet in hoc caput Commentarium. Cui addendus est Ill. *Michaelis* in Spicilegio Geographiae exterae Hebraeorum post Bochartum; cujus *prima* pars prodiit 1769, *secunda* 1780. Goettingae. Brevitas notularum, quas versioni subjicio, non permittit, ut horum nominum rationes reddam. Qui eas scire velint, legant libros laudatos, in quibus magno doctrinae atque eruditionis apparatu de singulis disseritur.

Scheba et Dedan. 8. Cuſch genuit Nimrodum, qui primus fuit potentia inſignis. 9. Fuit autem artis venandi inprimis peritus; *b*) unde dici ſolet: uti Nimrodus venator eximius. 10. Initia regni ab eo conſtituti fuere Babylon, Edeſſa, Neſibis, et Cteſiphon in regione Sinear. 11. Ex qua egreſſus eſt Aſſur, qui Niniven, Rechobot, Calah, 12. et Reſen ædificavit, quod Niniven et Calah interjacet atque oppidum eſt permagnum. — 13. Aegyptiorum coloniæ ſunt Lydii, Anamæi, Lehabæi, Naphchilæi, 14. Patriſæi, Caslichæi: quorum coloniæ fuerunt Philiſtæi et Caphtoræi. 15. Ex Canaanis filio primogenito originem habent Sidonii, et Chittæi, 16. Jebuſitæ, Amoritæ, Gergaſitæ, 17. Chivæi, Arkæi et Sinnæi, 18. Arvadæi, Semaræi, Chamatæi; poſtea et ulterius progreſſi ſunt Cananæi, 19. ita ut eorum termini paterent a Sidone usque ad

b) hebr. *is fuit* גִּבֹּר־צַיִד לִפְנֵי יְהוָה *fortis venatione coram Jova*, quæ nonnulli deteriorem in partem interpretantur, quaſi tyrannidem in alios exercuerit. Sed alii rectius, uti arbitror, explicant ex idiotiſmo linguæ, quo magnitudo et excellentia rei adhibito nomine Dei indicatur. Fortitudo ejus ſine dubio cauſa fuit, cur alii lubenter ejus imperio paruerint. Magnum enim erat illis temporibus, quibus homines vitam paſtoritiam agebant beneficium, ſi in tentoriis ſuis a ferarum impetu tuti reddebantur.

ad Gerarem, Gazam, Sodomam, Gomorrham, Seboim et Lefcham. 20. Qui omnes funt Chami pofteri, diverfi in genere et lingua, diverfarum quoque regionum gentes. — 21. A Semo multæ gentes habent originem. Hic eft pater Hebræorum, frater Japheti natu majoris. c) 22. Pofteri ejus funt Elamitæ,

c) Valde laborant interpretes in hujus verfus explicatione, inprimis in priori ejus membro וּלְשֵׁם יֻלַּד גַּם־הוּא. Primo non apparet, quid fibi velit illud גַּם, *etiam, quoque*. Deinde הוּא non poteft conftrui cum paffivo יֻלַּד, effe enim deberet לוֹ *Semo nati funt filii etiam ipfi*. Et tamen omnes Codices et verfiones confentiunt in lectione recepta. Syrus tantum ילד active legit: *et Semus genuit etiam ipfe* etc. In qua lectione tamen remanet dubium illud, cur de Semo narretur, eum æque ac fratres fuos filios genuiffe. Ill. *Michaelis* in Spicilegio P. II. p. 64. nihil interpreti præter conjecturam relinqui arbitratur atque illud גם prorfus vult eliminatum. — Sed tamen putem poffe locum fuum tenere, dummodo non ut particula vertatur, fed ut fubftantivum, (quod in aliis quoque Hebræorum particulis nonnunquam fieri debere, a *Schultenfio*, *Schrœdero* et aliis obfervatum et exemplis probatum eft. cf. *Glaffius* p. 361.) Jam vero جَمَّ fignificat, *multus fuit*, *abundavit*, et fubftantivum جَمٌّ *copiam* et *abundantiam*. Quæ fignificatio aptiffima h. l. videtur: *Et Semo nata eft copia*, hoc eft aliis verbis: *Semus pater*

mitæ, Aſſyrii, Arphachſad, Lud et Aram. 23. Aram filios habebat, Uzum, Chalem, Gederem et Maſchum. 24. Arphachſad genuit Schelachum atque hic Eberum. 25. Duos vero habebat Eberus filios, alium

pater multarum gentium fuit. — הוא vero conſtruo cum ſequenti אבי, *hic eſt pater omnium Hebræorum.* Aſſentior enim illis qui עֵבֶר pro nomine proprio habent illius *Ebri*, qui verſ. 24. nominatur. Nam qui בְּנֵי עֵבֶר de incolis regionis transeuphratenſis explicant, uſum linguæ habent repugnantem, ſecundum quem עֵבֶר poſt בן aut בני poſitum ſemper eſt nomen proprium. Nunquam vero בן additur præpoſitioni, ut taceam ellipſin τῷ נהר ſane duram. cf. Num. 24, 24. ubi אשור opponitur τῷ עבר. — *Clerici* aliorumque objectio, ſenſum eſſe frigidum, ſi dicatur poſteros pronepotis eſſe quoque proavi poſteros, removetur, ſi admittitur priorum verborum explicatio quam dedi. Sic enim Moſes pergit enumerare gentes iſtas multas, quarum pater ſit Semus. Tandem ultima verba אחי יפת הגדל per rationes chronologicas non poſſunt aliter intelligi, quam quod Semus frater dicatur Japheti natu majoris, coll. Cap. 11, 10. et Cap. 9, 24. Chamus diſerte natu minimus dicitur. Ratio vero aliqua ſaltem, ſi quoque non omni modo ſatisfaciat, cur hoc a Moſe hoc loco repetatur, reddi poteſt ex priorum verborum interpretatione: Semum nempe patrem multarum gentium non inferiorem Japheto fratre ſuo natu majore fuiſſe illo honore aut felicitate.

alium quidem Pelegi nomine, quod ejus ætate terræ fuit diviſa; alium, illius fratrem Jokdanem. 26. Ab hoc Jokdane originem habent: Almodad, Schaleph, Chozarmaphet, Jarach, 27. Doram, Uſal, Dikla, 28. Obal, Abimael, Scheba, 29. Ophir, Chavilah, Jobab; hi omnes ab Jokdane orti ſunt. 30. Quorum habitationes a Meſcha usque ad Sepharam patent, quæ regio montana eſt verſus Orientem. 31. Hi ſunt Schemi poſteri in familiis ſuis et linguis diverſi, diverſarum regionum gentes. 32. Atque hi ſunt omnino poſteri Noachi, ſecundum familias varias gentes conſtituentes, e quibus omnes aliarum regionum gentes ortæ ſunt poſt diluvium.

CAPUT XI

Irriti conatus hominum de urbe et turre exſtruenda. Semi usque ad Abramum poſteri. Terachus Abrami pater ex Ure Chaldæorum urbe migrans Charanem pervenit.

1. Omnes homines tunc una eademque lingua utebantur. 2. Proficiſcentes vero ex Oriente invenerunt vallem in regione Sinear, in qua conſederunt. 3. Hic alter alterum cœpit cohortari, ut lateres facerent, et coquerent, quibus pro lapidibus, bitumine vero pro luto uterentur, 4. eo conſilio ut urbem exſtruerent et turrem eximiæ altitudinis, quæ eis

eis ſignum eſſet, *a*) ne per orbem diſpergerentur.

a) hebr. נַעֲשֶׂה לָּנוּ שֵׁם פֶּן־נָפוּץ. Multi interpretes hæc verba explicant de fama et gloria, quam ſibi iſti homines hujus turris exſtructione parare voluiſſent. Quanquam vero hæc phraſis: *facere ſibi nomen*, nonnunquam in hunc ſenſum dicitur, tamen hoc loco contextus nullo modo admittit hanc explicationem. Etenim tum non cohæret factum ipſum cum conſilio, ſive *finis* cum *medio*. *Ille* eſſe debebat, ne *diſpergerentur*, *hoc*, exſtructio urbis et שֵׁם. Quid, quæſo, gloria apud poſteros conferre poterat ad finem illum obtinendum? — Quæ cum viderent alii interpretes ſibi non reſpondere, varias inierunt rationes ad ea concilianda. E quibus tamen una illa cum verbis textus, tum hiſtoriæ apta videtur, quam *Perizonius* in Origg. Babyl. Cap. VIII—XIV. fuſe probavit. Nimirum שֵׁם h. l. eſſe *ſignum*, atque hujus turris exſtructores, qui cavere volebant, *ne diſpergerentur*, ſperaſſe, neque id temere, ſe per paſcua et prata vagantes hoc ſigno eminus conſpecto facile ſedes ſuas reperire poſſe. Satis quoque probavit *Perizonius* ſignificationem *ſigni* τῷ שֵׁם ex Jeſ. 55, 13. ubi τῷ אוֹת jungitur atque ex Cap. 56, 5. ubi ſynonymum eſt τῷ יָד, quod *ſignum* et *monumentum* notare plane apparet ex 1 Sam. 15, 12. et 2 Sam. 18, 18. Quibus locis addi poteſt 2 Sam. 8, 13. ubi narratur Davidem ſignum eminens ſ. tropæum erexiſſe propter victoriam de Syris reportatam. Origo eſt سما *eminuit*, *excelſus fuit*. Epitomen diſſertationis Perizonianæ ſuper hoc loco dedi in Præfatione ad *Waltoni* Prolegomena pag. XII. ſeqq.

5. Tum Jova cœlo descendit, ut videret hanc urbem et turrem quam homines exstruerent, 6. et dixit: una est omnium lingua, neque nimis arduum est consilium, quod susceperunt, quin illud exequantur. 7. Jam descendamus et confundamus eorum linguam, ita ut alter alterum non intelligat. *b*) 8. At-

b) Servanda putavi verba textus in versione, quoniam intellectu non sunt difficilia, et nemo facile hunc Dei e cœlo descensum ejusque apud se deliberationem, quid facto opus sit, secundum literam intelliget. Narrantur hæc ex imperfecta illa primorum hominum de Deo et effectuum divinorum cognitione, de qua dictum est ad Caput II. Miraculum quod videbant in linguæ confusione inter ipsos patratum, non poterant nisi Deo tribuere. Recte. Sed Deum non nisi præsentem hoc miraculum edere potuisse, hoc tum quidem sibi persuadebant eo facilius, quo frequentiores vel fuerant, vel adhuc erant visibiles Dei apparitiones. Etenim vere miraculo quodam Deum hujus turris exstructionem impedivisse, verba textus docent, quæ non possunt nisi de linguæ confusione explicari. *Vitringa* quidem eam *de animorum dissensione* et *consiliorum diversitate* intellexit, sed solide eum refutavit *Perizonius* l. c. Cap. IX. p. 212. seqq. Qui præterea bene ostendit illam labii confusionem non constitisse in origine variarum linguarum, sed ad tempus modo immissam fuisse ad impediendos istos hominum conatus; linguas vero varias et diversas, sive potius mutationes linguæ primævæ ortas

8. Atque hac ratione Jova per totum terrarum orbem homines disperſit, qui ab urbe ædificanda mox deſiſtebant. 9. Propterea urbs illa Babel (h. e. confuſio) vocata eſt, quoniam ibi Jova linguam hominum confudit eosque per omnes terrarum regiones diſſipavit. — — 10. Sequitur Schemi genealogia. Schemus anno ætatis ſuæ centeſimo genuit Arphachſadum biennio poſt diluvium. 11. Deinde vixit quingentos annos et plures utriusque ſexus liberos procreavit. 12. Arphachſadus anno ætatis ſuæ quinto et trigeſimo Schalechum genuit. 13. Poſtea quadringentos et tres annos vixit et complures vidit liberos. 14. Schalechus vixerat triginta annos, cum Eberum procrearet, 15. poſtea quadringentos et tres annos vixit, aliosque utriusque ſexus liberos genuit. 16. Ebero anno ætatis quarto ſupra trigeſimum natus eſt Pelegus. 17. Vixit deinde triginta et quadringentos annos, et plures habuit utriusque ſexus liberos. 18. Pelegus anno ætatis trigeſimo genuit Reuhum, 19. poſtea ducentos et novem annos vixit, aliosque utriusque ſexus liberos procreavit. 20. Vixerat Reuhus duo et triginta annos, cum Serugum procrearet. 21. Quo facto ſeptem et ducentos

ortas eſſe iisdem ex cauſis, ex quibus conſtat linguis recentioribus inſignes eſſe mutationes illatas. — Sed legendus eſt ipſe *Perizonius*, nec legiſſe pœnitebit.

tos annos vixit, pluresque filios filiasque habuit. 22. Serugus triginta annos vixerat, cum Nachorem procrearet. 23. Postea vixit ducentos annos, aliosque ex se natos utriusque sexus liberos vidit. 24. Nachor anno ætatis undetrigesimo Terachum procreavit. 25. Postea centum annos et undeviginti vixit, aliosque filios filiasque habuit. 26. Terachus Abramum, Nachorem et Haranem genuit post annum ætatis suæ septuagesimum. — — 27. Terachi genus sic se habet: Terachus genuit Abramum, Nachorem et Haranem; atque hic quidem filium habuit Lotum. 28. Ipse vero vivo adhuc patre suo Teracho Ure Chaldæorum, ubi natus fuerat, mortuus est. 29. Abramus et Nahor quoque uxores duxerunt; illius quidem uxor Sarai vocabatur; hujus vero Milca, quæ filia fuit Haranis et soror Iiscæ. 30. Sarai vero sterilis erat et sine sobole. 31. Tum Terachus Abramum filium, Lotum nepotem ex Harane, Saram nurum suam Abrami filii sui conjugem ex Ure Chaldæorum eduxit, *c*) ut in Cananæam proficisce-

c) In textu hebræo legitur: וַיֵּצְאוּ אִתָּם *et exierunt cum illis.* Sed quoniam præcedit וַיִּקַּח lectio Cod. Sam. videtur præferenda וַיּוֹצֵא אוֹתָם *eduxit eos.* Sic quoque *οἱ ὁ*, *καὶ ἐξήγαγεν αὐτούς.* Vulgatus: *eduxit eos.* Syrus in singulari legit ܘܢܦܩ ܥܡܗܘܢ *et egressus est cum illis.*

ficifcerentur. Cum vero Charanem veniffent, ibi confederunt. 32. Terachus vero vixit omnino quinque annos fupra ducentos, et Charane mortuus eft.

CAPUT XII

Abramus juffu Dei in Cananaeam proficifcitur una cum Loto ibique primum a Deo promiffionem accipit de hac terra aliquando a pofteris fuis poffidenda. In Aegyptum cum propter famem migraffet, Sara ejus conjux ad regem Aegypti deducitur, fed mox reftituitur.

1. Jufferat autem Jova Abramum relicta patria fua et cognatis migrare in terram, quam ei deinceps effet indicaturus: 2. Tunc efficiam, inquiebat, ut magna ex te gens proveniat, fortunabo te, magnam nominis famam confequeris et omnis generis bonis eris cumulatus. 3. Amicis tuis favebo, perdam inimicos, atque omnes terræ nationes per te erunt felices. *a*) 4. Profectus igitur eft Abramus, quemadmodum Jova jufferat, et una cum eo etiam Lotus fratris filius, (annum vero ætatis fuæ tum, cum Charrane emigraret, quintum et feptuagefimum agebat,) 5. quem ut et Saram conjugem fuam, omnesque opes et familiam *b*) Charane acquifitas fecum duxit, in illo in

a) cf. Cap. 22, 18. not.

b) נֶפֶשׁ h. l. *fervi.* Sic et Ezech. 27, 13. et *facere* i. q. *acquirere*, ut Cap. 30, 30. Devt. 8, 17.

in Cananæam itinere. Quo cum veniſſet, 6. et per terram illam eſſet progreſſus usque ad Sichemum et terebinthum Moreh, (Cananitæ vero jam tum terram occuparant) 7. apparuit ei Jova, eique promiſit ſeſe ejus poſteris hanc terram eſſe daturum. Tum Abramus in eo loço ubi Jova ei apparuerat, aram exſtruxit. 8. Progreſſus deinde eſt in itinere ſuo verſus montanam regionem, quæ eſt Betheli ab Oriente, ibique tentoria ſua fixit, ita ut ei Bethel eſſet ab occaſu, Ai vero ab ortu. Aram quoque ibi in honorem Jovæ collocavit et ſacra fecit. — 9. Inde ſenſim profectus eſt Abramus verſus regiones meridionales. 10. Orta vero fame conſilium cepit abire in Aegyptum, ibique peregrinari. Fames enim in illa regione ingraveſcebat. 11. Gum igitur Aegyptum appropinquaret, Saræ conjugi ſuæ dixit: Novi te mulierem eſſe formoſam. 12. Jam ſi viderint te Aegyptii, cognoverintque te conjugem meam eſſe, me occident, te incolumi. 13. Quare dicas, quæſo, te ſororem meam eſſe, ut tua cauſſa vitæ et ſaluti meæ conſulatur. 14. Cum igitur in Aegyptum veniſſent, et Aegyptii eximiam mulieris pulcritudinem vidiſſent; 15. in his etiam proceres Pharaonis, qui eam regi valde laudarant, in ejus palatium deducta eſt, 16. Abramus vero propter eam liberaliter habitus eſt, ita ut pecore et armento, aſinis, ſervis, ancillis, aſinabus et camelis admodum dives eſſet.

eſſet. 17. Sed Jova Pharaonem et domum ejus graviter afflixit propter Saram Abrami uxorem. 18. Tum Pharao Abramum arceſſi juſſit, eumque objurgavit, quod eam non conjugem ſuam, 19. ſed ſororem eſſe dixiſſet: ut ipſe eam in matrimonium duceret decreviſſet. Nunc igitur ſuam ſibi uxorem haberet, et abiret. 20. Præcepit deinde certis hominibus, ut eum cum uxore ſua, et omnibus quas haberet facultatibus, ex Aegypto deducerent.

CAPUT XIII

Abramus ex Aegypto redux priſtinas ſedes repetit. Separat ſe a Loto, qui in planitie Jordani ſedes ſuas figit. Abramus iteratam a Deo promiſſionem accipit de Cananæa aliquando a poſteris ſuis poſſidenda.

1. Remigravit igitur Abramus ex Aegypto una cum uxore ſua, ſuisque, Loto quoque comitante in tractum meridionalem. 2. Erat vero admodum dives tum pecore, tum argento et auro. 3. Sic lente progreſſus eſt cum agmine ſuo a meridie usque ad Bethelem, ad eum locum ubi ab initio tentoria ſua poſuerat, Bethelem inter et Ajam, 4. ubi antea Jovæ aram exſtruxerat, ibique denuo ſacra fecit. — 5. Lotus quoque, qui Abramum comitabatur, pecoris, armenti, et tentoriorum tantam copiam habebat, 6. ut regio non permitteret eos una habitare. Nimiæ enim erant eorum facultates, quam ut unam ean-

eandemque regionem possent incolere. 7. Aliquan-
do cum rixæ et contentiones intercessissent inter Abra-
mi et Loti pastores: (Cananitæ vero et Pheresitæ
jam tum terram incolebant) 8. ille cum hoc sic egit:
Equidem nolim dissidium esse inter me et te, inter
tuos et meos pastores, qui homines simus consan-
guinei. 9. Universa regio tibi patet. Optimum est
ut nos separemus. Liberum tibi sit quam in partem
velis discedere, ipse in diversam abiturus. 10. Lo-
tus igitur totum illum Jordani tractum contempla-
tus, animadvertit eum esse, quam late pateat, irri-
guum: (antequam enim Jova Sodomam et Gomor-
ram perderet, similis erat ea regio horto amœnissi-
mo, sive Aegypto, usque ad Zoarem) 11. elegit il-
lum Jordani tractum, et orientem versus profectus est.
Sic alius ab alio discessit. 12. Abramus quidem Ca-
nanæam inhabitavit, Lotus vero in oppidis campe-
stribus, et sua tentoria usque ad Sodomam posuit.
13. Incolæ vero istius urbis erant pessimi homines, et
in Deum quam maxime impii. 14. Postquam Lo-
tus ab Abramo discesserat, Jova Abramum his ver-
bis est allocutus: attolle oculos tuos et circumspice
omnes regiones circumjacentes versus septentrionem,
meridiem, orientem et occidentem. 15. Totam
hanc terram, quam vides, tibi dabo, tuisque poste-
ris in perpetuum: quos quidem pulveri terræ æqua-
bo. Quem si quis poterit numerare, idem quoque
in

in pofteris tuis fieri poterit. 17. Age! terram longe lateque peragra, nam tibi eam dabo. 18. Igitur Abramus tentoria fixit et confedit ad terebinthos Mamræ, quæ funt juxta Hebronem. Ibique aram Jovæ exftruxit.

CAPUT XIV

Abrami victoria de quatuor regibus, qui Cananæam invaserant et una cum reliquis incolis etiam Lotum captivum abduxerant. Melchifedecus rex Salemi bene precatur propter hanc victoriam Abramo, atque accipit ab eo decimam prædæ partem. Reliqua omnia reftituit Abramus regi Sodomæ.

1. Accidit autem ut Amraphel rex Babylonis, Ariochus rex Ellafaris, Kedorlaomerus rex Elami et Tidal rex Gojitarum, 2. bellum gererent cum Bera Sodomæ, Birfcha Gomorræ, Schinabo Adamæ, Schemebero, Zeboim et Belæ, quæ jam Zoar vocatur, regibus. 3. Hi omnes copias fuas contraxerunt in valle Sittim, ubi nunc eft mare falfum. 4. Undecim annos tributa pependerant Kedorlaomero, tertio et decimo vero anno defecerunt. 5. Quarto decimo anno Kedorlaomer et reges ei confociati profligarunt Rephæos in Afchteroth Karnaim, Sufæos in Hama, Emæos in Schavekiratajim, 6. Troglodytas a) in montibus

a) חֹרִי Chorim funt Troglodytæ, antiqui ifti fpeluncarum in-

tibus Seir, usque ad Elparan, quod eſt juxta ſolitudinem. 7. Hinc reverſi venerunt ad fontem Muſchpad, qui et Kadeſch vocatur, et vaſtarunt terram Amalekitarum *b*) et Amoritarum Chazazon Tamar incolentium. 8. Contra hos rex Sodomæ, Gomorræ, Adamæ, Zeboim et Belæ, quæ et Zoar vocatur, aciem inſtruxerunt in valle Sittim. 9. Nempe contra Kedorlaomerum regem Elami, Tidalem regem Gojitarum, Amraphelem Babylonis et Ariochum Ellaſari regem, quatuor reges contra quinque. 10. Planities vero Sittim abundabat puteis bituminoſis, in quos reges Sodomæ et Gomorræ in fugam converſi *partim* ceciderunt, partim ad montes confugerunt. 11. *Victores* igitur diripuerunt omnes Sodomitarum et Gomorræorum opes et commeatum. 12. Præterea quoque Lotum Abrami fratruelem, qui Sodomæ habitabat, cum ſuis facultatibus abegerunt. —

13. Qua

incolæ, de quibus vid. *Michaelis* in Syntagm. Commentt. P. I. p. 193. et *Faber* in Archæol. Hebr. p. 20. Infra ſæpe eorum mentio fit, Cap. 36, 20. Devt. 2, 12. etc. Pro בְּהַרְרָם שֵׂעִיר *in monte ſuo Seir*, legendum eſt בְּהַרְרֵי *in montibus*. Sic Cod. Sam., οἱ ὁ, Syrus, Vulgatus.

b) Hi Amalekitæ non ſunt ex nepote Eſavi poſteri, qui Amalek vocatur Cap. 36, 12. Sed ſunt Cananitæ in Arabia viventes, quibuscum Iſraelitæ grave bellum geſſerunt. cf. Exod. 17, 8. 1 Sam. 15, 2.

13. Qua de re certiorem fecit quidam, qui e prælio evaſerat, Abramum Ebræum, habitantem tunc juxta terebinthos Mamrei; (is erat gente Amorræus, frater Eſcoli et Aneri, atque Abramo cum eis fœdus intercedebat.) 14. Qui cum cognoviſſet fratruelem ſuum captivum eſſe abductum, vernas in armis exercitatos numero trecentos et duodeviginti armavit, atque *hoſtes* usque ad Danem perſecutus eſt. 15. Ibi diviſis copiis eos noctu cum ſervis ſuis aggreſſus eſt et profligavit et perſecutus eſt usque ad Chobam, quod oppidum eſt ad ſiniſtrum Damaſci. 16. Et reduxit omnes facultates *direptas*, in his etiam Lotum fratruelem ſuum, cum ſuis opibus, mulieres quoque et reliquos de populo. 17. Tum obviam ei venit rex Sodomæ, cum ex illa pugna cum Kedorlaomero et regibus ei adſociatis rediret, in vallem Schave, quæ et regia vallis vocatur. 18. Melchiſedecus vero, rex Schalemi, idemque Dei ſummi ſacerdos, panem et vinum attulit: 19. et bene precatus eſt Abramo his verbis: Faveat Deus ſummus cæli et terræ creator Abramo. 20. Laudetur Deus ſummus, qui hoſtes tuos tibi tradidit. Huic Abramus decimam omnis prædæ partem dedit. — 21. Rex vero Sodomæ ſeſe homines repoſcere dixit, opes vero ſibi ſumeret. 22. Cui Abramus reſpondit: Sublata ad Jovam Deum ſummum, cujus cœlum et terra ſunt, manu juro: 23. me ne filum quidem aut cal-

 cei

cei corrigiam de his omnibus, quæ tua ſunt, acceptorum eſſe; ne dicere poſſis, me tua liberalitate eſſe ditatum. 24. Præter victum tantum ſervorum et præter partem eorum, qui me comitati ſunt, Aneri, Eſchkoli et Mamrei, qui ſuas de præda partes accipiant.

CAPUT XV

Deus Abramo poſteros quam plurimos promittit, qui poſt quadringentos annos Cananæam occuparent et poſſiderent, atque in hujus promiſſionis confirmationem fœdus cum Abramo ritu ſolenni pangit.

1. Poſthæc Jova Abramum in viſione his verbis compellavit: Noli timere, Abrame, ego te defendam et præmia longe maxima a me accipies. 2. Ad hæc Abramus reſpondit: o Domine Jova, quid mihi dabis? Sine prole ego ex hac vita diſcedam. Diſpenſator domus meæ eſt *a*) Elieſer ille Damaſcenus.

a) hebr. בֶּן־מֶשֶׁק בֵּיתִי Plerique interpretes conſentiunt quidem in interpretatione horum verborum, ut *procuratorem domus* ſignificent, ſed de origine vocis מֶשֶׁק inter eos non convenit. Vulgo a שׁק vel שָׁקַק *currere* derivatur, ut procurator domus dictus ſit *filius curſitationis*, vel quod ad eum omnes currunt ad mandata ab eo accipienda, vel quod ipſe omnia inſpecturus per omnes partes domus currit. Sed *Schultenſius* de defectibus L. H. §. 33. p. m. 27. confert

nus. 3. En hic verna meus, inquit Abramus, quod sobolem mihi non dedisti, heres meus est futurus. 4. Minime vero, respondit Jova, ille, sed is, qui ex te natus fuerit, heres tibi succedet. 5. Tum jussit eum prodire foras, cœlum intueri et numerare stellas, si posset; tot erunt queque posteri tui, inquit. 6. Et credidit *Abramus* Jovæ, qui hoc ut insigne pietatis documentum accepit. 7. Atque porro ei dixit: ego sum Jova, qui te Ure Chaldæorum migrare jussi, ut tibi hanc terram darem possiden-

fert Arab. מְשַׁק *pectinare*, *carminare*, quod deinde transfertur etiam ad *polituram* f. *curam rerum*. Quæ originatio mihi quidem præferenda videtur priori, utpote usui hujus verbi in aliis tropis et analogiæ linguæ latinæ convenientior, quod docte probavit *Schultensius* l. c. *Simonis* quidem in Lexico sub h. v. improbat utramque originationem, et confert Arab. מְשַׁךְ *possedit*, hinc *filius possessionis* idem h. l. sit quod *heres*. — Sed quoniam lingua cognata offert radicem earundem literarum מְשַׁק, non satis tutum videtur, aliam similem מְשַׁךְ in subsidium vocare, quanquam sensum dat illa originatio satis commodum. Verbum addo de versionibus antiquis. Consentiunt omnes in lectione hebræa præter Syrum, qui vocabulum משק omittit et locum sic vertit: *Eliefer Damascenus* בַּר בַּיְתִי הוּא יָרֵת לִי *domesticus meus hic est heres meus.* v. 3. *Et dixit Abramus, ecce mihi non dedisti filium, ecce domesticus meus heres meus.*

fidendam. 8. Ad hæc Abramus: unde vero cognoscam, o Domine Jova, id aliquando esse eventurum? *b*) 9. Tum ille jussit afferre vitulum trimum, itemque capram et arietem ejusdem ætatis, turturem et pullum columbinum. 10. Quæ cum adessent dissecuit omnia, exceptis avibus, in partes duas, singulasque singulis opposuit. *c*) 11. Ad illa cadavera cum aves rapaces irruerent, abegit eas Abramus. *d*) 12. Sub occasum solis Abramus gravi sopore oppressus

b) Hæc Abrami quæstio non satis convenire videtur fidei ejus modo laudatæ. Non satisfaciunt, quæ interpretes ad eam excusandam vulgo afferunt, dum negant eam semper signum esse diffidentiæ, ut in exemplo Gideonis Jud. 6, 36. et Hiskiæ Jes. 36, 7. Placet solutio dubii non levis, quam Ill. *Michaelis* dedit: Abramum prospicere quasi voluisse posteris suis, et confirmationem promissionis sibi a Deo expetiisse irrevocabilem, quam etiam ab eo impetravit fœdere, quod Deus super hac re cum eo pepigit.

c) Fœdera inter Hebræos pangenda hoc ritu peragebantur, ut partes paciscentes per animalia dissecta transirent: Deus adeo sese demittit, ut fœdus cum Abramo ineat, eodem ritu adhibito, cf. v. 17. — Abramus etiam statim intelligit, quid Deus intendat, cum jubet ista animalia afferri. cf. Cap. 21, 27. et Jer. 34, 18. Ab hoc ritu etiam ipsum nomen *fœderis* ברית est a ברה *dissecuit*.

d) Videtur hoc ominosum fuisse, posteros Abrami diripiendos et vexandos esse ab aliis gentibus.

fus et magno tenebrarum terrore est correptus. *e*) 13. Tum *Jova* eum sic alloquitur: Scito, posteros tuos peregrinos futuros esse in terra aliena, cujus *incolae* dura eos servitute affligent per quadringentos annos. 14. Sed ego in hanc gentem cui servient animadvertam, et tandem admodum divites emigrabunt. 15. Tu vero salvus et incolumis ad majores tuos collectus in summa senectute sepelieris. 16. Quarta vero generatio demum huc redibit, improbitas enim Amorraeorum nondum ad summum pervenit. — — 17. Deinde cum sol occidisset et tenebrae essent, fumus ad instar fornacis et flamma ignea per partes illas animalium dissectas transibat. 18. Illo die Jova Abramo hanc dedit promissionem: sese ejus posteris daturum esse hanc terram a flumine Aegypti usque ad flumen magnum, usque ad Euphratem. 19. Kenitas, Kenisitas, Kadmonitas, 20. Chetitas, Pheresitas, Rephitas, 21. Amoritas, Cananitas, Gergaschaeos et Jebusitas.

CAPUT XVI

Sara sterilis Abramo suadet, ut Hagare ancilla sua pro pellice utatur. Quae gravida spernit heram suam et durius habita fugit. Sed jussu angeli domum redit, et Abramo parit Ismaelem.

1. Attamen Sara Abrami uxor ei non peperit.

 Habe-

e) Abrami somnus cum terrore conjunctus est ob instantem Numinis praesentiam.

Habebat vero ancillam Aegyptiacam, Hagarem nomine. 2. Suasit igitur Abramo, ut, quod Jova sibi prolem non daret, ancillam suam iniret, si forte per eam posset liberos consequi. Qua in re cum Abramus voluntati Saræ concederet: 3. Hæc Hagarem ancillam suam illi in matrimonium dedit. (Quod factum est sub finem decimi anni, ex quo Abramus in Cananæa consederat.) 4. Coiit igitur cum Hagare; quæ et ex hoc ipso coitu gravida facta est. Sed cum se gravidam sentiret, heram suam cœpit contemnere. 5. Tum Sara Abramo dixit: tuum est injuriam mihi illatam ulcisci; a) ancillam meam tuis am-

a) hebr. חֲמָסִי עָלֶיךָ Multi interpretes עָלֶיךָ explicant, quasi esset מֵעָלֶיךָ *injuria, quæ mihi fit, est a te*, sive: *tu es auctor injuriæ mihi illatæ*. Sed non opus esse illa ellipsi, *Lud. de Dieu* in Critica S. ad h. l. observat. עַל sæpe *debitum* et *officium* notat. Sic infra cap. 27, 13. Jud. 19, 20. 2 Sam. 18, 11. Attamen *Schultensius* in Animadv. ad h. l. paullo aliter explicat: ut חמס sit *pœna illatæ injuriæ*, et sensus: *injuriæ mihi factæ pœna sit in te*. Quæ explicatio propter ultima Saræ verba, quæ animum in ipsum adeo Abramum exacerbatum produnt, satis apta videtur. Nec tamen propterea Judæi cujusdam explicationem probem, quam idem *Schultensius* affert; nempe quoniam خمش est *faciem unguibus lacerare*, Saram Abramo comminatam esse, se in faciem ejus involaturam eamque suis esse unguibus dilaceraturam.

amplexibus tradidi, jam cum se gravidam videt, me despicit: ipse Jova nostram litem dirimat. 6. Ad hæc Abramus Saræ respondit: ancilla tua est in tua potestate, potes pro arbitrio cum ea agere. Sara igitur eam durius tractavit, ita ut aufugeret. 7. Sed offendit eam Jovæ angelus ad fontem in deserto, in via qua Schurem itur: 8. atque nomine suo eam compellans ex ea quæsivit, unde veniret? quo tenderet? Ego, inquit, ab Sara hera mea aufugi. 9. Tum Jovæ angelus eam admonuit, ut ad heram suam rediret, seque ei submitteret. 10. Innumerabilem posterorum ejus multitudinem esse futuram prædixit. 11. Puerum vero illum, quem paritura sit, nominaret Ismaelem, quod Jova afflictionis ejus rationem habuerit. 12. Hominem ferissimæ naturæ, instar onagri futurum esse, omnium adversarium, quem vero vicissim omnes essent infestaturi; Sedes ejus futuras esse ab Oriente *b*) fratribus suis. 13. *Hagar* vero vocavit Jovam cum ea colloquentem, Deum visionis. Dicebat enim: num etiam video

(sive

b) hebr. עַל פְּנֵי *ad faciem fratrum suorum.* Ad situs regionum describendos Hebræi faciem versus Orientem vertunt, uti nos versus septentrionem. Constat etiam Ismaelitas regiones orientales inhabitasse, unde et בני קדם *filii Orientis* vocantur. *Michaelis.* cf. 23, 19. 25, 9. 18.

(five vita fruor) c) poſt illam viſionem? 14. Hinc puteo illi nomen venit putei vivæ viſionis; qui eſt inter Kadeſchum et Baratum. 15. Deinde Hagar Abramo filium peperit, quem hic Iſmaelem vocavit. 16. Sextum vero et octogeſimum annum agebat, cum ei Iſmael naſceretur.

CAPUT XVII

Deus Abramo denuo multam ſobolem promittit eique nomen dat Abrahami. Circumciſionem ut ſignum fœderis inſtituit. Ex Iſmaele multos poſteros, ex Sarai vero, Sara in poſterum vocanda, filium Iſaacum. Abrahamus ſe ſuosque circumcidit.

1. Cum Abramus annum ageret undecenteſimum, apparuit ei Jova et dixit: ego ſum Deus ſummus a). Dum-

c) Verba textus ex breviloquentia, ut alia hujus generis, ſunt difficilia. Mihi quidem רֳאִי non eſt participium *videns me*, ſed ſubſtantivum *viſio*, ut עֳנִי ab ענה. Sic etiam Syrus interpres accepit. — הֲלֹם רָאִיתִי *num video?* ego explicem, uti *Clericus*, de illa veterum opinione, eis qui Deum aut angelum vidiſſent, moriendum eſſe. Cujus opinionis multa ſunt exempla. Exod. 20, 19. Devt. 18, 16. Jud. 6, 22. 23.

a) De originatione nominis divini שַׁדַּי adhuc ſub judice lis eſt. Ill. *Michaelis* ad Lowthum p. 504. derivat a سدو *ſummam rei conſcendere;* hinc eſſet *ſummi cœli ſeſſor*, quam origi-

Dummodo me constanter et sincere colas, 2. foedus tecum inibo, teque mirum in modum multiplicabo. 3. Tum Abramus pronus in terram cecidit, Deus vero ita rursus exorsus est: 4. Fœdus tecum faciam: pater eris multarum gentium. 5. Non amplius Abramus, sed Abrahamus *b*) voceris. Efficiam enim ut sis pater complurium gentium. 6. Vehementer te augebo, faciam te parentem gentium, regesque ex te prodibunt. 7. Fœdus tecum inibo et cum posteris tuis, in æternum duraturum, ut tu et posteri tui me ut Deum *suum* colant. 8. Dabo tibi posterisque tuis terram, in qua jam ut peregrinus vivis, totam nempe terram Cananæam, in perpetuum possidendam, dummodo me ut Deum venerentur. 9. Por-

originem οἱ ὁ subindicant Ps. 68, 15. ubi τὸν ἐπουράνιον habent. *Ikenius* in Dissert. Philol. Diss. I. deducit a שָׁדַד quod non solum est *vastavit*, sed etiam *prævaluit*; hinc significaret *omnipotentem*. Cui sententiæ parum adversatur, quod alias plerumque Schin Hebræorum respondeat τῷ س Arabum. Multa enim hujus regulæ exempla in contrarium afferri possunt. Alii a שָׁדָא *copiose profudit*, ut Deus *fons uberrimus omnis boni* dicatur. cf. *Drusius* ad h. l. *Clodius* in Lexico hebr. selecto et *Vriemoet* ad dicta Classica P. I. p. 133.

b) h. e. pater magnæ multitudinis, ex אב *pater* et رهام *numerosa multitudo*. vid. *Ikenius* in l. l. Disp. II. de mutatione nominum Abrahami et Saræ p. 10. seqq.

9. Porro Deus Abrahamo dixit: Tu et posteri tui servare debetis fœdus meum. 10. Lex vero hujus fœderis, quod tecum et posteris tuis pango, sit hæc: omnes mares inter vos debent circumcidi. 11. Circumcidetis vero præputia vestra. Hoc sit signum fœderis illius inter nos. 12. Omnes mares octavo die circumcidentur, sive domi nati sint, sive pretio emti a peregrinis, qui non vestræ sunt originis. 13. Dum sic omnes domi tui nati aut emti circumcidentur, signum hoc fœderis mei in corpore vestro erit perpetuum. 14. Mares vero qui præputia sua non ceciderint, supplicio afficientur, c) quod fœdus meum violarunt. — 15. Porro Deus Abrahamo dixit: Nomen uxoris tuæ Sarai, non sit in posterum Sarai, sed Saræ. d) 16. Reddam eam fœcundam, dabo tibi

c) hebr. *exscindetur illa anima e populo suo.* Dissentiunt interpretes, utrum hac phrasi *supplicium* et *pœna capitalis*, an *privatio* tantum *juris civitatis* judaicæ intelligatur. Posteriorem sententiam defendit *Clericus*, cui *Michaelis* in versione germanica et in notis assentitur; sed postea mutavit sententiam in Jure Mosaico P. V. p. 41. et 148. De ipso vero circumcisionis instituto data opera egit l. I. P. IV. ab initio.

d) Nominis Saræ originatio minus certa est ac illa Abrahami. *Ikenius* quidem in Dissertatione laudata confert arab. سرى שׂרא *numerosam prolem habuit.* Quæ significatio non solum in prima conjugatione, sed etiam in secunda, quæ hebr.

tibi ex ea filium; mater erit gentium, reges adeo ex ea originem ducent. 17. Tum Abrahamus in faciem ſuam prolapſus mirabatur, atque ita ſecum cogitabat: num ſeni centum annorum filius naſcetur? num Sara nonaginta annorum pariet? 18. et Deo dixit: utinam Iſmaelem ſerves eique faveas! 19. Reſpondit Deus: Verum ex Sara conjuge tua filium tolles, quem Iſaacum vocare debes: quocum mihi et cum poſteris ejus foedus æternum intercedet. 20. Quod vero de Iſmaele rogabas, in eo quoque votis tuis annuam. Favebo ei atque vehementer ipſum augebo

hebr. Piel reſpondet, locum habet. Atque hanc fortaſſe interpretes Alexandrini reſpexerunt, qui omnem nominis immutati differentiam in duplicatione literæ ρ ponunt. Novum igitur nomen ex ſententia Ikenii *mulierem prolifeream* ſ. *fœcundam* notat. Antiquum vero *Sarai* vel ab hebr. שׂוּרי vel arab. سري poteſt derivari, atque *fœminam principem* indicat. Aliam de horum nominum ſignificatione conjecturam dedit Ill. *Michaelis* Bibl. Or. P. IX. p. 186. Antiquum nempe nomen שׂרי (aliis punctis pronunciandum) reſpondere arabico شري *colocynthis*. Novum vero (per Schin pronunciandum) originem habere a سر *lætari*, et ſignificare *lætam*. Sic meliorem eſſe oppoſitionem inter utrumque nomen. Illud ab illo frutice *amaritudinis*, hoc ex propria ſua ſignificatione *lætitiæ* notionem innuere.

bo et multiplicabo. Duodecim principes ex eo orientur, et in magnam gentem meo beneficio evadet. 21. Fœdus vero meum erit cum Isaaco, quem tibi Sara suo tempore anno sequenti pariet. 22. Quæ cum dixisset Deus Abrahamo, ab eo discessit. 23. Hic vero filium suum Ismaelem et omnes domi suæ natos et pretio emtos, omnes omnino mares domi suæ eo ipso die circumcidit, quo a Deo jussus erat, ut hoc faceret. 24. Abrahamus vero annum agebat undecentesimum, cum sese circumcideret. 25. Ismael vero tertium decimum. 26. Uno eodemque die circumcisi sunt Abrahamus et Ismael, 27. nec non omnes servi ejus, sive domi nati essent, sive emti a peregrinis.

CAPUT XVIII

Nova Dei apparitio et promissionis de Isaaco ex Sara filio repetitio. Intercessio Abrahami pro Sodoma et Gomorra.

1. Deinde ei Jova apparuit ad terebinthos Mamre. Cum horis meridianis sederet ad januam tentorii, 2. videt tres viros ipsi ex adverso stare. Quibus statim ex tentorio obviam procedit, eosque salutatos his verbis alloquitur: 3. Exhibe quæso domine a) mihi hanc gratiam, ut ne me prætereas. 4. Per-

a) אֲדֹנָי sic scriptum per Kametz est nomen Dei, quod et Maso-

4. Permitte, ut aqua offeratur ad pedes lavandos, et requiefcite fub hac arbore. 5. Ego vero interea fruftulum panis depromam, quo animos veftros recreetis, poftea iter continuaturi; Opportune enim accidit, ut *mea tabernacula* tranfiretis. Illi igitur eum indicarent, fefe ejus liberalitate lubenter ufuros effe, 6. Abrahamus properat ad Saram in tentorium, eique mandat, ut fine mora tria fata farinæ fimilæ depfat et panes fubcinericios paret. 7. Ipfe vero ad armenta currit, vitulumque tenerum et pinguem puero tradit, qui eum propere inftruat. 8. Deinde cremorem lactis *b*) et lac dulce et carnes vitu-

Maforethæ in margine notarunt per vocem קדש h. e. hoc nomen effe h. l. nomen Dei. Codd. nonnulli a *Kennicoto* citati habent quoque nomen יהוה ut etiam Onkelos. Sed quoniam Abraham rogat hofpitem, ut *lavet pedes* etc. non credibile eft, eum ftatim intellexiffe non hominem, fed Deum effe, quocum loquatur. Igitur videtur legendum effe אֲדֹנִי *mi domine.* Oi ó habent *κύριε*, Syrus ܡܪܝܐ quod eft nomen *Dei.* Codex Samaritanus in fequentibus habet pluralem. Igitur אֲדֹנָי legit, quam lectionem *Hubigantius* defendit. Sed poteft quoque numerus fingularis defendi, in quo etiam Abrahamus in hoc verfu pergit, et videtur unum aliquem compellaffe ut principem, cujus comites fint aut fervi duo reliqui.

b) חֶמְאָה non eft *butyrum*, fed *lac acidum*, f. *cremor lactis*, qui

vitulinas appofuit, eisque fub arbore cœnantibus miniftravit. 9. Tum illi, ubinam eft, inquiunt, Sara uxor tua? hic, in tentorio, refpondet. 10. Redibo ad te, pergebat unus ex eis, anno proxime fequenti et Sara uxor tua habebit filium. Quæ cum Sara poft tentorii januam audiret, (11. erant vero Abrahamus et Sara fenes et ætate provecti, atque hæc menftrua pati defierat,) 12. ridebat, ita apud fe cogitans: ego fcilicet in fenectute mea voluptati indulgebo, et dominus meus etiam fenex? 13. Tum Jova Abrahamo dixit: quid ridet Sara et dubitat an in fenectute parere poffit? 14. Num quidquam Jovæ nimis arduum effe poteft? hoc ipfo tempore redibo, atque anno proxime fequenti habebit Sara filium. 15. Negabat quidem Sara fefe rififfe, metuebat enim; Sed ille, imo vero rififti, inquit. — — 16. Poftea viri illi verfus Sodomam fe convertunt, Abrahamo eos profequente. 17. Tum Jova dixit: Num ab Abrahamo c) celabo quod facturus fum? 18. qui pater gentis ampliffimæ et potentiffimæ eft futurus, et per quem omnes gentes felices erunt. 19. Novi enim, eum

qui ex more orientali ftatim hofpiti offertur, a خبا *fpiffum fuit lac.* vid. Celeb. *Ravii* Difpp. de re cibaria veterum Hebr. et de his *Erneftii* Biblioth. Theol. Tom. X. pag. 178.

c) Oi ó addunt *τῶ παιδός μου*, et Syrus מִן עַבְדִּי fed non reliqui.

eum præcepturum esse filiis suis et posteris suis, ut instituta mea servent et juste et probe vivant, ita ut præstare Abrahamo possim, quæ ei promisi. 20. Deinde pergebat Jova: Scelera et flagitia multa et maxima Sodomæ et Gomorræ vindictam meam provocant. 21. Veni igitur, ut ipse præsens viderem, num secundum querelas ad me perlatas plane fecerint an minus. d) 22. Tum duo illi hospites sese convertunt Sodomam perrecturi. Abrahamus vero stabat adhuc coram Jova: 23. Accedit deinde *paullo propius* et dicit: num perdes pium cum impio? 24. Fortasse quinquaginta supersunt in urbe probi. Num perdes? neque condonabis loco propter quinquaginta illos bonos? 25. Absit ut ita agas: ut pium cum impio auferas; ut eadem conditione tibi sit bonus et malus: Absit hoc a te, totius terrarum orbis judex, non ita judicabis. 26. Respondit Jova, si quinquaginta probos Sodomæ invenero, condonabo propter eos toti urbi. 27. Tum Abrahamus pergebat: Ausus sum loqui cum domino, qui ipse sim pulvis et cinis: 28. Fortasse desunt quinque in illo numero quinquaginta bonorum, num perdes propter quin-

d) Deus de se humano more loquitur, se velle agere ut judex justus, qui non cuivis accusatori credit, sed ipse inquirit; idque jam ipsum Sodomæ esse experturum.

quinque istos urbem? non perdam, inquit, si quinque et quadraginta ibi reperero. 29. Quid? si, pergebat, forte tantum quadraginta reperiantur; vel propter hos, respondebat, abstinebo. 30. Ne irascaris, quæso, domine, inquit, dum loquor, fortasse tantum triginta adsunt. — Etiam tunc ignoscam, respondebat. 31. Ne nimis audax tibi videar, o domine, pergebat, fortasse viginti tantum inveniantur. Vel propter viginti promisit se non perditurum esse urbem. 32. Ne irascaris, inquiebat, o domine, si semel adhuc intercedam, fortasse decem tantum invenientur: Et ne sic quidem urbem evertam, Jova respondit. 33. Quo colloquio Jovam inter et Abrahamum finito hic in locum suum rediit.

CAPUT XIX.

Loti erga angelos qui Sodomam veniunt hospitalitas. Oppidanorum mores corruptissimi. Angeli Lotum cum suis ex urbe deducunt, quæ cum finitimis urbibus igne subterraneo evertitur. Lotus servatus præter uxorem, cum filiabus suis concumbit ebrius, e quibus Moabitæ et Ammonitæ orti sunt.

1. Duo autem illi angeli Sodomam circa vesperam veniunt. Quos cum Lotus, qui in porta urbis forte sedebat, videret, obviam eis procedit, eosque salutatos his verbis alloquitur: 2. Divertite quæso, domini

mini mei, domum meam, ibi pernoctaturi. Lavate pedes vestros, postridie iter vestrum continuaturi. Verum illi recusabant; sese foris pernoctaturos esse significabant. 3. Sed cum precibus instaret, diverterunt ad eum. Qui eos convivio excepit appositis panibus non fermentatis. 4. Cibo sumto, antequam cubitum discessissent, oppidani ad unum omnes, juniores et seniores, domum cingunt, 5. Lotumque vocantes clamant: ubi sunt homines isti, qui ad te hac nocte venerunt? educ eos, ut eos corrumpamus. 6. Tum Lotus egressus foribus clausis, 7. eos hortatur, ne tantum scelus committerent. 8. Malle se duas suas filias virgines eis tradere, quibus pro arbitrio uterentur: quam ut hospitibus suis injuriæ quidquam inferretur, qui in ædibus ejus tutos se futuros esse sperassent. 9. Tum illi, huc ades, inquiunt. Unus ille isque peregrinus judicis partes inter nos aget? immo vero graviora tibi inferemus, atque impetu in Lotum facto accedunt ad fores effringendas: 10. Sed hospites illi manibus porrectis Lotum domum receperunt foresque obserarunt. 11. Oppidanis vero qui foris essent junioribus et senioribus tenebras offuderunt, ut frustra januam quærerent. 12. Lotum vero jusserunt cum suis omnibus, sive generis, sive filiis, sive filiabus urbem relinquere: 13. Se enim hunc locum esse

perdituros, cujus ſcelera vindictam Dei provocarent, atque hunc ipſum in finem ſe a Jova miſſos eſſe. 14. Lotus igitur ſtatim convenit generos ſuos, quibus ejus filiæ deſponſatæ erant, eosque hortatur, ut ſine mora urbem relinquerent, quam Jova eſſet perditurus: Sed videbatur eis jocari. 15. Sub ortum auroræ urgebant angeli Lotum, ut una cum muliere et duabus filiabus egrederetur, ne in urbis judicio periret. 16. Et cum cunctaretur, eum, mulieres, duasque filias manibus prehendunt, quod Jova eis parcebat, atque ex urbe educunt. 17. Eumque hortantur, ne ſi ſalus ſua ipſi curæ eſſet reſpiceret, neque in toto illius regionis tractu ſubſiſteret; ad montem evaderet, ne periret. 18. Quibus Lotus reſpondet: Minime, quæſo, domine, *a*) 19. Agnoſco tuam erga me benevolentiam, et favorem inſignem, quem mihi exhibes, ut me ſalvum eſſe velis: ſed vereor, ſi in montem evadam, ne malo cor-

a) Hoc loco iterum ut in Capite præced. v. 3. mutatio numeri eſt et diverſa lectio in voce אדני quæ ex Maſoretharum lectione nomen Dei eſt, quod etiam *οἱ ὁ* et Chaldæus exprimunt. Sed Vulgatus habet: *domine mi!* h. e. אדֹנִי et Syrus מָרִי *domini mei*, in numero plurali, qui quidem præcedit, ſed in ſequentibus Lotus tantum cum uno agit, ita ut tertius aliquis, cum urbe eſſent egreſſi, acceſſiſſe videatur.

correptus peream. 20. Propinquum eſt oppidulum, ad quod confugiam. Eo evadam, parvum eſt, et ſic ſaluti meæ proſpicietur. 21. Ad hæc ille: etiam hac in re tibi indulgebo, ne eam evertam, 22. dummodo propere eo evadas; neque enim poſſum quicquam facere, donec eo perveneris. Hinc factum eſt, ut hoc oppidum *poſtea* Zoar vocaretur. 23. Cum ſol ortus et Lotus Zoarem eſſet ingreſſus, 24. Jova in Sodomam et Gomorram imbrem ſulphureum et igneum demiſit a Jova e cœlo. 25. Atque evertit has urbes, omnemque tractum finitimum, una cum hominibus et arboribus. 26. Uxor vero Loti cum reſpiceret, *b*) in ſolo ſalſuginoſo hæſit infixa. 27. Poſtridie

b) Perquam probabile eſt, uxorem Loti non ſolum reſpexiſſe, ſed rediiſſe etiam in urbem, quod ex verbis Chriſti Luc. 17, 32. haud obſcure intelligitur. — Sequentia verba וַתְּהִי נְצִיב מֶלַח multi interpretes, antiquiores et recentiores, vel de ſtatua ſalina, in quam iſta mulier converſa ſit, vel de monumento explicant, quod ei a poſteris ex ſale in illa regione ubivis obvio ſit erectum. Sed נְצִיב nunquam alias ſtatuam aut monumentum indicat, ſed מַצֵּבָה. Forma nominis eſt adjectivi, *poſitum*, *collocatum* et תהי נציב idem eſt quod תִּתְיַצֵּב *ſubſtitit*, ſ. paſſive *infixa eſt*. — מֶלַח h. l. *ſolum ſalſum* notat, ut Devt. 29, 22. alias מְלֵחָה. Ad quod ſi ſuppletur præpoſitio בּ, quæ

 fortaſſe

ſtridie Abrahamus mane repetiit locum, ubi cum Jova locutus fuerat. 28. Et cum verſus Sodomam et Gomorram omnemque illam regionem proſpexiſſet, vidit fumum e terra aſcendentem inſtar fornacis. 29. Cum vero Deus urbes illius regionis everteret, amore erga Abrahamum permotus, eduxit Lotum circa has urbes habitantem ex iſto earum interitu. 30. Hic vero præ metu ex Zoare ad montem ſeſe convertit cum duabus filiabus, et in ſpelunca quadam habitavit. 31. Hic natu major cum natu minore egit, ut patrem ſenem, cum nemo eſſet, qui eas rite in matrimonium duceret, 32. vino inebriarent, et deinde cum eo concumberent ad prolem ex eo accipiendam. 33. Igitur patri ſuo illa nocte largius vinum propinant, et natu major cum eo concumbit, qui nihil hac de re ſuſpicabatur, neque cum cubaret, neque cum ſurgeret. 34. Poſtridie natu major narrat juniori, quid feciſſet, hortaturque eam, ut ipſa idem hac nocte faciat. 35. Igitur illa nocte patrem iterum vino obruunt, et junior cum eo concumbit, facti prorſus ignaro.

fortaſſe propter præcedens ב excidit, aptiſſimam habemus explicationem: *ſubſtitit*, ſ. *infixa hæſit in terra ſalſuginoſa*, quam nemo negat etiam per verborum hebræorum conſtructionem admitti poſſe. Plura dabit *Clericus* in Diſſert. de ſtatua ſalina, Commentario in Geneſin adjecta.

ignaro. 36. Ambæ gravidæ factæ sunt ex isto cum patre suo concubitu. 37. Filius quem natu major peperit, Moab est vocatus, ex quo Moabitæ originem deducunt. 38. Filius natu minoris Ben Ammi nominatus est, ex quo Ammonitæ orti sunt. c)

CAPUT XX

Abrahamus Gerare peregrinans Saram uxorem suam esse dissimulat. Ad regem deducitur, qui vero in somnio hac de re admonitus eam Abrahamo liberaliter restituit.

1. Tum Abrahamus exinde profectus versus meridiem,

c) Ex observatione Ill. *Michaelis* ad h. l. multum lucis accipit hæc historia, in qua semper offendi, nec me expedire potui. Nimirum arbitratur Vir ingeniosissimus, Lotum non bona sua omnia in harum urbium interitu amisisse; ipsum quidem Sodomæ habitasse, sed greges cum servis et ancillis pro more Nomadum peragrasse vicinas regiones, et perquam probabile esse, illos eo tempore extra fines harum urbium fuisse. Etenim Lotus cum filiabus suis non ad Abrahamum fratrem suum confugit, quod sine dubio fecisset, si bona sua omnia perdidisset. Ejus filiæ vinum habent, quo patrem inebriant, et ancillis ut pellicibus utitur. Nam his sese filiæ substituebant et hinc Lotus nesciebat, quacum rem habuerit. Ipse existimabat ancillam fuisse, et per ebrietatem errorem s. facti turpitudinem non suspicabatur.

diem, confedit inter Cadefchem et Schurem. Cum vero Gerare peregrinaretur, 2. Saram conjugem fuam, fororem fuam effe perhibebat, unde Abimelechus rex Geraris eam ad fe curavit arceffendam. 3. Tum Deus Abimelecho in fomnio nocturno apparuit, mortemque minatus eft, quod mulierem rapuiffet, quæ maritum haberet. 4. Ad hæc Abimelechus, qui eam non tetigerat, refpondet: o domine, num etiam infontes interficies? 5. Nonne ille dixit eam fororem fuam effe, et hæc illum fratrem fuum fimulavit? animo integro manibusque intemeratis hoc feci. 6. Ad hæc Deus in fomnio refpondet: Equidem novi te animo non malo iftud feciffe, propterea quoque te retinui, ne contra me peccares: neque permifi, ut rem cum ea haberes. 7. Igitur redde viro uxorem fuam, nam propheta eft, et fi pro te intercefferit, convalefces. Quod ni feceris, fcito te tuosque omnes effe morituros. 8. Poftridie Abimelechus fummo mane convocavit aulicos fuos, eisque expofuit omnia; qua de re homines vehementer territi funt. 9. Tum Abimelechus Abrahamum ad fe evocatum fic alloquitur: Quid nobis fecifti? aut quid ego contra te commifi, ut me regnumque meum tanti criminis reos faceres? Certe fecifti mihi quæ non debebas, 10. qui tibi poterant ifta in mentem venire? 11. Cui Abrahamus

hamus respondit: Ego existimabam, nullam esse hoc loco religionem. Verebar igitur, ne me propter mulierem meam interficerent. 12. Atque vere soror mea est ex patre, sed non ex matre, igitur eam duxi in matrimonium. 13. Deinde cum Deus me ex patria mea migrare juberet, rogavi eam, ut hoc mihi beneficii tribueret, ut quocunque venissemus me fratrem esse diceret. 14. Tum Abimelechus Abrahamo non solum pecora, servos et ancillas donavit, sed etiam Saram conjugem suam restituit:. 15. fecitque ei liberam potestatem habitandi, in quacunque terræ suæ parte ipsi videretur. 16. Saræ vero dixit: Dedi mille siclos argenteos fratri tuo, pro quibus velamen faciei tuæ emas, ut cum omnes qui tecum sunt, tum et alii, qui te viderint, intelligant te esse *a*) maritam. 17. Deinde Abrahamus apud

a) Versionem hanc versus hujus difficilis sic probo: 1) הוּא referendum est ad כֶּסֶף non ad אָח. Sic etiam *οἱ ὁ ταῦτα ἔϛαι*, et Vulg. *hoc erit tibi in velamen oculorum.* 2) Ad כְּסוּת עֵינַיִם supplendum est verbum ex contextu: quod argentum *tibi* sit pro velamine, h. e. eme tibi velamen. Antiquissimis temporibus mulieres tantum velamine vultum occultabant, non virgines, uti nunc in oriente omnes de sexu muliebri. 3) לְכֹל אֲשֶׁר אִתָּךְ: omnes qui tecum sunt, h. e. tui, qui te jam norunt. 4) וְאֵת

apud Deum precibus suis effecit, ut Abimelechum, mulierem ejus et pellices sanaret, eisque pariendi facultatem restitueret, 18. quam omnibus propter Saram Abrahami mulierem ademerat.

CAPUT XXI

Nascitur Isaacus. Ismael cum Hagare matre sua ex voluntate Saræ ab Abrahamo dimittitur. Hagar et Ismael errantes in deserto et siti fere extincti recreantur ex fonte, quem angelus eis monstrat. Quo facto Ismael in deserto Pharan educatur. Abraham cum Abimelecho Philistæorum rege fœdus pangit, et complures annos in illa regione commoratur.

1. Tandem Jova Saræ, quæ dederat promissa, implevit. 2. Peperit Abrahamo filium dicto a Deo tempore, 3. quem Abrahamus Isaacum vocavit, 4. atque octavo die, quemadmodum Deus præceperat, circumcidit. 5. Compleverat vero Abrahamus annum centesimum ætatis suæ, cum ei Isaacus filius nasce-

i. q. ל in antecedentibus: et *apud* omnes alios, ad quos scilicet Sara erat ventura. 5) In וְנִכְחַת Vau delendum videtur, neque οἱ ό, Vulgatus, Syrus illud exprimunt. Est vero נֹכַחַת 2da fœm. præt. in Niphal a יכח, quod in Niphal ut in Hiphil est: *demonstrare*. Posset etiam τῷ Niphal significatio τῷ Hithpael tribui, quam sæpe habet, hoc sensu: ut temet ipsa demonstres, qualis sis fœmina, nempe marita, non virgo.

nascerctur. 6. Sara vero dixit: risum mihi Deus paravit, *a*) ut qui de eo audiverit, mecum sit risurus. 7. Quis unquam, addebat, Abrahamo dixisset, Saram liberos esse lactaturam? Attamen ei seni filium peperi. 8. Deinde cum puer Isaacus ablactandus esset, Abrahamus magnum paravit convivium. 9. Qua occasione animadvertebat Sara, filium Hagaris Aegyptiæ, quem Abrahamo peperisset, *Isaacum* ridere. *b*) 10. Propterea postulavit, ut ancillam cum filio suo domo ejiceret, quod hic non sit heres futurus cum filio suo Isaaco. 11. Hoc vero Abrahamo vehementer displicuit, *inprimis* propter filium suum. 12. Deus vero eum monuit, ne nimium de puero et ancilla esset sollicitus; faceret modo omnia, quæ Sara dixisset, nam ex Isaaco posteros promissos ei futuros esse. 13. Attamen etiam filium ancillæ gentis auctorem esse evasurum, quod ejus esset filius.

14.

a) Respicit ad historiam Cap. 18, 10 — 15. et innuit se jam intelligere, eum qui ipsam ob risum reprehendisset, non hominem sed Deum fuisse. In verbo צחק est ambiguitas, quam, nescio an recte, in versione expressi. Nam Sara illum aliorum risum non de irrisione, sed de lætitia et congratulatione intelligit. Quod *οἱ ό* recte per *συγχαίρεσθαι* *gratulari* explicant. Syrus et Onkelos per חדא *lætari.*

b) Hoc *οἱ ό* addunt: *παίζοντα μετὰ Ισαὰκ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς*, et Vulgatus: *ludentem cum Isaaco filio suo.*

14. Poftridie Abrahamus mane panes et utrem aquæ
Hagaris humeris impofuit eamque cum puero dimi-
fit: illa vero in itinere per defertum Berfcheba a
via aberravit. 15. Aqua ex utre confumta, depo-
fuit puerum fub arbufculum. 16. Ipfa vero confe-
dit e regione ad teli jactum, ne morientem puerum
videret, et acerbe ploravit. 17. Tum Deus preci-
bus pueri permotus, Hagarem per angelum e cœlo
nomine fuo compellavit: quid agis? inquit, bono
animo fis. Deus vocem pueri ex eo loco ubi eft,
audivit. 18. Age jam, tolle eum et ducem te
ei præbe, auctorem magnæ gentis eum efficiam.
19. Oftendit ei deinde puteum, ex quo utrem aqua
replevit, pueroque bibendum dedit, 20. qui Deo
juvante adolevit et in folitudine habitavit, factus-
que eft fagittarius. 21. Vixit vero in deferto Pha-
ran, et mater ei uxorem Aegyptiam duxit. 22. Eo-
dem tempore Abimelechus cum Phichole duce exer-
citus fui convenerunt Abrahamum, atque *ille* his ver-
bis eum eft allocutus: Deus tibi adeft in omnibus
quæ fufcipis. 23. Jam igitur jura mihi per Deum hoc
ipfo in loco, te non mutaturum effe amicitiam erga
filium meum et nepotem, fed eadem benevolentia
ufurum erga me et hanc terram, qua te in ea pere-
grinum excepi. 24. Ad hæc Abrahamus, jurabo,
inquit, 25. fimul vero conqueftus eft erga Abime-
lechum

lechum de puteo, quem servi ejus ipsi eripuissent. 26. Tum Abimelechus, nescio, inquit, quis id fecerit, neque tu mihi hoc indicasti, equidem totius rei usque ad hoc tempus ignarus fui. 27. Deinde Abrahamus tradidit Abimelecho oves et boves, et sic fœdus inter eos initum est. 28. Septem vero agnas Abrahamus seorsim collocaverat. 29. Et cum Abimelechus ex eo quæreret, quem in finem fecisset: 30. Respondit: tu quidem has septem agnas a me accipere debes, ut eo certius constet, me hunc puteum fodisse. 31. Hinc ille locus nomen Bersebæ accepit, quia utrique ibi jurejurando interposito fœdus pepigerant. 32. Quibus rebus confectis Abimelechus et Phichol, dux ejus exercitus, in Palæstinam reverterunt. 33. Abrahamus vero Bersabæ tamariscos c) plantavit, et sacra Jovæ Deo æterno fecit, 34. omninoque diu in Palæstina commoratus est.

CAPUT XXII

Jubet Deus Abrahamum sibi immolare Isaacum ejus filium. Quod cum Abrahamus sine recusatione facere vellet, in ipso facto impeditur et novas accipit promissiones. In fine recensentur nonnulli ex posteris Nachoris fratris Abrahami.

1. Posthæc Deo visum est, Abrahami *fidem* tentare. 2. Propterea eum his verbis est allocutus: Proficiscere

c) vid. *Celsius* in Hierobot. Tom. I. p. 534.

fcere cum filio tuo unico tibique cariffimo Ifaaco in regionem Moriam, ibique eum in monte quodam, quem tibi oftendam, immola. 3. Abrahamus mane furrexit atque afino clitellato, affumtis etiam duobus fervis et Ifaaco filio, fiffis quoque lignis facrificio adhibendis profectus eft ad locum, de quo Deus ei dixerat. 4. Tertio die vidit locum e propinquo. 5. Tum juffit, ut fervi cum afino remanerent, fe cum puero ad illum locum effe abiturum precandi caufa, mox ad eos rediturum. 6. Deinde facrificii ligna Ifaaco filio fuo impofuit, et fic ipfe ignem et cultrum manu tenens, fimul eunt. 7. Tum Ifaacus patrem fuum interrogans dixit: ignis quidem et ligna adfunt, mi pater, ubi vero agnus eft facrificii? 8. Ad hæc Abrahamus refpondet: ipfe Deus fibi providebit agnum facrificii, mi fili: et fic pergunt utrique. 9. Cum veniffent in locum a Deo indicatum, Abrahamus exftructo altari lignisque difpofitis, conftrinxit Ifaacum filium fuum, eumque in altari lignis impofuit. 10. Jam manu cultrum tenebat, et in eo erat, ut filium fuum mactaret, 11. cum angelus Jovæ ei ex cœlo acclamaret: Abrahame, Abrahame! Cui ille, adfum. 12. Noli, inquit, manum tuam puero inferre, nec quicquam contra eum committere. Jam enim pietas tua fatis mihi explorata eft, quod nec filio tuo unico mea caufa

peper-

pepercisti. 13. Tum Abrahamus, cum reſpiceret, videt arietem in dumo hærentem, quem loco filii ſui immolavit. 14. Locum vero illum vocavit: Jova Jireh (Jova providebit). Inde etiamnum in proverbio dicitur: In monte Jovæ (Jeraeh) providebitur. 15. Tum altera vice Jovæ angelus Abrahamum his verbis e cœlo eſt allocutus: 16. Per me juravi, inquit Jova, quoniam ne filio quidem tuo unico pepercisti, 17. te feliciſſimum efficiam. Poſteros tuos augebo, ſicuti ſtellas cœli, ſicuti arenam ad maris littora. Hoſtiumque ſuorum oppida occupabunt. 18. In uno quodam poſterorum tuorum ſeſe beatas exiſtimabunt omnes gentes, *a*) quoniam mihi morem

a) Hic eſt ille locus, quem Paulus Gal. 3, 16. de Chriſto explicat. Argumentationem ex verbis textus הִתְבָּרְכוּ בְזַרְעֲךָ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ Ill. *Michaelis* recte uti arbitror, hunc fere in modum inſtituit: *Sibi benedicere in aliquo* nihil aliud eſt, quam per et propter aliquem Dei amorem aut beneficia divina ſperare. Hanc vero ſpem concipere debent *omnes gentes in* ſ. *a ſemine* Abrahami. — Sub *ſemine Abrahami* poſſunt quidem omnes ejus poſteri intelligi, ut in præcedenti verſu, ſed non in his verbis, quia aliæ gentes e. c. Cananiticæ *in* et *per* Abrahami poſteros ſeſe minime felices exiſtimare potuerunt. Ex quo ſequitur, vocabulum *ſemen* h. l. de uno aliquo ex poſteris Abrahami accipiendum eſſe, et ſic Paulus eſt interpretatus. Quæ-

morem gessisti. 19. Quo facto rediit Abrahamus ad servos suos, omnesque una Bersebam profecti sunt, ubi Abrahamus habitabat. — 20. Posthæc Abrahamo nuntiatum est, Milcam Nachori fratri ejus peperisse,

Quæritur igitur, quænam sit illa persona singularis, a qua tantam felicitatem sperare poterant? Non Isaacus, non Jacobus, quibus hæc ipsa promissio repetita est Cap. 26, 4. et 28, 14. Multo minus hoc de Jacobi filiis aut de ullo posterorum ejus cum veri quadam specie potest probari. Tantum in Jesu Nazareno hæc promissio impleta est, *a quo* et *per* quem h. e. fide in ipsum omnes nationes, quæ quidem ejus notitiam acceperunt, sese beatas, h. e. divinæ gratiæ participes existimant, quod quidem est, quod Paulus *credere* vocat. — Secundum hanc argumentationem non diversa mihi videtur, quod tamen Ill. *Michaeli* placet, promissio jam antea Cap. 12, 3. Abrahamo facta. Quanquam enim in hoc loco *seminis* s. posterorum ejus mentio non fit, tamen ei promittitur *felices per eum futuros omnes terræ nationes.* Quod in ipso Abrahamo, quomodo impletum sit, ego quidem non intelligo. Neque מִשְׁפְּחוֹת הָאֲדָמָה tantum eæ regiones esse possunt, in quibus Abrahamus peregrinabatur, quod nonnullis interpretibus in mentem venit. Etenim in eodem capite narratur vers. 10. seqq. fame in illa regione orta Abrahamum coactum esse in Aegyptum abire. Atque cap. 28, 14. legimus Jacobo eandem promissionem iisdem verbis repetitam esse, addito וּבְזַרְעֶךָ explicandi causa, *nempe in semine tuo.*

periſſe, 21. Uzum primogenitum, Buſum et Kemuelem patrem Arami, 22. Ceſedum, Chaſoum, Pildaſchum, Jidlaphum et Bethuelem, 23. qui pater fuit Rebeccæ: quos octo omnes Milca peperit Nachori Abrahami fratri. 24. Pellicem habuit nomine Ramam, quæ peperit Tebachum, Gachamum, Tachaſchum et Maacham.

CAPUT XXIII

Sara moritur et ſepelitur in ſpelunca, quam Abrahamus ab Ephrone pretio ſoluto emit.

1. Exactis centum et quadraginta ſeptem annis, 2. Sara mortua eſt in urbe Arba, quæ deinde Hebron vocata eſt in terra Cananæa. 3. Quam cum pro more Abrahamus luxiſſet, egit cum Chetitis hunc in modum: 4. Peregrinus ſum et advena inter vos, date mihi locum ſepulturæ, ut mortuum meum poſſim ſepelire. 5. Ad hæc Chetitæ Abrahamo reſpondent: 6. Audi nos, domine, te ut principem eximium veneramur: in optimo ſepulcrorum noſtrorum potes mortuum tuum condere, nemo noſtrum ſuo te ſepulcro prohibebit. 7. Tum Abrahamus aſſurrexit et ſubmiſſe ſalutavit Chetitas, 8. dixitque: Si velitis mihi permittere, ut mortuum meum ſepeliam, intercedite pro me apud Ephronem Zocharis filium, 9. ut mihi ſpeluncam Machpelam,

quæ eſt in extremo fundi ſui, juſto pretio vendat, qua pro ſepulcro inter vos utar. 10. Tum Ephron, qui inter alios Chittæos ſedebat, reſpondit Abrahamo audientibus omnibus urbis civibus. 11. Audi quæſo, domine, dono tibi fundum et ſpeluncam quæ in eo eſt, præſentibus meis popularibus, in qua oſſa mortui tui condas. 12. Abrahamus, poſtquàm iterum eos qui aderant ſubmiſſe ſalutaverat, 13. Ephroni dixit, rogo ut pretium fundi ſoluta pecunia accipias; et ſic ibi condam oſſa uxoris meæ. 14. Tum hic Abrahamo: 15. Audias quæſo, domine, pretium fundi ſunt quadringenti ſicli argentei; ſed non opus eſt, ut hos mihi ſolvas. 16. Sed Abrahamus appendit Ephroni ſtatutum ab eo audientibus omnibus pretium quadringentorum ſiclorum argenteorum, et á mercatore ſignatorum. 17. Sic ceſſit fundus ille Ephronis, qui Machpelæ eſt e regione Mamræ, una cum ſpelunca et arboribus quæ in agro erant, omnibusque ejus ſinibus, 18. Abrahamo in poſſeſſionem præſentibus Chetitis, *nempe* incolis urbis. 19. Qui deinde Saram conjugem ſuam in illa ſpelunca ſepeliit, quæ eſt in fundo Machpelæ e regione Mamræ, quæ jam Hebron vocatur. 20. Sic fundus ille, cum ſpelunca quæ in eo eſt, Abrahamo ut ſepulcrum ei proprium a Chetitis eſt addictus.

CAPUT

CAPUT XXIV

Abrahamus mittit servum in Mesopotamiam ad uxorem Isaaco inde petendam; qui itinere feliciter peracto Rebeccam ad Isaacum reducit, quam hic in matrimonium accipit.

1. Cum vero Abrahamus consenuisset, et Jova eum omnis generis bonis cumulasset: 2. dixit servo suo primario, quem rei familiari præfecerat: jura mihi, subjecta femori meo dextra tua, 3. per Jovam Deum cœli et terræ, te non collocaturum filio meo Isaaco uxorem ex fœminis Cananitis, inter quas habito: 4. sed te hujus rei causa in patriam meam esse profecturum. 5. Ad hæc servus respondet: quid? si nolit mulier me in hanc terram sequi? num potero reducere filium tuum in terram e qua migrasti? 6. Minime vero, inquit Abrahamus. 7. Sed *certo scio*, Deum cœli conditorem, qui me paternam domum terramque patriam relinquere jussit, et jurejurando interposito mihi posterisque meis hanc terram promisit, angelo suo tibi esse adfuturum, ut inde filio meo uxorem capias. 8. Quodsi noluerit femina te sequi, jurejurando hoc eris solutus: Cave modo tibi, ne filium meum eo reducas. 9. Igitur juravit servus eo modo, quo Abrahamus dixerat. 10. Deinde cum decem camelis heri sui onustis rebus omnis generis pretiosissimis profectus est in Me-

ſopotamiam in urbem, in qua Nachor habitabat.
11. Quo cum veniſſet atque camelos foris extra
urbem ad puteum recumbere juſſiſſet, tempore ve-
ſpertino, quo puellæ aquatum egredi urbe ſolebant,
12. hunc in modum eſt precatus: o Jova Deus do-
mini mei Abrahami, fac pro tuo erga dominum
meum Abrahamum amore, ut mihi jam, *quam quæ-
ro*, occurrat. 13. Ego ad hunc fontem conſtitutus,
ad quem puellæ urbis aquatum accedent, 14. roga-
bo unam forte obviam, ut mihi e cado ſuo biben-
dum præbeat. Quæ ſi dixerit: bibe, camelis tuis
etiam bibendum dabo, ea ſit, quam Iſaaco tuo de-
ſtinaſti, atque ex eo intelligam, te domino meo fa-
vere. 15. Antequam precandi finem feciſſet, venit
Rebecca filia Bethuelis ex Milca conjuge Nachoris
fratris Abrahami cum cado in humero ſuo. 16. Erat
vero puella admodum pulcra et virgo. Hæc deſcen-
dit ad fontem et implet cadum ſuum. Cum aſcen-
diſſet, 17. properat ei obviam ſervus, rogatque
ut aquæ paullum ex cado ſuo bibendum præberet.
18. Illa vero, bibe, inquit, domine, et ſtatim ca-
dum demittit in manum et bibendum ei offert.
19. Et cum bibiſſet, addebat, camelis tuis etiam
hauriam eosque omnes adaquabo. 20. Et ſtatim ef-
fundit cadum in aquarium et recurrit ad puteum et
haurit tantum, quantum omnibus camelis aquandis
ſuffi-

sufficiebat. 21. Homo vero tacitus eam admirabatur, dubius adhuc, num Jova iter suum prosperaret, nec ne. 22. Postquam vero omnes cameli biberant, dedit puellæ aureum nasi annulum *a*) dimidii sicli pondo duasque manuum armillas, quarum pondus erat decem aureorum siclorum. 23. Simul eam interrogavit cujus filia esset, num posset in ædibus patris ipsius pernoctare. 24. Illa vero respondit, se filiam esse Bethuelis, Milcæ et Nachoris filii. 25. Straminis et pabuli multum esse apud ipsos, nec locum deesse ad pernoctandum. 26. Tum homo Deum supplex veneratus, 27. Laudetur, inquit, Jova, Deus domini mei Abrahami, quod constanter pergit ei favere meque ad ejus familiam perduxit. 28. Interea properat puella ad matrem, et rem enunciat. 29. Frater Rebeccæ, Laban, festinat ad hominem foris ad puteum, 30. cum vidisset annulum et armillas in sorore sua et audisset, quæ

a) נֶזֶם est annulus vel nasi vel auris. Hujus quidem significationis exemplum infra occurrit Cap. 35, 4. Sed h. l. *nasi annulum* esse, ex versu 47. plane apparet. Neque de usu hujusmodi annulorum amplius dubitari potest post diserta *Petri de la Valle* et *Arvieusii* testimonia. Erudite, uti solet, de vera hujus vocis significatione egit Celeb. *Ravius* in Differt. quæ inscripta est: Observatt. ad varia V. T. loca p. 32.

quæ cum ea effet collocutus; eumque offendit adhuc ad camelos juxta puteum. — 31. Poftquam eum humaniffime falutarat, rogat, ne foris ftaret, paratum jam effe locum camelis ejus. 32. Introducit *b*) igitur hominem domum, detrahit camelis clitellas eisque ftramen dat et pabulum; homini vero eisque quos fecum habebat, aquam offert ad pedes lavandos. 33. Tum cibi apponuntur. Sed fervus negat fe cibum effe capturum, nifi prius mandata fua expofuiffet. *c*) Quod cum ei effet conceffum, 34. hunc in modum verba fecit: Ego fum fervus

b) In textu legitur וַיָּבֹא fed legendum videtur in Hiphil. Attamen folus vulgatus interpres habet: *introduxit eum in hofpitium.* Oἱ ό, Syrus et Chaldæus cum recepta lectione confentiunt, quæ etiam defendi poteft. Conftat enim fcriptores hebræos non folere femper fatis ἀκριβεῖς effe in nectendis propofitionibus. Sæpe omittunt nominativum ex contextu fupplendum. Sic h. l. ad alterum membrum nomen *Labanis* repetendum eft: *Ingreffus eft vir domum, Laban vero detrahit camelis clitellas* etc.

c) Solebant veteres poft cœnam demum hofpites rogare, cur adveniffent, quod *Clericus* pluribus teftimoniis ex Homero illuftrat. Atque idem narrat *Arviofius* in relatt. fuis de Arabibus P. III. p. 14. verf. germ. Sed fervus Abrahami, qui jam felicem fucceffum negotii fui ex eo quod factum erat ominabatur, noluit diu expectare, fed cupit quam primum mandata fua exponere.

servus Abrahami: 35. Hunc herum meum Jova vehementer opibus auxit, pecorisque et armenti, argenti, auri, servorum, ancillarum, camelorum et asinorum magnam copiam dedit. 36. Huic] hero meo Sara conjux ejus filium peperit ætate jam provecta, quem heredem ex asse constituit. 37. Me vero jurejurando obstrinxit, ne filio suo uxorem ducerem ex Cananitis, quorum in terra habitaret: 38. Sed ex familia patris sui, ad quam mihi hunc in finem iter sit suscipiendum. 39. Cum ego hero meo responderem, mulierem fortasse me non esse secuturam, 40. Is mihi affirmavit, Jovam, quem coleret, mihi per angelum suum esse adfuturum et felices successus largiturum, ut ex familia patria possem ejus filio uxorem ducere. 41. Quod si mihi ab ea denegaretur, tum me a jurejurando liberum fore. 42. Ego igitur cum hodie ad fontem venissem, hunc in modum precatus sum: o Jova, Deus heri mei Abrahami, utinam tibi placeret iter meum prosperare! 43. Consisto jam ad hunc puteum. Rogabo puellam, quæ huc aquatum veniet, ut mihi paululum aquæ ex cado suo bibendum præbeat. 44. Si responderit: bibe, camelis tuis quoque hauriam, hæc sit mulier, quam heri mei filio destinasti. 45. Antequam ego has animi mei cogitationes absolvissem, venit Rebecca cadum ferens, descendit ad puteum:

cum hausisset, rogavi eam ut bibendum mihi praeberet. 46. Illa statim cadum demittebat, potum offerebat, et camelos quoque aquandos suscipiebat. Quod utrumque cum factum esset, 47. eam interrogabam, cujus filia esset? Respondebat se esse filiam Bethuelis, filii Nachoris et Milcae. Tum ego eam nasi annulo et armillis donavi, 48. et supplex veneratus sum Jovam gratiasque egi Deo heri mei Abrahami, qui me recta huc duxisset, ut neptem fratris heri mei ejus filio uxorem ducerem. 49. Jam vero mihi indicetis rogo, num velitis hunc favorem et benevolentiam hero meo exhibere, nec ne, ut alio me convertam. 50. Ad haec Laban et Bethuel respondebant: *d*) haec res a Deo venit, non possumus ei ullo modo repugnare. 51. Potes igitur Rebeccam ut mulierem filii heri tui tecum deducere, quae ipsa Dei voluntas esse videtur. 52. Quod cum audiret servus Abrahami, humi suppliciter Jovam

d) Dignum est observatu, quod in tota hac historia *fratris* partes potiores sunt, non patris, cujus tantum in hoc versu mentio fit. Videntur omnino apud Hebraeos fratres sororum suarum tuendarum jus habuisse. Aliud exemplum est in filiis Jacobi Cap. 34. et Jud. 21, 22. locus est inprimis clarus. *Arviosius* l. c. p. 263. auctor est, Arabes mulierum adeo suarum laesum honorem non tam aegre ferre quam sororum. cf. *Niebuhrius* in descriptione Arabiae p. 31. seqq. et *Michaelis* in Jure Mosaico Tom. V. p. 253.

vam veneratus est: 53. et protulit vasa argentea et aurea et vestes, quæ dono dedit Rebeccæ, fratri vero et matri alia pretiosa munera *e)* dedit. 54. Deinde cœnarunt cum ipse, tum ejus comites. Postridie mane rogavit, ut eum ad herum suum dimitterent. 55. Attamen, cum frater puellæ et mater ejus optarent, ut puella apud ipsos annum aut decem menses *f)* maneret, et deinde cum eo proficiscere-

e) מִגְדָּנוֹת quid proprie indicet, incertum est. Probabiliter *fructus arefacti*, *aut aromata*, de illis Syriacum מַגְדָּא dicitur. cf. *Faber* ad Harmarum P. II. p. 425.

f) Sic verti יָמִים אוֹ עָשׂוֹר Sed dubito num recte. Οἱ ὁ habent ἡμέρας ὡσεὶ δέκα. Vulgatus : *dies saltem decem*, Sed אוֹ nunquam alias significat *certe*, *saltem*, neque particulæ sic inter adjectiva et substantiva ponuntur. Dura quoque videtur ellipsis τῦ חֹדֶשׁ post עָשׂוֹר et quam parum, quæso, credibile est Labanem hoc respondisse homini, qui eo ipso die proficisci volebat? Quod dicunt, tantum temporis spatium concessum fuisse inter desponsationem et nuptias, (coll. Jud. 14, 8.) Abrahami temporibus nondum moribus videtur receptum. Servus enim non tam urgere potuisset reditum suum, neque Laban et parentes Rebeccæ tam faciles sese præbuissent in concedendo. Lectio textus recepta utique videtur in mendo cubare, ex Cod. Sam. et versione Syriaca fortasse restituenda. Ille habet ימים חודש hæc ܝܘ̈ܡܬܐ ܝܪܚܐ quam lectionem *Hubigantius* sequen-

fceretur. 56. Ille, nolite me morari, inquit, Jova felices itineri meo fucceffus dedit; permittite igitur, ut ad herum meum revertar. 57. Tum illi, advocemus igitur puellam, ut ejus fententiam audiamus. 58. Quæ cum adeffet, rogant eam, num velit cum homine ifto difcedere? Illa vero fe velle refpondet. 59. Dimiferunt igitur Rebeccam fororem fuam una cum nutrice ejus g) et fervo Abrahami ejusque comitibus, 60. eamque piis votis profecuti funt: Proles tua, o foror noftra, inquiebant, crefcat in mille myriadas, et pofteri tui occupent hoftium fuorum portas. 61. Igitur Rebecca et ancillæ ejus camelis equitantes cum viro illo profectæ funt. 62. Ifaacus vero redierat a puteo h) Lechairoi. Confederat enim in tractu

fequendam cenfet: *maneat puella nobiscum menfem totum, poftea proficifceris.*

g) Cujus nomen fuit Debora. Cap. 35, 8. narratur eam a Jacobo fepultam effe.

h) Laborant interpretes in verbis textus בָּא מִבּוֹא Sed facilis videtur explicatio, quam Aben Efra dedit a *Münftero* citatus, ut fit מִבּוֹא nomen verbale cum præpofitione *venit a venire*, h. e. ex itinere rediit. Quem fenfum etiam Syrus, Onkelos et Arabs indicarunt. Neque fufpecta mihi videtur lectio recepta propter lectionis varietatem, quæ eft in Codice Samaritano בא במדבר quem etiam οἱ ὁ, uti folent, fecuti funt: Ισαὰκ διεπορεύετο τῆς ἐρήμου κατὰ τὸ Φρέαρ κ. λ.

tractu meridionali, 63. et cum circa vesperam deambulatum *i*) exiisset, vidit camelos venientes. 64. Rebecca vero Isaacum conspicata desilit de camelo, 65. et servum interrogat, quis ille esset, qui eis obviam veniret. Cum servus responderet, hunc esse herum suum, sumto flammeo sese obvelat. 66. Tum servus Isaaco enarrat omnia quæ gesta essent. 67. Isaacus vero introduxit Rebeccam in tentorium Saræ matris suæ, et cum ea matrimonium init, doloremque, quem ex morte matris suæ conceperat, in ejus amore lenit.

CAPUT XXV

Abrahami ex Ketura liberi et mors. Ismaelis posteri. Incipit Isaaci historia. Rebecca primum sterilis, parit tandem Esavum et Jacobum. Horum mores diversi. Ille huic vendit jus primogenituræ.

1. Abrahamus deinde aliam uxorem duxit nomine Ketura,

i) לָשׂוּחַ Male a Vulgato *ad meditandum in agro*, sive *ad precandum*, secundum Onkelosium et multos alios. Recte Syrus לְמִהְלְכוּ *ad deambulandum*. Quam primariam verbi significationem probavit *Schultensius* ad Jobum Cap. 10, 1. et ad Proverbia 6, 22. Hinc שִׂיחַ *frutex* in terra exspatians s. serpens. Quæ physica verbi significatio translata deinde est, ut in innumeris aliis, ad *cogitationes* et ad *sermones*.

Ketura, 2. quæ ei peperit Simranum, Jokſchanum, Medanum, Midianum, Jiſchbakum et Schuachum. 3. Jokſchan genuit Schebaum et Dedanem, ex quo Aſchuræi, Letuſchæi et Leumnæi originem habent. 4. Filii Midianis fuerunt Epha, Epher, Chanoch, Abidah et Eldaa. Qui omnes poſteri ſunt Keturæ. 5. Abrahamus vero bona ſua omnia dedit Iſaaco. 6. Filios vero concubinarum muneribus donatos, cum adhuc in vivis eſſet, dimiſit a filio ſuo Iſaaco in regionem orientalem. 7. Vixit autem omnino Abrahamus centum et ſeptuaginta quinque annos. 8. Sic e vita diſceſſit admodum ſenex et mori non detrectans ad populares ſuos aggregatus eſt. *a*) 9. Sepeliverunt eum Iſaacus et Iſmael filii in ſpelunca Machpelah, in fundo Ephronis Zocharis filii Chittæi, qui eſt e regione Mamre. 10. Quem fundum Abrahamus emerat a Chittæis atque in eo cum ipſe, tum Sara uxor ejus eſt ſepulta. 11. Mortuo Abrahamo

a) Poſt שֶׁבַע legendum eſt יָמִים non ſolum ex auctoritate Cod. Sam. et verſionum omnium, ſed etiam quinque Codd. a *Kennicotio* collatorum, qui præterea auctor eſt (in Diſſ. II. p. 174. verſ. lat.) extare illud ימים in paraphraſi Chaldaica non impreſſa. Sic quoque legitur Job. 42, 17. — Pro עַמָּיו legitur עַמּוֹ in Cod. Sam. et verſione græca. Sed utrumque videtur in uſu fuiſſe. cf. Deut. 32, 50. Num. 32, 2. et 27, 13.

hamo Deus favere perrexit ejus filio Isaaco, qui juxta puteum Lechairoi habitavit. — 12. Hæc est genealogia Ismaelis, filii Abrahami, quem ex Hagare Aegyptia Saræ ancilla sustulit: 13. Nomina filiorum Ismaelis secundum diversas suas generationes sunt hæc: Primogenitus Nebajoth, Kedar, Adbeel, et Mibsam. 14. Mischma, Duma et Massa. 15. Chalad, Tema, Jedur, Nabisch et Kedma. 16. Qui omnes sunt filii Ismaelis, atque horum posteri iisdem nominibus distincti in casis et mapaliis *b*) sub ducibus duodecim degunt. 17. Ipse vero Ismael anno ætatis suæ centesimo trigesimo septimo diem suum obiit. 18. Posteri vero ejus habitant a Chavila usque ad Schurum, contra Aegyptum, versus Assyriam; consanguineis suis ab oriente. *c*) — — 19. Sequitur historia *d*) Isaaci filii Abrahami. 20. Quadragesimum ætatis

b) טִירָה vulgo *castella*. Sed h. l. non satis apta videtur hæc significatio, quod Ismaelitæ talia exstruxisse non probabile est. *Faber* in Archæologia Hebr. p. 164. *casas* s. *mapalia* diversas a tabernaculis (Hüttendörfer) intelligit.

c) Fuerunt posteri Ismaelis Nomades, qui has regiones non in certis s. fixis sedibus habitabant, sed cum gregibus suis peragrabant in duodecim tribus divisi, quarum quæque suum principem habebat, quales hodienum Arabes scenitæ habent, *Emirs* dictos.

d) cf. Cap. 6, 9.

ætatis ſuæ annum agebat Iſaacus, cum Rebeccam in matrimonium duceret, quæ filia erat Bethuelis Syri e Meſopotamia et ſoror Labanis Syri. 21. Sed cum ſterilis eſſet, interceſſit pro ea apud Jovam precibus, atque impetravit etiam ut conciperet. 22. Cum vero fœtus in utero confligarentur, doluit per impatientiam, ſeſe gravidam factam eſſe, abiitque conſultum Jovam. 23. A quo hoc reſponſum tulit: duæ gentes ſunt in utero tuo, duæque nationes ex te oriuntur. Altera altera erit potentior, et potentior ſerviet impotenti. 24. Completo autem partus tempore enixa eſt gemellos. 25. Qui prior exiit, rufus erat, totusque uti pallium hirſutus, qui propterea Eſavus (obtectus) vocatus eſt. 26. Poſt eum frater prodit, qui manu ſua calcem Eſavi tenebat, hinc nomen Jacobi accepit. Iſaacus annum agebat ſexageſimum, cum hi ejus filii naſcerentur. 27. Pueri vero poſtquam adoleverant, Eſavus venationi operam dedit, in agris continuo verſans, Jacobus vero mitioris erat naturæ, vitam paſtoritiam præferebat. 28. Iſaaco quidem Eſavus carior erat, quod carne ejus ferina delectabatur, Rebeccæ vero Jacobus. 29. Aliquando cum Eſavus feſſus rure rediret, coxerat Jacobus pulmentum. 30. Tum ille hunc rogat, ut ipſi daret de cibo illo perquam ruſo, ſe enim valde eſſe delaſſatum. (hinc etiam Edomi, h. e. rufi

nomen

nomen accepit.) 31. Jacobus postulavit, ut ei prærogativas primogenituræ venderet. 32. Respondet Esavus: en brevi mihi erit moriendum, quid illa ætatis prærogativa mihi prodest? 33. Jacobus porro postulabat, ut hoc ei jurejurando confirmaret. 34. Quod cum fecisset, dedit ei Jacobus panem et pultem illam e lentibus confectam. Sic cibo et potu recreatus rus iterum exiit, parvi æstimans ætatis suæ privilegia.

CAPUT XXVI

Isaaci Geraræ commoratio, ubi repetitas a Deo accipit promissiones. Dissimulat Rebeccam uxorem suam esse, sed falsi convincitur. Agriculturæ operam dat. Contentiones cum Philistæis pastoribus de fontibus. Abimelechus rex Philistæorum fœdus cum eo pangit. Esavi matrimonium cum duabus Cananitis parentibus ingratum.

1. Orta vero fame in ea regione, quæ diversa fuit ab ea fame, quæ antea temporibus Abrahami fuerat: a) Isaacus abiit ad Abimelechum Philistæorum regem Geraram. 2. Ibi ei Jova apparuit atque sic cum eo est locutus: Noli in Aegyptum descendere, mane in hac terra, uti antea tibi jam præcepi. 3. Vive in ea ut peregrinus. Tibi adero et benefaciam. Tibi, hoc est, posteris tuis totam hanc terram

a) cf. Cap. 11, 10.

ram dabo possidendam: Nam implebo promissa, quæ Abrahamo patri tuo dedi jurejurando interposito. 4. Augebo posteros tuos uti stellas cœlestes, his omnes has regiones addicam: Atque in uno quodam posterorum tuorum sese felices existimabunt omnes nationes. *b*) 5. Propter obedientiam, quam mihi Abrahamus præstitit in omnibus meis præceptis, institutis et legibus. 6. Mansit igitur Jacobus Geraræ. 7. Ibi cum illius loci incolæ interrogarent de uxore ejus, eam sororem suam esse dixit. Verebatur enim, ne, si uxorem esse dixisset, ab illis propter eam, quoniam Rebecca formosa erat, interficeretur. 8. Cum vero diutius ibi commoraretur, accidit ut Abimelechus rex Philistæorum per fenestram videret Isaacum cum Rebecca paullo liberius jocantem. 9. Tum ille eum arcessivit et interrogavit, cur simulasset eam sororem suam esse, quæ tamen sit ejus uxor? Respondit Isaacus se veritum esse, ne propter eam in vitæ discrimen veniret. 10. Sed reprehendit eum propterea Abimelechus: fieri enim potuisset, inquiebat, ut aliquis cum ea concumberet, cujus criminis tu sic auctor fuisses. 11. Deinde edixit universo populo sub capitis pœna, ne quis Isaacum aut uxorem ejus ulla injuria afficeret. — — 12. Cum Isaacus eo anno se-

men-

b) cf. Cap. 22, 18.

mentem fecisset, fructus percepit centuplos c) ex Dei beneficio, 13. atque magis magisque crescebat, ita ut opulentissimus fieret. 14. Habebat multos pecoris et armenti greges, tantamque familiam, ut ei Palæstini inviderent, 15. et omnes puteos, quos servi patris sui Abrahami effodissent, obstruerent. 16. Ipse Abimelechus jussit eum discedere, quod ipsis longe esset potentior. 17. Discessit igitur Isaacus atque tentoriis suis in valle Gerarensi positis ibi consedit, 18. omnesque puteos a patre suo Abrahamo effossos, obstructos vero a Philistæis post mortem ejus denuo effodit, et nomina eis imposuit eadem, quæ pater ejus olim eis dederat. 19. Cum vero servi ejus in ista valle fodissent, fontemque invenissent aquæ vivæ, 20. contendebant super eo pastores Gerarenses cum Isaaci pastoribus, suamque eam aquam esse dicebant:

c) מֵאָה שְׁעָרִים *centum mensurarum* s. *centuplicem mensuram.* Verbum שְׁעַר in lingua Chaldaica saepe obvium est *mensuravit*, *æstimavit.* In hac lectione recepta consentiunt interpretes Chaldæi, Arabes, Aquila, Hieronymus. Sed aliam lectionem secuti sunt *οἱ ό, ἑκαστεύουσαν κριθὴν*, *centuplum hordeum*, nempe שְׂעֹרִים, quam etiam exhibent Syrus, Symmachus, Theodotion, et Vulgatus. Lectio non contemnenda videtur. cf. Ill. *Michaelis* in Bibl. Orient. P. IX. p. 193.

bant: propterea Isaacus illum puteum Esek vocavit, quod cum eo fuerint rixati. 21. Idem fecerunt cum alium effodissent, quem propterea Sitna (h. e. contentio) appellavit. 22. Inde digressus alium excavavit, de quo non contenderunt, cui propterea nomen Rechoboth imposuit: dicebat enim, amplum nobis locum Jova concessit, jam crescemus in terra. 23. Inde Bersebam profectus est. 24. Ibi ei hac ipsa nocte Jova apparuit et his verbis est allocutus: ego sum Deus Abrahami patris tui. Noli timere, tibi adero et benefaciam, posterosque tuos augebo propter illum Abrahamum, cultorem meum. 25. Ibi aram exstruxit Isaacus et sacra Jovæ fecit. Tentoria quoque sua eo transtulit, cum servi ejus puteum ibi effodissent. — 26. Tum Abimelechus Geraræ eum convenit cum Achussato amico et Phichole exercitus duce. 27. Quid ad me venitis, inquiebat Isaacus, qui me per odium a vobis expulistis? 28. Illi respondebant, plane intelligimus Jovam tibi adesse, propterea consilium cepimus tecum jurejurando interposito foedus inire. 29. *Hac nempe conditione* ut nullo modo nobis noceas, quemadmodum nos quoque te non offendimus, sed potius omni humanitate erga te usi sumus, teque salvum et incolumem dimisimus: Jova enim tibi favet. 30. Tum Isaacus eos convivio excepit. 31. Postridie cum

alter

alter alteri *pacem* et *amicitiam* juraſſent, Iſaacus eos incolumes a ſe dimiſit. 32. Eo ipſo die nuntiarunt ei ejus ſervi, ſeſe alium puteum effodiſſe. 33. Quem Schibeam *d*) vocavit, unde et urbs nomen Beerſchebæ habet. — 34. Eſavus anno ætatis ſuæ quadrageſimo in matrimonium duxit Judith filiam Beeri Chittæi et Baſmatham Elonis filiam, etiam Chittæi, 35. quæ Iſaacum et Jacobum magna ægritudine affecerunt.

CAPVT XXVII

Jacobus aſtutia Rebeccæ adjutus benedictionem patris Eſavo præripit. Qui propterea grave in eum odium concipit mortemque ei minatur.

1. Iſaacus cum jam præ ſenectute oculis caligaret, Eſavum filium natu majorem ad ſe vocatum his verbis alloquitur: 2. Vides, mi fili, me ſenem eſſe, neſcio quando moriendum mihi ſit. 3. Iam igitur ſume arma tua, pharetram et arcum, rus exi et

d) שִׁבְעָה h. e. *jusjurandum*. Sed eſt alia lectio apud antiquiores interpretes digna quæ obſervetur. *Hieronymus* auctor eſt in hebræo legi per Sin, שִׂבְעָה *abundantia* et ſic Aquilam et Symmachum legiſſe, ſic quoque Syrus et Vulgatus, cf. *Monteſfalconius* in Hexaplis. Neque apparet cur Iſaacus huic puteo nomen שִׁבְעָה dederit, cum propter eum foedus non pactum eſſet, uti factum fuerat propter alium quem Abrahamus effoderat. Cap. 21, 31.

venare mihi feram, 4. *e qua* pares ferculum istud
quo delector, de quo edam, tibique bene precabor,
antequam moriar. 5. Rebecca vero audierat Isaa-
cum ista Esavo filio suo praecipientem. Cum igi-
tur hic ad venationem rus exiisset, 6. illa Jacobo
filio suo dicit: Ego audivi patrem tuum jussisse,
7. ut Esavus e carne ferina cibum ei pararet, quo
sumto velle se Jovæ nomine ei ante mortem bene
precari. 8. Audi igitur, mi fili, quod dico, mihi-
que morem gere. 9. Abi ad gregem et arcesse mi-
hi inde duos hoedos pingues. Ex his parabo patri
tuo ferculum istud, quo delectatur. 10. Hoc ei
debes afferre ut tibi ante mortem suam bene pre-
cetur. 11. Ad hæc Jacobus respondet Rebeccae ma-
tri suæ, nosti Esavum fratrem meum hirsutum esse,
ego vero depilis sum. 12. Fieri posset ut pater
me contrectaret, tunc viderer ipsum illudere, quo
imprecationem potius quam faustam precationem
mihi conciliarem. 13. Ego vero, inquit mater, il-
lam imprecationem praestabo, fac modo quae præ-
cepi, et affer. 14. Ille igitur matri attulit quae
jusserat; quæ paravit ferculum quo Isaacus dele-
ctabatur. 15. Deinde induit Jacobum vestibus Esavi
pretiosis, quas domi secum habebat. 16. Pellibus
vero hoedinis amicivit manus et cervicem Jacobi,
quae depiles erant, 17. et sic tradidit ei cibum
illum,

illum, et panem a se confectum. 18. Cum ad patrem venisset, eumque compellasset, ille, quis tu es fili? interrogat. 19. Respondet Jacobus, ego Esavus sum primogenitus tuus; feci quod mihi praecepisti, age, sede et comede de ferina mea, ut mihi bene preceris. 20. Unde tam cito, inquit Isaacus, nactus es, mi fili? cui ille: a Jova Deo tuo factum est ut mihi obveniret. 21. Tum jubet eum Isaacus accedere, ut tangere eum posset et inde cognoscere, num esset Esavus nec ne. 22. Cum accessisset, attrectabat eum et dicebat: vox quidem est Jacobi, sed manus Esavi. 23. Hinc eum non agnovit, cum manus ejus ut Esavi essent hirsutae, et bene ei precatus est. 24. Verum *antea* iterum eum interrogat, num esset Esavus? Quod cum affirmasset, 25. jubet ut apponat cibos e carne ferina, ut de illis comederet; quo facto velle se ei bene precari. 26. Obtulit igitur cibos, nec non vinum. Quibus sumtis iussit pater eum accedere et se osculari. 27. Quod cum fecisset odoratus est Isaacus odorem vestium, tum bene ei precatus est his verbis: En odor filii mei est sicuti odor agri Dei beneficio fertilissimi. 28. Det tibi Deus et coeli rorem et terrae pinguedinem, et frumenti et musti copiam ingentem. 29. Gentes tibi serviant, nationes sese tibi submittant: domineris fratribus

 tuis:

tuis: et filii matris tuæ te venerentur: Adverfarii tui fint infeliciffimi, amici feliciffimi. —— 30. Cum Ifaacus vix defiiffet fic bene precari Jacobo, atque hic vix a patre fuo difceffiffet, redit Efavus a venatione, 31. atque parat ipfe quoque cibos. Quos cum patri offerret, eumque rogaffet ut illis vefceretur et bene fibi precaretur: 32. tum pater, quis tu es? inquit: refpondet ille: Ego fum Efavus filius tuus primogenitus. 33. Ad haec Ifaacus vehementer conterritus, quis igitur fuit, inquit, venator ille, qui mihi *carnes ferinas* attulit, de quibus et edi antequam venires? huic ego bene precatus fum, nec dubito, quin fit beatus futurus. 34. Efavus cum haec patris fui verba audiret, ingentem clamorem fuftulit et acerbe plorans, mihi quoque bene precare, inquit, mi pater. 35. Hic vero refpondet: aftute tibi præripuit frater tuus pia illa vota, quibus te eram profecuturus. 36. Vere, inquit ille, vocatur Jacobus, bis me jam fupplantavit. Primum ætatis meæ prærogativas abftulit, jam et vota pro felicitate mea intercepit. — nihilne boni mihi refervafti? infit. 37. Refpondet Ifaacus Efavo: ei principatum in te dedi et confanguineos fuos omnes ei fubjeci, frumenti et mufti largam copiam ei promifi: quid tibi jam faciam, mi fili? 38. Ad hæc Efavus: Itane bona haec omnia funt,

quæ

quae optare possis? mi pater, et mihi bene precare; simul denuo lacrimari incipit. 39. Tum Isaacus sic orsus est: Fertilem terram habitabis e coelo large roratam. 40. Gladio tuo vives, sed fratri tuo eris subjectus; fiet tamen, cum continuo reluctatus fueris, *a*) ut jugum ejus e collo tuo excutias. — — 41. Esavus vero *inde ab hoc tempore* in Jacobum propter bona illa, quae ei pater suus precatus fuerat, odium concepit, atque in animo habuit, post mor-

a) Verbum רוד in quatuor locis tantum obvium, ab interpretibus plurimis varie, sed parum feliciter explicatur. Notiones quas ei subjecerunt, uni quidem aut alteri loco, sed non omnibus aptae sunt. Data opera originem ejus investigavit Celeb. *Schroederus* in Observatt. ad Origg. hebr. Cap. 1. atque probavit, eam repetendam esse ab arab. راد quod proprie est: *huc et illuc vagari*, et dicitur de animalibus in pastu huc et illuc discurrentibus. Atque hanc significationem h. l. quoque aptam esse sequens comparatio docet, quae sumta est a jumento indomito, quod si subjugetur, obniti et reluctari non desinit, donec jugi vinculis disruptis evaserit. Quae Edomitarum naturae et fatis bene conveniunt. David Edomitas vicit sibique subjecit 2 Sam. 6, 14. sed sub Joramo iterum defecerunt; 2 Reg. 8, 20. seqq. a quo tempore sui juris fuerunt, usque dum a Joanne Hyrcano subjugati et populo Judaico inserti sunt.

mortem patris Jacobum fratrem suum interficere. b) 42. De quo ejus consilio cum certior facta esset Rebecca, curavit Jacobum filium suum natu minorem ad se arcessendum, eique dixit: Audio Esavum fratrem tuum mortem tibi minari c). 43. Jam igitur, mi fili, mihi obtempera, fuge ad Labanem fratrem meum Charram. 44. Et mane apud ipsum aliquot annos, dum fratris tui ira paullulum resederit. 45. Quodsi oblitus fuerit ejus quod inter te et illum acciderit, mittam et te inde revocabo; cur enim utroque vestrum uno die orber? 46. Isaaco autem ostendebat, se propter istas Chittæorum filias vitæ suæ fere pertæsam esse. Si vel Jacobus uxo-

b) יְמֵי אֵבֶל אָבִי Duplicem in sensum possunt hæc verba explicari, *vel* active de luctu ipsius Isaaci ob Jacobum interfectum, *vel* passive ob Isaaci mortem. Plerumque ex priori sententia explicantur. Sed posterior mihi videtur præferenda, quoniam non probabile est, Esavum patrem suum, quem, de quo dubitari non potest, amabat, cæde in fratre suo commissa contristari voluisse. Sic quoque Syrus accepit: *dies domus fletus patris mei* h. e. funerum.

c) מִתְנַחֵם recte a 70 interpretibus, Syro et Vulgato vertitur, *minari*, minus accurate ab Onkeloso per *insidiari.* نخم ex primaria significatione *cum vehementia spiritum ducere*, dicitur etiam de eo qui malo animo in alterum est affectus, vid. *Lette* in Animadv. ad textum hebr.

uxorem duceret ex illius regionis Chittæis his similem, non esse quod diutius vivere optaret.

CAPVT XXVIII

Fugit Jacobus in Mesopotamiam ad Labanem. In itinere Deus ei in somnio apparet, et promissa Abrahamo et Isaaco data repetit.

1. Arcessivit igitur Isaacus Jacobum. Cumque ei præcepisset, ut ne uxorem duceret ex Chananæis, 2. sed ut in Mesopotamiam proficisceretur ad domum Bethuelis avi sui ibique e filiabus Labanis avunculi sui uxorem sumeret: 3. Deus vero omnipotens, pergebat bonis votis eum prosequens, tibi faveat, te augeat, multamque sobolem largiatur, ut complures ex te gentes oriantur. 4. Præstet tibi promissa Abrahamo data, tibi posterisque tuis, ut pervenias ad possessionem terræ, in qua jam peregrinaris et quam Deus Abrahamo promisit. 5. Sic dimisit Isaacus Jacobum, qui et in Mesopotamiam profectus est ad Labanem filium Bethuelis Syri, fratrem Rebeccæ, quæ Jacobi et Esavi mater fuit. — 6. Cum vero Esavus cognovisset Isaacum faustis ominibus prosecutum esse Jacobum eumque in Mesopotamiam misisse, ut ibi uxorem duceret, (nam diserte hoc ei tum interdixerat, ne cum Chananæa matrimonium iniret) 7. atque hunc parentibus suis morem gessisse,

ſiſſe, atque iter in Meſopotamiam eſſe ingreſſum, 8. intelligeretque minus probari Chananæas patri ſuo: 9. præter uxores, quas jam habebat, etiam Machalatham in matrimonium duxit, quæ filia fuit Iſmaelis filii Abrahami et ſoror Nebachothi. — 10. Jacobus vero e Berſeba iter Charram ingreſſus: 11. venit in locum quendam, in quo, cum ſol jam occidiſſet, pernoctavit. Adhibuit igitur lapidem e pluribus qui in illo loco erant pro cervicali, et cubuit. 12. In ſomnio vidit ſcalam terrae innixam, cujus caput ad coelum usque pertingeret, per quam angeli Dei aſcendebant et deſcendebant. 13. In ſumma ſcala videbat Jovam, qui eum ſic alloquebatur: Ego ſum Jova Deus Abrahami avi tui, et Deus Iſaaci, terram, in qua cubas, tibi poſterisque tuis dabo. 14. Quorum tanta erit multitudo, quanta eſt pulveris terræ, ita ut per occidentem et orientem, per ſeptentrionem et meridiem diffundantur: et in te et progenie tua omnes terrarum nationes felices erunt. 15. Ego vero tibi adero, te in itineribus tuis tuebor, atque etiam in hanc terram reducam. Nunquam te deferam, quin quæ tibi promiſerim præſtem. 16. Tum Jacobus e ſomno expergefactus, profecto, inquit, Jova eſt in hoc loco, quod ego neſciebam. 17. Quam verendus eſt, pergebat perterritus, hic locus: hæc eſt ædes Dei, porta

porta cœli. 18. Cum deinde ſurrexiſſet, lapidem, quo pro cervicali uſus fuerat, in cippum erexit et oleo perfudit. 19. Oppidum vero Bethelem nominavit; quod antea Lus vocabatur. 20. Votum quoque Jacobus nuncupavit in hæc verba: Si Jova Deus mihi aderit, me in itinere, quod ingreſſus ſum, defenderit, mihi providerit in victu et amictu, 21. tandemque ſi ſalvus et incolumis ad domum paternam rediero: ſemper eum ut Deum meum colam. 22. Lapis vero hic, quem in cippum erexi, domus Dei erit, omniumque quæ tu mihi dederis, tibi decimas dabo.

CAPVT XXIX

Jacobus Charram pervenit et a Labane humaniter excipitur: Quatuordecim annos ei operam ſuam addicit, et mercedis loco duas ejus filias in matrimonium accipit.

1. Quo facto Jacobus iter ſuum in regionem orientalem perſecutus eſt, 2. tandemque videt in campis puteum, ad quem tres greges cubabant. (Ex hoc enim puteo ſolebant greges adaquari, ipſe vero puteus ſaxo prægrandi erat occluſus. 3. Collectis gregibus omnibus lapidem illius fontis devolvebant, et pecore adaquato os fontis rurſum lapide iſto obſtruebant.) 4. Interrogabat Jacobus paſtores, undenam eſſent? Illi reſpondebant, Charrane. 5. Jacobus

bus pergebat, num nostis Labanem Nachoris filium? Novimus, inquiebant. 6. Jacobus: valetne? Pastores: valet, et en Rahelem ejus filiam cum pecoribus venientem! 7. Tum Jacobus dicebat: multum adhuc diei est, nondum tempus esse videtur cogendi pecoris, adaquate illud et pastum ite. 8. Tum illi respondebant: non possumus adaquare, nisi prius congregati sint omnes greges. Tunc devolvitur saxum a puteo et greges adaquamus. 9. Adhuc eo sic cum illis colloquente, venit Rahel cum patris sui pecore, quod pascebat. 10. Quam cum Jacobus videret, lapidem devolvit ab ore putei et pecus avunculi sui adaquat. 11. Deinde Rahelem osculatur, lacrimas fundit, 12. eique indicat se patris ejus esse nepotem, filium nempe Rebeccæ. Illa statim ejus rei certiorem facit patrem suum. 13. Qui cum audiret Jacobum sororis suæ filium venisse, ei obviam currit eumque amplexus et osculatus deducit domum suam, ubi Jacobus narrat Labani omnia, quæ sibi evenissent. 14. Hic eum ut cognatum et consanguineum suum benigne excipit, et cum mensem apud eum vixisset, 15. affirmat ei se non concessurum esse, ut gratis sibi serviret, quod cognatus ejus esset. Ipse diceret, quam mercedem sibi dari vellet. 16. Habebat vero Laban duas filias, quarum natu major Lea, natu minor Rahel vocabatur. 17. Illa quidem lippis

lippis erat oculis, hæc vero forma erat decora et facie pulcra. 18. Hujus igitur amore cum captus esset Iacobus, dicit Labani, se velle ei servire septem annos pro Rahele filia ejus natu minore. 19. Laban respondet, malle se eam ipsi dare quam alieno, jubetque ut apud eum maneat. 20. Sic serviit Jacobus pro Rahele septem annos, qui totidem dies ei esse videbantur, tantopere eam amabat. 21. Tum postulavit a Labane, ut suam sibi uxorem in matrimonium daret, quod tempus constitutum esset completum. 22. Laban convocatis omnibus civitatis incolis convivium dedit; 23. Vespere autem Leam filiam suam ei in congressum suppofuit, 24. et Silpam attribuit, quæ ei ancillaretur. 25. Mane cum Jacobus Leam videret, conqueritur erga Labanem, se ab eo deceptum esse, cum pro Rahele serviisset. 26. Laban respondet, non moris esse in civitate sua, ut natu minor prius quam natu major in matrimonium daretur. 27. Perageret modo cum hac septimanam, tum et alteram ei collocaturum esse pro aliorum septem annorum servitio. 28. Jacobus conditionem accepit et sic Rahelem quoque in matrimonium duxit, 29. cui Laban Bilham dedit; quæ ei ancillaretur. 30. Amavit vero Rahelem plus quam Leam, aliosque septem annos Labani pro ea serviit. 31. Cum vero Jova videret Leam esse invisam, effecit

cit ut Lea foecunda effet, Rahel fterilis. 32. Igitur gravida facta filium peperit, quem Rubenem vocavit, vidit Jova, inquiebat, afflictionem meam, iam me vir meus amabit. 33. Iterum deinde filium peperit, quem Simeonem vocavit, dicebat enim: Jova novit me exofam effe, propterea mihi hunc quoque dedit. 34. Tertium peperit, cui nomen Levi dedit: jam deditus mihi erit, inquiebat, maritus meus, cui tres pepererim filios. 35. Quartum vocavit Judam, dicebat enim: jam quidem Deum laudabo. Deinde parere deftitit.

CAPVT XXX

Jacobus uxorum fuarum ancillas Bilham et Silpam in matrimonium ducit, quae ei quatuor filios pariunt. Lea Ifafcharem, Sebulonem et Dinam parit. Jacobus reditum in Cananaeam parat. Novum pactum cum focero fuo fuper mercede fua init. Artificium, quod in gregibus fui commodi caufa adhibet.

1. Rahel vero, cum fe nullos ex Jacobo liberos habere videret, invidia erga fororem fuam commota Jacobo dixit: fac ut ego quoque pariam, alioquin moriar. 2. Cui Jacobus iratus refpondet, quafi ego Deus fim a) qui te gravidam fieri prohibet. 3. Ineas

a) הֲתַחַת אֱלֹהִים אָנֹכִי *an Dei loco fum?* Infra eadem phrafis Cap. 50, 19.

eas igitur, inquit Rahel, Bilham ancillam meam, ut per eam ipſa quoque prolem conſequar. 4. Congreſſus eſt igitur Jacobus cum Bilha, ancilla uxoris ſuæ. 5. Quæ gravida facta peperit filium, 6. quem Rahel Danem vocavit, dixit enim: Deus cauſam meam egit, audivit preces meas, dedit mihi filium. 7. Deinde Bilha iterum peperit Jacobo filium. 8. Tum Rahel dicebat: admodum callide confligendum mihi fuit cum ſorore mea; attamen prævalui, hinc nomen Naphthali accepit — 9. Cum vero Lea videret, ſe parere deſiiſſe, Silpam ancillam ſuam dedit Jacobo in matrimonium. 10. Quæ Jacobo filium peperit, 11. quem Lea Gadum vocavit, dixit enim: fortuna favente! 12. et cum alterum filium Silpa peperiſſet, 13. dixit: o me felicem! quam me prædicabunt mulieres! hinc eum Aſcher vocavit. — 14. Cum aliquando Ruben meſſis triticeæ tempore rus exiiſſet, invenit mandragoras, *b*) quas Leæ matri ſuæ domum attulit: tum

b) דּוּדָאִים quinam fructus ſint, interpretes diſſentiunt. Præter h. l. ſemel hoc vocabulum legitur Cant. 7, 13. οἱ ὁ, *μῆλα μανδραγορῶν.* Sic quoque Hieronymus: *mandragoras.* Onkelos et Syrus: יַבְרוּחִין Arabs: أَلُفَّاح Qui antiquiorum interpretum conſenſus in vertenda hac voce pere

tum Rahel petit a forore fua, ut ipfi aliquid de eis daret. 15. Illa vero refpondet: quid? mariti mei amorem mihi præripuifti, jam et mandragoras cupis, quas filius meus mihi attulit? Sit ita, inquit Rahel, concumbat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui. 16. Cum igitur Jacobus vefpere domum rediret, obviam ei venit Lea et his verbis alloquitur: mecum hac nocte concumbes. Conduxi te mihi pro mandragoris filii mei. 17. Annuit Deus votis Leæ ita ut quintum filium Jacobo pareret, 18. quem Ifafcharem nominavit: dixerat enim: Deus

perfuafit multis eius veritatem. *Fullerus* quidem in Mifcell. VI, 6. copiofe eam defendit. Atque ex eo quoque roboris nonnihil accipit, quod Rahel hunc fructum tantopere defiderat, quæ fufpecta videtur nonnullis de ufu hujus fructus parum honefto. Conftat enim eum olim adhibitum fuiffe in philtris parandis, unde et Venus Μανδραγορῖτις dicta eft. A vero igitur minime abhorret, Rahelem Mandragoram, vel ad mariti fui amorem conciliandum, vel ad foecunditatem fibi efficiendam voluiffe adhibere. Recte enim mihi videtur Ill. *Michaelis* obfervaffe, errare eos, qui has forores propter virtutes aut religionem valde commendabiles putent. Zelotypia eorum et idololatria, quam Rahel prodit, dum patris fui idola furatur, contrarium evincunt. Alii vero aliter fentiunt. In his *Celfius* in Hierobot. P. I. p. 1. feqq. qui *Dudaim* Sidram f. Lotum Cyrenaicum effe contendit.

Deus dedit mihi mercedem, quod ancillam meam marito meo tradidi. 19. Sextum quoque filium Jacobo peperit. 20. Tum vero dicebat: egregio munere me Deus donavit, jam maritus meus mecum habitabit, cum sex ei filios pepererim, propterea eum Sebulonem vocavit. 21. Posthæc filiam quoque enixa est, cui Dinæ nomen dedit. — 22. Tandem Deus et Rahelis recordatus est, eique, quod optabat, concipiendi facultatem dedit. 23. Peperit igitur filium, quo ablatum opprobrium suum esse lætabatur. 24. Vocavit eum Josephum, nam sperabat Jovam alterum quoque filium esse additurum.

25. Cum Jacobus hunc ex Rahele filium sustulisset, rogat Labanem ut ipsum jam dimitteret, velle enim sese jam redire in patriam suam. 26. Igitur daret sibi mulieres suas et liberos, pro quibus ei servierit: quale vero servitium ei præstiterit, ipsum bene nosse. 27. Tum Laban eum enixe rogavit, quod plane intellexisset, Jovam opes suas auxisse ejus causa, 28. ut ipse mercedem indicaret, quam dare deberet. 29. Jacobus respondet: non ignoras quo pacto tibi servierim, et quæ pecoris tui per me facta sit mutatio. 30. Non adeo multa habebas, antequam ad te venirem, jam vero aucta sunt ingentem in modum: Jova te fortunavit opera mea: quando vero incipiam rem meam curare? 31. Quid

 igitur

igitur tibi dabo? inquit Laban. Nihil omnino mihi dabis, respondet Jacobus, si conditionem velis accipere. Pascam greges tuos eadem cura, qua antea. 32. Sed perlustrabo eos hodie omnes et separabo ex eis omnes oves punctis notatas et maculosas, omnesque nigras inter agnos, nec non capras omnes punctis aut maculis notatas. *Quidquid postea hujus generis nascetur*, hæc erit merces mea. 33. Tum mea me defendet fides s. æquitas in ipsa illa mercede mea conspicua. Quidquid non est punctatum, aut maculosum in capris, aut nigrum in ovibus, id me furatum dices. 34. Laban conditiones accepit. 35. Atque eodem illo die separavit omnes hircos versicolores et maculosos, nec non capras omnes versicolores et punctis conspersas, omnes in quibus alba macula conspiciebatur, nec non omnes oves nigras: has tradidit filiis suis. 36. Jacobo vero reliquos greges, ita tamen ut utrique tridui itinere essent a se invicem separati. 37. Tum Jacobus baculos e populis, amygdalis et platanis virentes decorticavit, ita ut in singulis lineæ albæ conspicerentur. 38. Quos baculos decorticatos posuit in canalibus et aquariis, ut, cum eo venirent greges potum, sibi ex adverso collocati, coirent *juxta baculos*. 39. Quod cum factum esset, foetum edebant versicolorem, punctatum et maculosum.

Iofum. 40. Separaverat quidem agnos, fed collocavit eos ita ut verficolores et nigri ex adverfo ftarent gregibus Labanis. Suos enim greges feorfim habebat, quos non Labanis gregibus immifcebat. 41. Baculos vero iftos in canalibus in confpectum gregum tum demum ponebat, ut juxta eos coirent, quando oves vegetæ erant et alacriores. 42. Quando vero debiliores erant, baculos iftos in canalibus non pofuit. Hinc factum eft, ut infirmiores oves Labanis effent, vegetiores vero Jacobi. 43. Sed hac ratione hujus opes mirum in modum auctæ funt; ut greges numerofiffimos haberet, ancillas et fervos, camelos et afinos.

CAPVT XXXI

Jubet Deus Jacobum in patriam fuam redire. Is igitur cum mulieribus fuis, liberis et gregibus, clam a Labane difcedit. Laban eum perfequitur, fed in fomnio Deus ei interdicit Jacobum ullo modo offendere. Huic reconciliatus, foedus perpetuæ amicitiæ cum eo pangit.

1. Tum relati funt ad Jacobum fermones filiorum Labanis, quibus conquererentur ipfum patris fui opes corripuiffe atque ex eis tantas fibi facultates acquififfe. 2. Animadvertebat etiam Labanis vultum erga fe immutatum. 3. Simul Jova eum juffit redire

in patriam, promisitque sese ei adfuturum. 4. Tunc Jacobus Rahelem et Leam rus, ubi cum gregibus suis erat, arcessivit. 5. Atque hunc in modum cum eis est collocutus: Video patrem vestrum mihi succensere, sed Deus patris mei me adjuvabit. 6. Nostis ipsi me omni studio patri vestro serviisse. 7. Sed me fefellit et mercedem meam decies mutavit. Verum Deus non permisit, ut me damno afficeret. 8. Si maculis minoribus notatos mihi mercedis loco promiserat, omnes greges tales pariebant: sin cruribus versicolores praemium meum esse debere dixerat, talis erat omnis omnium gregum foetus. 9. Sic Deus ereptum patri vestro pecus mihi dedit. 10. Nuper cum arietes ovibus admitterentur, videbam in somnio admissarios omnes esse vel in cruribus notatos, vel majoribus aut minoribus maculis versicolores. 11. Quod Jovæ angelus, nomine meo in somnio me compellans, 12. propterea fieri mihi significabat, quod cognovisset injuriam, qua me Laban affecisset; 13. Se esse Deum illum, cui juxta Bethelem cippum erexissem et vota nuncupassem; simul jubebat me redire in patriam. — 14. Ad hæc Rahel et Lea respondebant: Nihil amplius ipsis in domo paterna relictum esse, 15. sese habitas esse a patre ut peregrinas, vendidisse ipsos et pretium in

suos

fuos ufus convertiffe, a) 16. opes, quas Deus patri fuo eripuiffet, fuas effe et liberis fuis; faceret igitur omnia, quæ Deus ipfum juffiffet. 17. Tum Jacobus cum liberis fuis et mulieribus, qui camelis vehebantur, 18. et cum gregibus aliisque facultatibus, quas fibi in Mefopotamia acquifiverat, iter in Cananæam ad Ifaacum patrem fuum eft ingreffus. 19. Laban vero tunc ad gregum fuorum tonfuram profectus erat: igitur Rahel furata eft ejus penates. 20. Sic Jacobus infcio Labane Syro fugit, nec quidquam de eo ipfi indicavit. 21. Cum jam Euphratem trajeciffet, atque iter fuum verfus montem Gilead profequeretur; 22. tertio demum die Labani narratur Jacobum fugiffe. 23. Tum ille affumtis propinquis fuis, feptem dierum itinere eum perfequens, tandem in montibus Gilead eft affecutus. 24. Sed

a) Jacobus non poterat dare dotem pro mulieribus fuis. Dos ejus erat fervitium, quod præftabat Labani per quatuordecim annos. Laban igitur, fi æquus fuiffet, pretium illud, quod fervo mercenario pro opera tot annorum folviffet, filiabus fuis ut dotem dare debuiffet. Sed pro avaritia fua omnem utilitatem, quam ex Jacobi fervitio percepit, fibi fumferat, nihil de ea reddere voluit filiabus fuis; hoc innuunt dum dicant: וַיֹּאכַל אָכוֹל כַּסְפֵּנוּ *comedit pretium noftrum*, כֶּסֶף enim h. l. eft pretium, ut fupra 23, 13.

24. Sed Deus Labanem Syrum noctu per fomnium admonuit, caveret ne cum Jacobo iracundius loqueretur *b*). 25. Cum igitur eum conveniret (fixerat vero uterque, cum Laban, tum Jacobus, tentoria fua in monte Gilead) 26. his verbis eum alloquitur: quare me infcio fugifti? filiasque meas veluti bello captas abduxifti? 27. Cur fugam tam ftudiofe a me occultafti? alias enim te inter læta jubila cum tympanis et cytharis effem comitatus. 28. Non filias meas, non nepotes ofculari permififti. Sane parum prudenter fecifti. 29. Poffem quidem hanc injuriam ulcifci, fed Deus patris tui me heri admonuit, ne tecum aliter quam humane agerem. 30. Sed fit ita. Quodfi tanto paternæ domus revifendæ defiderio tenebaris, cur vero Deos meos furatus es? 31. Refpondet Jacobus Labani: timebam, ne forte filias tuas retineres. 32. Deos vero tuos quod attinet, penes quem eos inveneris, moriatur. Inquire, præfentibus propinquis noftris, fi quid tui apud me eft, idque tibi vindica. Nefciebat enim Jacobus Rahelem Deos iftos furripuiffe. 33. Perquifivit igitur Laban tentoria Jacobi, Leæ et duarum an-

b) hebr. *a bono ad malum f. neque bonum, neque malum.* Refpondet phrafis germanicæ, *einem nichts fagen*, cui nempe non nimium indignamur. *οἱ ό* et Vulgatus fenfum bene exprefferunt: *μήποτε λαλήσεις κατὰ Ιακὼβ πονηρά*, *ne quidquam afpere loquaris contra Jacobum.*

ancillarum, nec quidquam invenit. Quo facto ingressus est Rahelis tentorium. 34. Illa vero penates istos in camelinâ sella c) posuerat et super ea consedit. Cum igitur Laban omnia investigasset, nec quidquam reperisset: 35. Rahel patri sese excusavit, ne ægre ferret, quod ipsi non assurgeret, se enim esse in menstruis. Quanquam igitur Laban omnia perverstigasset, tamen penates suos non poterat invenire. 36. Tum vero Jacobus ei irascitur, atque his verbis eum objurgat: quid peccavi? aut quod delictum admisi, quod me tam acriter persequeris? 37. Omnem supellectilem meam es perscrutatus; quid reperisti quod tuum sit? pone huc in conspectu nostrorum omnium, disceptent causam nostram. 38. Per viginti annos, quos apud te egi, oves et capreæ tuæ abortum passæ non sunt, nunquam arietem gregis tui comedi. 39. Si quid a feris esset discerptum, id ad te afferre non licuit, si quid furto esset ablatum, sive interdiu sive noctu, restituendum mihi fuit, severe omnia a me exigebas. 40. Interdiu æstum solis, noctu frigus sustinui, complures

 noctes

c) בַּר הַגָּמָל quid sit, *Schultensius* in Animadverss. philol. ad h. l. plane docuit. Nimirum idem vocabulum كور apud Arabes significat *sellam camelinam opertam* et rebus necessariis instructam, quæ parari solet mulieribus, si camelis vehuntur. cf. *Pocockius* ad Carmen Tograi p. 58.

noctes transfegi infomnis. 41. Per viginti annos curavi rem tuam domesticam: quatuordecim annos fervii tibi pro duabus filiabus et fex annos pro pecore. Decies fere pactam mihi mercedem mutafti. 42. Nifi Deus patris mei Abrahami et Ifaaci mihi adfuiffet, tu quidem me vacuum dimififfes. Sed rationem habuit Deus injuriæ a te mihi illatæ et laborum, quos apud te fuftinui, idque hefterna nocte probavit. 43. Ad hæc Laban refpondet: filiæ meæ funt, nec non filii, et greges: omnia omnino, quæ vides, mea funt. Sed quid? an damnum inferam filiabus meis, aut earum filiis? 44. Age igitur, foedus pangamus, quod de mutua inter nos amicitia teftetur. 45. Erexit igitur Jacobus faxum in cippum, 46. juffitque propinquis fuis ut lapides colligerent. Quod cum feciffent, tumulum congefferunt, fuper quo deinde epulati funt. 47. Laban tumulum iftum vocavit Jegarfahaduta. Jacobus vero Gilead, 48. quod Laban dixerat: hic tumulus teftis fit inter me et te. 49. *Vocavit eum quoque Mizpah,* quod *ille* dixerat: Jova animadvertat, poftquam alter ab altero difcefferimus, 50. fi filias meas durius tractaveris, aut alias præter eas uxores duxeris. Nemo quidem adeft, *qui fanctitatem hujus foederis defendat,* fed Deus teftis eft inter me et te. 51. Porro Jacobo dixit: En hunc tumulum et hunc cippum

cippum quem erexi! 52. Uterque testis sit, neque me, neque te hæc monimenta malo animo transiturum esse. 53. Dii Abrahami et Nachoris, d) Dii patris eorum litem nostram dirimant. Jacobus verò juravit per Deum, quem pater ejus Isaacus verebatur. 54. Deinde convivium paravit in illo monte, ad quod omnes invitavit, et sic in illo monte pernoctarunt.

CAPVT XXXII

Jacobus valde sibi timet ab Esavo fratre suo. Preces ejus hac de re ad Deum. Munera instruit ad placandum fratrem suum. Noctu luctatur cum angelo Dei, qui ei benedicit nomenque Jacobi in Israelis mutat.

1. Mane Laban cum surrexisset, nepotes suos filias-

d) Abrahamus cum Nachore fratre suo antequam divinæ vocationi obsecutus esset, alienos Deos coluerat. Jos. 24, 2. Hos igitur Laban homo superstitiosus vindices esse vult, si quis fidem datam fallat. Addit et tertium *Deum patris eorum.* — Sed circa hæc verba magnus est dissensus antiquiorum Interpretum. *Oi ó* ea omittunt. Cod. Sam. pro אביהם habet אברהם. Sine dubio ex vitio scribarum, cum hoc nomen præcedat. Syrus in plurali legit et cum affixo primæ personæ: *Deus patrum nostrorum.* Quæ apta esset lectio, si pluribus testibus firmaretur. *Hubigantius* hæc verba ejicienda censet, quod nimis audax videtur. Sensum admittunt satis commodum, sive *patris eorum,* qui fuit Terachus, sive *patrum eorum* legas.

que deosculatus domum reversus est. 2. Jacobus quoque in itinere suo perrexit, in quo ei obviam venerunt angeli Dei. 3. Quibus visis, hæc sunt castra Dei, inquit, locumque Mahanaim vocavit. a) 4. Tum Jacobus nuntios misit ad Esavum fratrem suum in regionem Seiriticam, sive campos Edomiticos, 5. eisque mandavit, ut sic Esavo domino suo dicerent: Jacobus servus tuus tibi nuntiat, se huc usque peregrinatum esse apud Labanem, 6. ibique boves, asinos, oves, servos et ancillas sibi acquisivisse; cujus rei te jam certiorem facit ad gratiam et amorem tuum sibi conciliandum. 7. Nuntii ad Jacobum reversi retulerunt, se ad Esavum fratrem ejus venisse, eumque cum quadringentis hominibus ei obviam venire. 8. Quo nuntio Jacobus vehementer perterritus est, et propterea omnem familiam suam, pecus et armentum et camelos in duo agmina divisit, 9. eo consilio, ut si Esavus alterum agmen cæcidisset, alterum fuga salutem peteret. 10. Deinde vero ita precatus est: o Deus avi mei Abrahami et patris Isaaci, qui me jussisti reverti in patriam meam, mihique benefacere promisisti. 11. Equidem indignus sum tantis beneficiis in me collatis, tantaque fide, quam mihi exhibuisti. Nihil habebam præter hunc

a) h. e. duo castra. Sua intelligit et angelorum, qui ipsum comitabantur.

hunc baculum, cum Jordanum transirem, nunc duo agmina duco. 12. Defende me a fratre meo Esavo; vereor enim, ne me aggrediatur matremque cum liberis interficiat. 13. Tu vero tuo me favore amplecti promisisti, sobolemque dare instar arenæ maris innumerabilem. — 14. Postridie ex iis, quæ tum suppetebant, munus paravit Esavo fratri suo. 15. Nempe ducentas capras et viginti hircos, totidem oves et arietes. 16. Camelos lactantes cum pullis triginta, vaccas quadraginta et tauros decem, asinas viginti et pullos asininos decem. 17. Singulos greges tradidit servis singulis, jussitque eos ipsum præire, interjecto inter singulos greges spatio. 18. Et primo quidem præcepit, ut, si Esavus ei occurreret et quæreret, cujus esset, quo tenderet, cujus greges essent, quos ageret? 19. Responderet: esse eos Jacobi, quos domino suo Esavo mitteret.; ipsum vero sequi. 20. Idem deinde etiam secundo et tertio præcepit, omnibusque qui greges illos agebant. 21. Monuitque, ut hoc dictis adderent, Jacobum ipsos sequi. Volebat enim animum ejus præmisso munere pacare, ut deinde, si eum conveniret, benigne ab eo exciperetur. 22. Sic munere præmisso ipse illa nocte mansit in agmine. 23. Eadem tamen nocte duas uxores et ancillas duas, ut et undecim filios, Jabokum flumen traduxit, 24. nec non reliqua

qua omnia quæ habebat. Quibus confectis, 25. ipse solus remansit. Tum luctatus est cum eo vir quidam usque ad ortum auroræ. 26. Qui cum videret, se non superiorem fore, femur ejus ita percussit, ut acetabulum luxaretur. 27. Tum postulavit, ut Jacobus eum dimitteret, cum jam dies instaret. Ille vero negavit se eum dimissurum esse, nisi ipsi bene esset precatus. 28. Tum vir ille, quod nomen ejus esset, quæsivit. Respondet, Jacobi. 29. Non amplius Jacobus vocaberis, inquiebat, sed Israel, quoniam ipsi Deo prævaluisti, e certamine cum hominibus superior quoque discedes. *b*) 30. Tum Jacobus

b) Quanquam sententia eorum interpretum non caret probabilitate, qui hoc in somnio visa esse Jacobo statuunt, non vigilanti evenisse; tamen non omnia, quæ de hac apparitione narrantur, somnio videntur convenire. Primo quod Jacobus postridie vere claudicavit, deinde quod versu 31. miratur, se Deum coram vidisse salva vita sua. Quod quidem ex opinione illa antiqua dicit, de qua ad Cap. 16, 13. verba tamen clare indicant, Jacobum in tota illa apparitione sui conscium fuisse. Volebat autem Deus hoc viso animum Jacobi anxium et timidum confirmare, ut sine timore Cananæam ingrederetur. Quod angelus divinus ei quoque promittit, dum dicit: *Deo prævaluisti, e certamine cum hominibus etiam superior discedes.* Hunc enim sensum verborum versus 29. esse, contextus et apparitionis scopus plane

bus quod nomen ejus esset, interrogavit. Ille vero, noli de eo quærere, respondit: Sed bene ei precatus ibi est. 31. Hinc Jacobus locum illum Pniel vocavit, Deum, inquiebat, coram vidi salva vita mea. 32. Orto jam sole cum discederet ex illo loco, vidit se

plane demonstrare mihi quidem videntur. Cum *hominibus* Jacobus nondum decertaverat. Illud vero certamen cum angelo debebat esse indicium felicis eventus, si ei inposterum cum hominibus esset decertandum. Quem sensum etiam his verbis tribuerunt *οἱ ὁ*, *ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ θεοῦ, καὶ μετὰ ἀνθρώπων δυνατὸς ἔσῃ*, et Vulgatus: *quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis.* Litera Vau ante תוּכָל prorsus redundat, quam neque *οἱ ὁ*, neque Vulgatus expresserunt, nec tamen propterea abjicienda, uti *Hubigantius* censet, quis enim nescit eam, inprimis in apodosi, sæpe redundare? Legerunt eam quoque Onkelos, Syrus et Arabs, dummodo verba ועם אנשים non cum antecedentibus, sed cum ותוכל jungantur, quod respondet *τῷ* שָׂרִיתָ. — שָׂרָה vero, quod præter h. l. tantum Hos. 12, 4. occurrit in simili contextu, ex auctoritate interpretum antiquiorum verti per *principem* s. *superiorem esse.* Οἱ ὁ et Theodotion explicant per *ἐνισχύειν.* Aquila habet: *ὅτι ἦρξας μετὰ θεοῦ.* Symmachus: *ὅτι ἦρξω ἰσχύϊ πρὸς θεόν.* vid. *Montefalconius* in Hexaplis. Syrus: אֶשְׁתַּדַּרְתְּ *fortis fuisti cum angelo.* Onkelos: רַב אַתְּ קֳדָם י״י, Arabs مراستَ Nullus igitur notionem *certandi* s. pugnandi verbo שָׂרָה subjecit.

ſe claudicare. 33. In hujus rei memoriam Iſraelitæ etiam nunc veſci non ſolent ligamento terete, quod eſt ad acetabulum.

CAPUT XXXIII

Jacobi cum Eſavo reconciliatio et in Cananæa adventus.

1. Cum vero Jacobus videret Eſavum advenire cum quadringentis hominibus, pueros Leæ, Rahelis et duarum ancillarum ita diſtribuit, 2. ut ancillas cum ſuis pueris primo loco collocaret, deinde Leam cum ſuis liberis, poſtremo Rahelem cum Joſepho. 3. Ipſe eos anteceſſit, et ſepties, dum ad fratrem appropinquabat, humi ſe ſubmiſit. 4. Sed Eſavus ei obviam properavit, amplexus eſt et oſculatus, utrique lacrimantes. 5. Deinde cum videret mulieres et liberos, interrogavit, quinam illi eſſent: reſpondit Jacobus eſſe liberos, quos Deus ſibi donaſſet. 6. Tum accedunt ancillæ cum pueris ſuis et ſubmiſſe Eſavum ſalutant. 7. Idem faciunt Lea cum ſuis liberis, tandem etiam Rahel cum Joſepho. 8. Sed quorſum greges illi, pergebat Eſavus, in quos incidi? Reſpondit Jacobus: ad favorem domini mei mihi conciliandum. 9. Satis multa habeo, inquit Eſavus, mi frater, habe tibi tua. 10. Nequaquam, inquit Jacobus, ſed, ſi me amas, accipe munus meum. Viſus ſum mihi, cum te accederem, Deum adire, atque

que tu me benigne excepisti. 11. Accipe igitur munus, quod tibi a me offertur. Deo fortunante, multa habeo. Cum igitur sic Jacobus instaret, Esavus tandem munus accepit. 12. Tum hic, pergamus, inquit, ego te comitabor. 13. Ille vero respondet, vides mi domine, pueros me habere teneros, oves et vaccas lactantes: quæ si vel uno die nimium agerentur, verendum mihi esset, ne omnes greges perirent. 14. Placeat tibi me antecedere, ego lente sequar prouti pecoris et liberorum infirmitas requirit, donec ad te Seirum perveniam. 15. Tum Esavus offert partem copiarum suarum apud ipsum relinquere. Sed neque his sibi opus esse affirmavit Jacobus, dummodo favori suo ipsum commendatum habeat. 16. Igitur Esavus eo ipso die Seirum rediit. 17. Jacobus vero Succotham pervenit, ubi sibi domum exstruxit, pecori vero suo tuguria; unde et locus ille nomen Succoth accepit. — 18. Tandem salvus ex peregrinatione sua in Mesopotamia pervenit Sichemum, Cananææ oppidum, castra sua ante oppidum posuit, 19. atque campos illos, in quibus tentoria sua tetenderat, ab Chamoris filiis, Sichemi patris, centum Kesitis a) emit. 20. Ibidem altare exstruxit, quod, Deus est Deus Israelis, nominavit.

CAPUT

a) קְשִׂיטָה quid sit, incertum. Pecunia signata esse non potest,

CAPUT XXXIV

Dina a Sichemo stupratur, qui tamen eam in matrimonium sibi a Jacobo et filiis ejus expetit. Quod quidem hi promittunt, sed contra promissum perfide injuriam sibi illatam ulciscuntur.

1. Aliquando Dina, Jacobi filia, quam ex Lea sustulerat, egressa est ad visendas illius regionis puellas. 2. Qua occasione vidit eam Sichemus, filius Chamoris Chivæi, principis illius regionis, atque incensus amore puellæ, ei per vim stuprum intulit. 3. Sed quod revera summo ejus amore erat correptus, solari eam omni modo studuit. 4. Atque a Chamore patre suo flagitavit, ut eam sibi in matrimonium acciperet. 5. Jacobus cum certior factus esset de eo, quod Dina ejus filia esset corrupta, expectavit filiorum suorum adventum, qui tum ruri erant apud greges. 6. Interea Chamor pater Sichemi Jacobum convenerat, ut hac de re cum eo ageret. 7. Sed cum Jacobi filii rure rediissent, re cognita vehementer commoti sunt, gravemque iram conceperunt, de flagi-

potest, cujus tanta non est antiquitas. *Faber* ad Harmarum P. II. p. 18. probabilem attulit conjecturam: Kesita fuisse vas argenteum aut aureum fabricatum. Cujus generis vasa antiquissimis temporibus in negotiis loco pecuniæ, et sic quoque in muneribus in usu fuerint. Præter h. l. extat Jos. 24, 32. et Job. 42, 11.

flagitio erga Israelis patris sui filiam commisso nullo modo excusando. 8. Attamen Chamor cum eis hunc in modum egit: Sichemus filius meus vehementer amat sororem vestram. Rogo igitur vos, ut eam ipsi in matrimonium detis. 9. Affinitatem nobiscum contrahite, filias vestras nobis date in matrimonium, nostras vobis elocabimus. 10. Habitate inter nos, terra vobis patet, incolite eam, negotiamini et fundos in ea vobis comparate. 11. Sichemus quoque patrem et fratres Dinæ rogavit, ut hunc ipsi favorem et benevolentiam exhiberent, se quidquid ei imponerent daturum esse. 12. Dotem vel maximam et munera largissima pro lubitu postularent, se omnia dare velle, modo ipsi puellam non denegarent in matrimonium. — 13. Ad hæc Jacobi filii *a*) Sichemo ejusque patri Chamori dolose respondent, quoniam ille sororem suam vitiaverat; 14. se non posse sororem suam homini præputium habenti dare, quod sibi probrosum foret. 15. Sed tum se velle votis eorum annuere, si se ipsis accommodarent, omnesque mares suos circumciderent; 16. tunc se filias suas eis elocaturos esse et vicissim eorum filias sibi sumturos, et simul habitantes in unum populum coalituros. 17. Sin minus, se sororem suam vi esse abducturos. — 18. Placebat

a) cf. Cap. XXIV, 50. not. *d*)

conditio Chamoro ejusque filio Sichemo. 19. Neque differebat adolescens eam implere. Captus enim erat amore puellæ et maximi habebatur a familia paterna. 20. Utrique igitur in forum oppidi veniunt, atque civibus demonstrant: 21. *Jacobum ejusque familiam* homines esse pacato erga se animo, velle eos terram incolere et peragrare, quæ satis spatiosa sit et eorum vitæ generi accommodata; volunt nobiscum, inquiebant, mutua matrimonia inire. 22. Sed sub hac tantum conditione apud nos habitare, et in unum populum coalescere volunt, si mares, qui sunt inter nos, circumcidantur, quemadmodum ipsi circumcisi sunt. 23. Se quidem auctores esse et suasores, ut eis hac in re concedatur: nam si sic una habitarent, pecora eorum, facultates et jumenta sua fore. 24. His Chamoris et Sichemi dictis morem gesserunt omnes oppidani, maresque circumcidi passi sunt. — 25. Tertio die post, quo maxime ex vulnere dolorem sentiebant, duo Jacobi filii, Simeon et Levi, fratres germani Dinæ, cincti gladiis audacter oppidum invadunt, omnesque mares interficiunt. 26. In his Chamorem ejusque filium Sichemum, ex cujus ædibus Dinam abducunt. 27. Reliqui vero Jacobi filii trucidatos spoliant et urbem diripiunt, quod soror eorum in ea esset vitiata. 28. Pecus eorum et armen-

tum

tum et asinos, omnia quæ in urbe aut in agris essent, auferunt. 29. Omnes facultates, infantes et mulieres deprædantur, et captivos abigunt, omnia omnino quæ in ædibus inveniebant. 30. Jacobus vero conquestus est cum Simeone et Levi, quod se in tantum salutis periculum odiumque incolarum Canaæorum et Pheresæorum adduxissent. Se quidem esse numero paucos; illos igitur conjunctis viribus se suamque familiam aggressuros esse, et perdituros. 31. Illi vero regerebant, non æquum esse, ut pro meretrice habita esset soror ipsorum.

CAPUT XXXV

Jacobus jussu Dei Bethelem proficiscitur ad sacra ibi facienda; antea tamen tollit e familia sua idola. Quo facto Bethele aram Jovæ exstruit. Moriuntur Debora nutrix Rebeccæ et Rahel in partu Benjaminis. Ruben concumbit cum noverca sua Bilha. Filii Jacobi. Mors Isaaci.

1. Non ita longe post jussit Deus Jacobum Bethelem proficisci, ibi habitare et aram exstruere, quam ipsi fovisset, cum ei in fuga ab Esavo fratre suo comparuisset. 2. Tum Jacobus omnibus domesticis suis præcepit, ut deos peregrinos a se removerent, sese lavarent, vestesque mutarent; 3. Profecturos esse se Bethelem, ibi velle se aram exstruere Deo, qui preces suas difficillimis illis temporibus exaudiverit,

et in illa peregrinatione ſua adjuverit. 4. Tradunt igitur ſimulacra deorum peregrinorum et inaures Jacobo, qui iſta omnia ſub terebintho, quæ Sichemi eſt, abdidit. 5. Quo facto caſtra movent. Deus vero tantum terrorem injecit urbibus finitimis, ut non auderent perſequi Jacobi filios. 6. Venit igitur Jacobus *ſalvus* et *incolumis* Luſam (quæ urbs fuit Cananææ, jam Bethel dicta) una cum ſuis omnibus. 7. Ibi aram exſtruxit et locum illum Deo ſacrum Bethel *a*) vocavit, quod ibi in fuga a fratre ſuo Deum viderat. 8. Tum quoque Debora nutrix Rebeccæ mortua eſt et ſepulta juxta Bethelem ſub quercu, quæ propterea quercus luctus vocata eſt. *b*) — 9. De-

a) *Vocavit* לַמָּקוֹם אֵל בֵּית־אֵל vulgo explicatur per ellipſin ſubſtantivi מָקוֹם repetendi ex antecedenti: vocavit locum *locum Dei Bethelis*. Sed paulo durior videtur hæc ellipſis. Secutus ſum in verſione Ill. *Michaelem*, qui verba ſic jungit: *Vocavit* לַמָּקוֹם אֵל *locum Dei*, h. e. locum Deo ſacrum, *Bethel*. Sic מקום דויד mons Moria vocatur, in quo David ſacra fecit, 2 Paral. 3, 1. et 1 Paral. 26, 27. מקום κατ᾽ ἐξοχὴν de templo dicitur, vid. Bibl. Or. P. IX. p. 200.

b) Mors Deboræ, nutricis Rebeccæ, commemoratur a Moſe, non quod dignior videretur afferri quam mors Rebeccæ, de qua nihil memoriæ prodidit, ſed quia originem nominis illius quercus voluit indicare, quæ ejus ævo adhuc perdurabat

9. Deinde Deus iterum apparuit Jacobo, postquam ex Mesopotamia redierat, eique bene precatus est 10. his verbis: Non amplius Jacobus, sed Israel vocaberis (hinc id nomen ei inditum est). 11. Ego sum Deus summus, inquit, augearis multa sobole, gentis immo complurium gentium pater eris, et reges ex te originem suam deducent. 12. Terram, quam Abrahamo et Isaaco promisi, tibi dabo, nempe posteris tuis. 13. His dictis ex loco, in quo cum eo locutus fuerat, discessit. 14. Jacobus vero in illo loco statuam lapideam erexit, quam vino et oleo perfudit. 15. Locum ipsum Bethelem nominavit. 16. Cum inde castra movissent, et milliari fere germanico abessent ab Ephrata, c) peperit Rahel, et quidem difficulter. 17. In quo partu, cum eam obstetrix sine metu esse juberet, quod filium esset enixa,

bat; quod et in aliis facere solet: in nomine urbis Zoar 19, 22. Bethelis 28, 9. Quam maxime erat e consilio Mosis, ut Israelitæ in locis illis aliqua de re memorabilibus majorum suorum recordarentur et promissionum, quas accepissent.

c) Tam longe distare sepulcrum Rahelis a Bethlehemo, quod h. l. antiquo suo nomine Ephrata vocatur, probant scriptores Geographici. vid. *Bachiene* in Palæstina Tom. II. P. II. p. 1. seqq.

enixa, 18. illa animam agens (moriebatur enim)
eum Benoni vocavit, pater vero Benjamin. 19. Sic
Rahel mortua eſt et ſepulta in via verſus Ephratam,
quæ jam Bethlehem nominatur. 20. Jacobus vero
cippum erexit in ejus tumulo, qui etiamnum cippus
Rahelis vocatur. 21. Inde Iſrael caſtra movit, po-
ſuitque tentoria ſua ultra turrem Eder. 22. In qua
regione cum habitaret, Ruben concubuit cum Bilha
concubina patris ſui, quod ei etiam non latuit. —
Habebat vero Jacobus duodecim filios, 23. quos
ex Lea ſuſtulerat, primogenitus erat Ruben, al-
ter Simeon, porro Levi, Juda, Iſaſchar, Sebu-
lon. 24. Rahelis filii erant Joſephus et Benjamin.
25. Bilhæ ancillæ Rahelis, Dan et Naphtali.
26. Silpæ vero ancillæ Leæ, Gad et Aſcher. Qui
omnes ſunt filii Jacobi, nati in Meſopotamia.
27. Tandem ad Iſaacum patrem ſuum venit Mam-
rem, *prope* Kiriath Arba, quæ Hebron jam dicitur,
Ibi Abrahamus et Iſaacus commorati ſunt. 28. Vi-
xit autem Iſaacus omnino centum et octoginta an-
nos, 29. tandemque ex hac vita diſceſſit et ad
populares ſuos collectus eſt ſenex decrepitus. Se-
peliverunt eum Eſavus et Jacobus, ejus filii.

CAPUT

CAPUT XXXVI

Genealogia Esavi et series tribuum, quæ ex filiis ejus aut nepotibus vocatæ sunt. Nonnulla de antiquis montium Seiriticarum incolis. Reges Edomitarum usque ad tempora Mosis.

1. Hæc est genealogia Esavi, qui et Edomus vocatur. 2. Esavus in matrimonium duxit mulieres Cananæas, Adam Elonis filiam Chittæam, et Oholibamam filiam Anæ, qui filius a) fuit Sibeonis Chivvæi. 3. Et Basmatham filiam Ismaelis Nebajothi sororem. 4. Ex Ada sustulit Eliphasum, ex Basmatha Reuelem, 5. Ex Oholibama, Jeuschum, Jalamum, Korachum. Qui omnes Esavo nati sunt in terra Cananæa. 6. Ex qua migravit una cum mulieribus suis et liberis et familia, cum pecore et gregibus omnibusque opibus, quas in Cananæa acquisiverat, cum se a Jacobo fratre suo separaret. 7. Majores enim erant eorum facultates, quam ut una

a) Pro בַּת־צִבְעוֹן legendum esse בֶּן־צִבְעוֹן dubio caret. Non solum propter auctoritatem Cod. Sam. et versionis græcæ et syriacæ, sed etiam propter versum 24, ubi inter filios Sibeonis *Ana* nominatur, et in versu 29. post ducem Sibeonem vocatur dux Ana. Plura vide apud *Hubigantium* et *Michaelem* in Dissertat. de Troglodytis, quæ legitur in Syntagm. Commentt. P. I.

una habitare possent: non poterat terra, in qua peregrinabantur, greges eorum alere. 8. Inhabitavit igitur regionem montanam Seiri. Ab illo Esavo originem deducunt Edomitæ, 9. atque hæc est ejus genealogia: 10. Nomina filiorum Esavi sunt: Eliphasus Adæ et Reuel Basmathæ filius. 11. Eliphasus filios habuit sequentes, Temanem, Omarem, Zephoum, Gathamum et Kenasum. 12. Ex concubina vero Timna sustulit Amalekum. Illi vero sunt filii Adæ, uxoris Esavi. 13. Reuelis filii erant Nachat, Serach, Schama et Missa: qui sunt posteri Basmathæ uxoris Esavi. 14. Oholibama, filia Anæ filii *b*) Sibeonis itidem Esavi uxor peperit Jeuschum, Jalamum et Korachum. — 15. Principes *c*) ex Esavo orti, sunt sequentes, et quidem ex Eliphaso ejus primogenito: Teman, Omar, Zepho, Kenas, 16. Korach, Gatham, Amalek: hi terram Edomiticam

b) vid. v. 2. not. *a*).

c) *Principes* f. *duces* sunt intelligendi de tribubus, in quas Edomitæ fuerunt distributi. Quemadmodum enim Israelitæ suas tribus diviserunt secundum numerum et nomina progenitorum suorum, quarum tribuum singulæ suos principes et duces habuerunt; sic quoque Edomitæ ex numero filiorum Esavi suos principatus f. ducatus diviserunt. Hinc est, quod primo nomina filiorum et nepotum Esavi leguntur, deinde eadem nomina ab hoc versu repetuntur, ut nomina principatuum f. tribuum.

eam incoluerunt, atque ex Ada originem deducunt. 17. Reuel filius Esavi hos habuit filios principes: Nachatum, Seracham, Schamam, Missam, terram Edomiticam inhabitantes, Basmathæ posteros. 18. Ex Oholibamæ filiis, quæ etiam Esavi uxor fuit, et Anæ filia fuerunt principes, Jeuscha, Jalam, Korach. 19. Hi igitur Esavi, qui Edom dicitur, filii, principes *regionum*, *quas incolebant*, fuerunt. — 20. Seiri Choritæ, *primi* terræ incolæ, filii fuerunt Lodan, Schobal, Sibeon et Ana, 21. Dischon, Ezer, Dischan: qui etiam illius regionis principes fuerunt. 22. Lodani filii erant Chori et Hemam. Soror Lodani vocabatur Timna. 23. Schobalis filii erant: Alvan, Manachat, Ebal, Schepho et Onam. 24. Sibeonis filii: Aja *d*) et Ana: Hic est ille Ana, qui thermas in deserto invenit, cum asinos Sibeonis patris pasceret. 25. Anæ filius: *e*) Dischon, et filia Oholi-

d) Litera Vau, quæ in textu hebræo legitur ante איה abest in Cod. Samaritano et versionibus omnibus præter utrumque Arabem. Quorum auctoritas tanta non esse videtur, ut suspicio justa, deesse nomen, oboriatur.

e) In textu quidem legitur formula vulgaris: *hi sunt filii Anæ*, quanquam unus Dischon sequatur. Sed videtur, ut in præcedentibus, ita hoc loco quoque esse servata; neque dissensus antiquiorum interpretum satis probat unum alterumque nomen scribarum errore excidisse. Offenderunt

 fortasse

Oholibama. 26. Ille vero filios habuit: Chemdan, Eſchban, Jithran et Ceran. 27. Ezeri filii: Bilhan, Saavan, et Akan. 28. Diſchanis filii: Uz et Aran. 29. Hi igitur principes ſunt Choritarum: Lodan, Schobal, Sibeon, Ana, 30. Diſchon, Ezer, Diſchan, diverſos principatus conſtituentes in regione Seir. — 31. Reges Edomitarum, antequam Iſraelitæ reges haberent, 32. fuerunt Bela Beoris filius, ſedes regni ejus erat Dinhaba. 33. Bela mortuo, regnavit Jobab Serachi filius Bozrenſis. 34. Cui ſucceſſit Chuſcham Themanita, 35. atque huic Hadad Bedadi filius, qui Midianitas in campis Moabiticis clade profligavit: Regia ejus fuit Avith. 36. Poſt Hadadum Samla regnavit Maſrekita. 37. Poſt Samlam Saulus Rechobothi ad Euphratem natus. 38. Saulo in regno ſucceſſit Baal Chanan Achboris filius. 39. Quo mortuo regnum capeſſivit Hadar, qui Paum ſedem regni elegit: uxor ejus fuit Mehetabeel, filia Matredi quæ Meſahabi filia fuit. — 40. Hi quoque ex Eſavi poſteris principes fuerunt gentium ſuarum, ſedibus et nominibus diverſi: Timna,

fortaſſe in illa formula, quæ ſequentibus contradicere videbatur. Hinc vulgatus interpres vertit: *habuitque filium Diſon.* Syrus vero ex filia Oholibama facit filium. *Hi ſunt filii Anæ, Diſchon et Oholibama.* Sed Cod. Sam. Onkelos et Arabs conſentiunt in lectione recepta.

na, Alva, Jetheth, 41. Oholibama, Ela, Phinon, 42. Kenas, Teman, Mibzar, 43. Magdiel, Iram. Hi principes omnes terram Edomiticam in diversis tractibus s. provinciis tenebant. Ex Esavo vero Edomitæ originem deducunt.

CAPUT XXXVII

Josephus propter amorem patris in ipsum, et propter somnia, quae futuros ejus bonores ominabantur, fratribus suis fit invisus, qui eum in Aegyptum vendunt, patri vero persuadent eum a fera esse discerptum.

1, 2. Sequitur historia eorum, quæ Jacobo acciderunt, quum in Cananæa habitaret, in qua antea etiam pater ejus fuerat commoratus. Josephus anno ætatis septimo decimo greges pascebat una cum fratribus suis. Sed cum puer adhuc esset, utebatur maxima consuetudine eorum ex fratribus suis, quos pater ex Bilha et Silpa susceperat: et deferebat ad patrem malos rumores, qui subinde de iis spargebantur. 3. Amabat vero Israel Josephum præ cæteris filiis suis omnibus, quod eum senex genuerat, eumque tunica versicolori donaverat. 4. Quod cum viderent fratres ejus, multo magis eum oderunt, ita ut ne salutare quidem possent. 5. Aliquando somnium viderat. Quod cum eis narraret, odium eorum adversus ipsum magis adhuc excitavit. 6. Tale

vero

vero erat somnium illud: 7. manipulos, inquiebat; colligebamus in agro. Is quem ego feceram, stabat erectus. Sed vestri meum cingebant et venerabantur. 8. Fratres respondebant: Ita rex noster eris, nobisque imperabis? Hinc majori odio eum propter istud somnium persecuti sunt. 9. Deinde iterum somnium vidit, quod fratribus suis his verbis exposuit: videbam in quiete solem et lunam et undecim stellas me venerari. 10. Quod cum non solum fratribus, sed et patri narraret, hic eum objurgabat: quale est, inquit, somnium istud, quod somniasti? Num ego et mater tua et fratres te humi supplices veneremur? 11. Fratres quidem ei multo magis invidebant, pater vero illud somnium alta mente repostum servavit. — 12. Aliquando cum fratres Josephi greges patris sui ad Sichemum pascerent: 13. dixit ei pater, velle se eum ad fratres suos mittere. Josephus se paratum esse respondit. 14. Abi igitur, inquit ille, Sichemum et vide num valeant fratres tui et greges, et quid agatur, mihi renuncia. Ita dimissus e valle Hebronis venit Sichemum. 15. Ibi offendit eum aliquis in agro errantem, eumque interrogavit, quem quæreret? 16. Quæro fratres meos, respondet, nostine ubi jam pascant? 17. Audivi, inquit ille, cum hinc discederent, eos dicere, se velle Dothanam abire.

Jose-

Josephus igitur eos Dothanam subsecutus ibi quoque fratres suos invenit. 18. Qui cum eum ex longinquo viderent, antequam ad eos venisset, consilia de eo interficiendo inierunt. 19. En, inquiebant, somniatorem! 20. occidamus eum et abjiciamus in cisternam, deinde fingamus eum a feris esse devoratum; tum apparebit, quem eventum habitura sint ejus somnia. 21. Quæ cum Ruben audiret, studuit conservare Josephum, et fratres a nece patranda est dehortatus. 22. Sed suasit, ut eum vivum demitterent in cisternam, quæ in solitudine esset. Quod eo consilio fecit, ut eum manibus eorum ereptum redderet patri suo. 23. Igitur cum Josephus ad fratres suos venisset, eum, detracta tunica versicolori, qua indutus erat, 24. demiserunt in cisternam illam aqua vacuam. 25. Cum cœnarent, videbant agmen Ismaelitarum, qui ex Gileaditide venientes cum camelis styrace, resina lentiscina et ladano onustis Aegyptum petebant. 26. Tum Juda fratribus suis inquit, quid proderit nobis fratrem interficere, et deinde necem istam celare? 27. Vendamus eum potius Ismaelitis, et sic abstinemus a cæde in fratre commissa. Probarunt hoc Judæ consilium omnes. 28. Et cum mercatores illi Midianitici præterirent, Josephum e cisterna extractum eis vendiderunt viginti siclis argenteis, qui eum secum in Aegyptum abdu-

abduxerunt. — 29. Deinde cum Ruben Josephum in ista cisterna non invenisset, sciſſis vestibus 30. venit ad fratres, dixitque, puer est occisus, quo me vertam nescio. 31. Illi vero mactarunt hœdum et tunicam Josephi sanguine cruentarunt. 32. Deinde eam ad patrem miserunt, ut videret, num hæc tunica, quam invenissent, sit tunica filii sui, nec ne. 33. Jacobus statim eam agnovit: Est, inquit, tunica filii mei, quem fera bestia devoravit, laceratus est Josephus! 34. Suas deinde vestes scidit et vestitu lugubri indutus diu luxit filium suum. 35. Et quanquam ad eum consolandum omnes ejus filii et filiæ venirent, noluit tamen consolationem admittere: Brevi, dictitabat, descendam præ mœrore ad inferos ad filium meum. Sic luxit eum pater! 36. Midianitæ vendiderunt Josephum in Aegypto Potifari aulico Pharaonis satellitum principi.

CAPUT XXXVIII

Judæ matrimonium et tres filii. Ejus incestus cum nuru sua, quæ gemellos parit.

1. Aliquando a) Juda se separaverat a fratribus suis,

a) בְּעֵת הַהִיא *Illo tempore.* At enim vero quæ in hoc capite narrantur, eodem tempore, quo Josephus venditus est, facta esse non possunt. Quod ex annorum computatione

ſuis, et tentoria ſua verſus auſtrum tendens b) vicinum habuit virum Adullamiticum, nomine Chiramum. 2. Ibi vidit filiam Cananitæ, cui nomen erat Schua, quam in matrimonium duxit. 3. Peperit ea filium, quem Erum vocavit. 4. Alter ejus filius Onan, 5. et tertius Schela nominabatur. Commorabatur vero Juda, cum hic ei naſceretur, Cheſibæ. — 6. Primogenito ſuo filio Ero uxorem dedit Thamarem.

7. Sed

tione facile poteſt doceri. Nam ab eo tempore, quo Joſephus in Aegyptum pervenit, usque ad demigrationem Jacobi cum familia ſua in Aegyptum non plures anni præterierunt, quam tres et viginti. Quod temporis intertervallum nimis breve eſt, quam ut Juda tres filios gignere, eos in matrimonium dare, atque ex nuru ſua iterum duos filios tollere potuiſſet, quorum alter, cum Aegyptum ingrederentur, etiam duos filios habebat. Cap. 46, 8. 12. — Igitur hæc hiſtoria ſine dubio referenda eſt ad primos annos reditus Jacobi ex Meſopotamia, de quo Cap. 33, 17. בעת ההיא vero late dicitur de omni tempore vel præterito vel ſequenti, ut Græcorum τότε in Nov. Teſt. cf. *Clericus* in Comment. ad h. l. — *Aſtrucius* in Conjectures ſur la Geneſe p. 388. difficultatem ex hypotheſi ſua ita ſolvit, ut dicat hanc hiſtoriam pertinere ad fragmentum, quod B vocat, et jungendum eſſe cum Cap. 33, 17. Cui pericopæ ex aliis fragmentis inſerta ſint Capp. 34. 35. 36. 37.

b) hebr. וירד *deſcendit*, h. e. verſus auſtrum profectus eſt. Adullam enim in valle Judæ ſita erat.

7. Sed cum ille Jovæ minus probaretur, præmatura morte eum sustulit. 8. Juda igitur jussit Onani, ut ex jure consanguinitatis cum fratris uxore congrederetur c), ejusque nomen in filio servaret. 9. Onan vero, quod sciebat liberos non futuros esse suos, concubitum cum ea, profusione seminis fecit infructuosum. 10. Quod Deo adeo displicuit, ut et hunc præmatura morte puniret. 11. Tum Juda Thamarem nurum suam jussit viduam manere apud parentes suos, donec Sela filius ejus natu minimus adolevisset: cavere enim volebat, ne et hic ante tempus moreretur. Rediit igitur Thamar ad parentes. — 12. Post tempus bene longum mortua est uxor Judæ, filia Schuæ. Quam cum pro more luxisset, profectus est cum Chiramo amico suo Adullamita Thimnam ad pecus tondendum. 13. Quod cum Thamari nuntiatum esset, 14. depositis viduitatis vestimentis et sumto peplo quo se obvolvit, consedit ad portam urbis Enajim in via, qua Thimnam itur. Sciebat enim Schelam adolevisse, neque tamen se ei in matrimonium datam esse. 15. Juda cum eam videret, scortum esse existimavit, quod facie erat obvoluta:

c) De hac lege optime egit Ill. *Michaelis* in Jure Mos. P. II. p. 186. seqq. Ex hoc loco apparet legem hanc fuisse antiquissimam inter Orientales, et Mosen ejus rigorem tantum mitigasse. Devt. XXV.

voluta: 16. deflectit ad eam de via petiitque, ut ipsi sui copiam faceret: ignorabat enim nurum suam esse. Illa, quid mihi dabis? inquit. 17. Mittam tibi, respondet hic, hoedum. Tum illa, si mihi pignus dabis donec *hoedum* miseris. 18. Quale vero pignus, inquit ille, vis ut tibi dem? sigillum, respondet, cum filo *de quo pendet*, *d*) et baculum, quem manu tenes. Quae cum dedisset, iniit eam gravidamque fecit. 19. Illa vero peplo deposito induit vestes quibus antea usus erat. 20. Juda vero misit hoedum per amicum suum Adullamitam, ut mulier ei pignus redderet. 21. Quam cum non inveniret, interrogat incolas illius loci, ubinam sit meretrix, quae in via ad Enajim sedisset. Verum illi negant meretricem ibi fuisse. 22. Reversus igitur ad Judam ei renunciavit, non inventam esse a se meretricem istam, atque adeo homines illius loci negare, fuisse ibi meretricem. 23. Respondet Juda: sibi habeat *illa* quae dedi, neque amplius de ea quaeremus, ne aliis ludibrio simus: misi hoedum et tu eam non invenisti. — 24. Tribus circiter mensibus post nuntiatur Judae, Thamarem nurum

d) Solent nempe familiarum principes sub veste superiore sigillum in loculo et in filo munitum gestare. vid. *Paulsen* von der Regierung der Morgenländer p. 307.

nurum suam ex scortatione gravidam esse. Tum Juda eam educi jubet et igne comburi. 25. Illa vero, cum jam ad supplicium duceretur, mittit ad socerum: se a viro, cujus hæc essent, gravidam factam esse, recognosceret cujus hic sit annulus et filum et baculus. 26. Juda statim agnovit *sua* et confessus est illam non tam quam se ipsum in culpa esse, quod filium suum Schelam ei non in matrimonium dederit. Postea verò non amplius cum ea est congressus. 27. In ipso partu enixa est gemellos. 28. Alterius manui obstetrix alligavit filum coccineum, quod eum existimabat primum esse proditurum. 29. Sed manu reducta frater ejus prodiit. Tum obstetrix dixit: quanta vi erupisti: tua est hæc culpa. Hinc nomen Pherez accepit. 30. Deinde frater ejus prodiit cum filo coccineo, qui Serachus dictus est.

CAPUT XXXIX

Josephus in Aegypto Potifari venditur, cujus favorem sibi conciliat. Ab uxore ejus tentatur ad concubitum, sed frustra. Propterea falso a muliere accusatur et in carcerem conjicitur. Verum etiam ibi favorem inspectoris experitur.

1. Josephum in Aegyptum deductum ab Ismaelitis emit Potifar aulicus Pharaonis, satellitum princeps Aegyptius. 2. Cujus in ædibus cum esset, Jova ei inprimis

inprimis favit, omnibusque conatibus ejus felicissimos largitus est successus. 3. Quod cum dominus ejus animadverteret, 4. eum et ipse tantopere amare incepit, ut ejus ministerio uteretur, domui suæ præficeret, et omnia ejus fidei committeret. 5. Ex quo tempore Jova multo magis res Aegyptii fortunavit, ut in omnibus, domi forisque, favor et benevolentia Jovæ conspicua esset. 6. Hinc factum est ut Potifar omnia Josepho committeret, nec ullius rei rationem ab eo repeteret, nisi victus sui. a) — Erat autem Josephus facie et forma admodum pulcra. 7. Quæ causa fuit, ut non ita multo post uxor Potifaris amore Josephi capta eum ad concubitum sollicitaret. 8. Sed ille renuens; vides, inquit, herum meum nullius rei, quæ apud ipsum agatur, curam gerere, atque omnia fidei meæ commisisse. 9. Non est in hac domo, qui mihi præferatur, nec ulla re mihi interdixit, nisi te una, quæ quidem sis ejus uxor; et quomodo ego tam gravi scelere Deum offendam? 10. Cum vero quotidie ejusmodi sermonibus eum sollicitaret, nec tamen ille in concubitum aut congressum cum ea consentiret, 11. ac-

a) Quoniam Aegyptiorum victus diversus erat ab Hebræorum victu, Cap. 43, 32. Potifar tantum victus sui curam gessit, neque eum, uti reliqua, voluntati Josephi permisit.

11. accidit ut negotiorum cauſa aliquando in gynæceum veniret, cum nemo de aliis domeſticis ibi eſſet. 12. Tum illa veſte ſuperiore eum tenuit et ut ſecum concumberet, petiit. Ille vero relicta veſte aufugit. 13. Mulier cum videret eum veſtem reliquiſſe et fugiſſe: 14. convocavit domeſticos, eisque quid accidiſſet hunc in modum narravit: Videte, hominem Hebræum ad nos introduxit, ut nos vitiaret. Veniebat ille volebatque me comprimere. Sed cum quantum poſſem clamarem, 15. ille clamore perterritus veſtem mihi reliquit et fuga ſe proripuit. 16. Quam veſtem ſervabat, usque dum herus ejus domum veniſſet. 17. Cui eodem modo rem narravit: Servus iſte Hebræus, quem in domum recepiſti, voluit me vitiare. 18. Cum vero ego clamorem tollerem, relicta veſte foras aufugit. 19. Herus his mulieris ſuæ dictis ira commotus, 20. juſſit Joſephum in carcerem *b*) conjici, in quo

captivi

b) De originatione vocabuli סֹהַר quod tantum h. l. et ſequenti capite v. 3. 4. legitur, quærunt lexicographi. *Carcerem* intelligi contextus docet, atque ipſius vocis, quæ addita eſt, explicatio. Sed linguæ cognatæ varias offerunt voces, cum quibus hebræa conferri poteſt. Dicam tantum de una; quam *Simonis* in Lexico ſuo poſuit: nimirum vocem Syriacam סְהַרְתָּא contulit, quæ *turrem*

ſeu

captivi regis servabantur. 21. Verum etiam ibi Jovæ favorem expertus est. Etenim conciliabat ei favorem et benevolentiam præfecti carceris. 22. Ita ut hic ei curam omnium reliquorum captivorum mandaret, et omnia per eum administraret. 23. Nihil eorum, quæ ei commisisset, amplius curabat præfectus carceris, quod Jova Josepho aderat, omnesque ejus conatus prosperabat.

CAPVT XL

Josephus duobus regis Pharaonis aulicis in carcerem conjectis somnia interpretatur.

1. Posthæc accidit, ut princeps pincernarum et princeps pistorum regis Aegypti eum admisso scelere offendissent, 2. propter quod Pharao his duobus aulicis suis iratus factus 3. jussit ut in carcerem conjiceren-

tur,

seu *arcem* significat. *Michaelis* in Biblioth. Or. IX. p. 203. suspicatur vocabulum hebraicum fortasse cum Chet scribendum esse, ut sic huic syriaco prorsus respondeat; cujus conjecturæ pretium *Kennicotii* collatio Codd. debeat definire. Quam cum inspicerem, inveni utique codicem citari 244, in quo versu 20. scriptum extet vocabulum dubium per Chet; sed semel tantum in illo loco. In reliquis ubi repetitum est, hæc lectio non invenitur. Igitur in illo loco scribæ error est, qui ob literarum similitudinem facile potuit committi.

tur, qui esset in ædibus principis satellitum, in quibus Josephus captivus tenebatur. 4. Quorum curam ille quoque Josepho commisit. Ibi cum per annum fuissent, 5. uterque cum pincernarum, tum pistorum princeps una nocte somniarunt, sed diversæ sententiæ somnia. 6. Mane cum ad eos Josephus venisset, tristesque vidisset, 7. interrogabat eos, quid tristes essent. 8. Illi respondebant se somnia vidisse et neminem esse qui ea explicaret. Dei quidem est, regerebat Josephus, somnia interpretari. Sed narrate mihi *somnia vestra*. 9. Tum pincernarum princeps somnium suum his verbis Josepho narravit: Visus sum mihi videre in somno vitem, 10. in qua tres essent palmites. Mox gemmas videbatur protrudere, florere, et uvæ maturescere. 11. Ego vero Pharaonis poculum manu tenebam. In quo cum succum illarum uvarum aqua temperassem *a*), illud ei tradebam. 12. Explicatio somnii tui, inquiebat Jo-

a) שחט tantum h. l. per Sin, alias per Schin significat *jugulare*, *mactare*. Quæ notio cum h. l. parum apta videretur, interpretes antiquiores omnes et complures ex recentioribus per *exprimere* verterunt. Sed *Schultensius* in Animadv. philol. ad h. l. negavit ex ulla linguarum cognatarum posse hanc significationem probari; phrasin vero tritissimam esse docuit apud Orientales, *jugulare vinum*, pro *miscere*. Digna est illa observatio quæ tota legatur.

Josephus, est hæc: tres palmites significant totidem dies. 13. Quibus exactis Pharao te arcesset et muneri tuo iterum præficiet, ita ut ei poculum sicuti antea porrigas. 14. Memineris mei cum bene tibi erit, atque id beneficii mihi tribue, ut mei mentionem facias apud regem, et dimissionem ex hac domo procures. 15. Raptus enim sum ex Ebræorum regione, neque hic quicquam commisi quod carcere dignum esset. — 16. Pistorum præfectus cum videret fausta prædixisse Josephum, dicit ei: Ego vero videbar mihi in capite ferre tria canistra perforata s. reticulata. 17. In quorum summo varii generis cibi pistorii erant pro Pharaone, quos volucres comedebant ex illo canistro in capite meo. 18. Respondet Josephus: hæc est somnii interpretatio: tria canistra sunt tres dies; 19. quibus exactis jussu Pharaonis e patibulo suspenderis, tum vero pascentur volucres carne tua. 20. Tertio die post, qui dies natalis erat Pharaonis, hic convivium paraverat amicis suis, quo et principem pincernarum et pistorum præfectum arcessi jussit. 21. Illum quidem muneri suo iterum præfecit, ut poculum ipsi porrigeret. 22. Illum vero suspendi jussit, quemadmodum Josephus ei prædixerat. 23. Pincernarum autem præfectus immemor fuit Josephi.

CAPVT XLI.

Josephus Pharaonis somnium interpretatur et sententiam suam addit, qua ratione fami per septem annos duraturae prospici possit. Quae cum regi valde probaretur, ipse huic rei curandae a rege praeficitur.

1. Biennio post Pharao in somnio videbatur sibi stare ad Nilum, 2. ex quo ascenderent septem vaccae magnae et pingues, quae pascerent in carecto. 3. Deinde videbantur ascendere ex eodem Nilo aliae septem minutae et tenues; quae, cum ad illas in ripa Nili constitissent, 4. eas devorabant. Hic Pharao e somno excitatus est. 5. Sed iterum somnians, videbatur sibi videre septem spicas ex uno calamo erescere plenas et magnas. 6. Mox alias septem tenues et euro adustas post illas, 7. quae deglutirent septem illas plenas et magnas. Tum *iterum* Pharao expergefactus intelligebat se somniasse. — 8. Mane animo vehementer commotus jussit convocari omnes Aegypti hariolos et sapientes; quibus somnia sua enarravit. Sed nullus eorum poterat ea interpretari. 9. Tum summus pincerna Pharaonem hunc in modum alloquitur. Recordor jam criminis a me olim commissi. 10. Cum Pharao mihi et coquorum principi irasceretur, nosque in carcerem conjecisset apud magistrum satellitum: 11. nos una eademque

nocte

nocte somnia habuimus diversa. 12. Erat autem nobiscum ibi servus principis satellitum natione hebræus: huic narravimus somnia nostra, atque ille ea nobis est interpretatus. 13. Cui ejus interpretationi respondit etiam eventus: ego enim muneri meo restitutus sum, ille vero est suspensus. 14. Tum Pharao Josephum arcessi jussit: qui sine mora e carcere eductus tonsa barba et vestitu mutato ad regem venit. 15. Qui eum sic alloquitur: Somnia vidi, quæ nemo potest explicare. Ego vero audivi te hujus artis esse peritissimum. 16. Josephus vero negavit sibi hanc inesse facultatem, interim sese vehementer optare, ut Deus ei salutaria indicet. 17. Videbar mihi, inquit Pharao, in somnio stare ad ripam Nili. 18. Ex quo ascendebant septem vaccæ pingues et formosæ, quæ in carecto pascebant. 19. Post has videbantur ascendere septem aliæ adeo macilentæ et deformes, ut similes nunquam viderim in Aegypto; 20. hæ devorabant septem illas priores pingues: 21. atque tamen illis devoratis pristinam suam deformitatem retinebant. Tum expergefactus sum. 22. Sed iterum somno oppressus, videbar mihi videre septem spicas eodem in culmo crescentes plenas et magnas, 23. post quas succrescebant septem aliæ jejunæ, graciles, euro adustæ, 24. quæ videbantur deglutire septem

 illas

illas priores bonas. Enarravi hæc somnia hariolis, sed non possunt mihi explicare. — 25. Tum Josephus Pharaoni respondet: somnia hæc unum idemque significant: Deus Pharaonem certiorem facit eorum, quæ post sunt eventura. 26. Septem vaccæ bonæ significant totidem annos; similiter septem spicæ bonæ totidem annos notant: utriusque somnii unus idemque sensus est. 27. Etiam septem vaccæ tenues et deformes, quæ post priores ascenderunt, septem annos notant, ut et septem spicæ graciles, euro adustæ. Fames septem annorum est futura. 28. Hoc igitur est, quod jam Pharaoni dixi. Deus Pharaoni indicat, quid facturus sit. 29. Nimirum venient septem anni inprimis fertiles per universam Aegyptum. 30. Quos excipient septem alii tantæ sterilitatis, ut memoria illius ubertatis plane pereat. Vehementer admodum fames terram affliget. 31. Ex illa abundantia nihil restabit, fame posthac orta, quæ inprimis gravis est futura. 32. Repetita autem sunt hæc somnia duabus vicibus, quod Deus hæc sit certo atque brevi facturus. 33. Jam igitur circumspiciat Pharao virum sapientem et prudentem, quem Aegypto præficiat. 34. Præterea deleget curatores, qui septem illis abundantiæ annis quintam frumenti partem in tota Aegypto accipiant, 35. atque hanc fertilium illorum annorum annonam congestam reponant

ponant et ſervent in oppidis ad rationes regis, 36. ut ſeptem illis ſterilitatis annis Aegypti incolæ habeant unde vivant, neque fame pereant. 37. Quod *Joſephi* conſilium Pharao et amici ejus vehementer probabant. 38. Ille igitur negabat, quenquam exiſtere poſſe, qui tanta ſapientia præditus ſit, 39. atque ad Joſephum converſus eum ſic alloquitur: quia Deus tibi iſta omnia manifeſtavit, parem ſapientia et prudentia non habes. 40. Tu præeris palatio meo, omnes tibi parebunt, tantum regiam dignitatem mihi ſervo. 41. Atque ſic te, inquiebat Pharao, præficio toti Aegypto. 42. Simul annulum detractum ejus digito indidit. Veſtibus byſſinis *a)* indui et torque aurea ornari juſſit, 43. et imponi currui ſuo ſecundario et proclamari ante eum: Abrech. *b)* Et

a) Forſterus in libro eruditiſſimo de *byſſo antiquorum* (Londini 1776. 8.) probavit p. 46. שֵׁשׁ non linum eſſe, ſed *goſſypium arboreum*, vocemque eſſe Aegyptiacam. cf. *Faber* ad Harmarum P. II. p. 380. ſeqq.

b) Jablonskius ab Ill. *Michaele* per literas ſuper hac voce conſultus vocem אַבְרֵךְ: explicavit (Biblioth. Or. IX. p. 204.) ex ſententia *La Crozii*, qui voces eſſe Aegyptiacas dixerit ΟΥΒΕ ΡΕΧ, per: *inclinate contra*. Sed mirum eſt, laudatum modo *Forſterum* (l. c. p. 111.) qui ignoravit *Jablonskium* ſuper his vocibus Aegyptiacis ſententiam dixiſſe, ex eadem lingua longe aliter hanc vocem explicaſſe, Ni-

Et ſic eum præfecit c) toti Aegypto. 44. Porro Pharao Joſepho dixit: Ego ſum Pharao et ſine tua voluntate nemo ne manum quidem aut pedem movere debet in tota Aegypto. 45. Impoſuit deinde ei nomen Zaphnath Pahneach, d) deditque

Nimirum *Hapreebek* h. e. *a rege cinctus* vel *veſtitus*. Quam originationem probat ex eo, quod in antecedentibus narratum ſit, Joſephum veſte byſſina indutum, annulo regio et torque aurea ornatum, curru præterea regio vectum eſſe: inſuper igitur ante eum proclamatum eſſe: *en hominem regiis veſtibus cinctum!*

c) Pro וְנָתוֹן Cod. Sam. habet ונתן in præterito. Poteſt lectio recepta defendi ex idiotiſmo, quo verbum finitum cum infinitivo conſtructum ſaepe ſolet omitti (vid. *Glaſſius* p. 290.). Plene hæc conſtructio extat Num. 21, 2. נָתוֹן תִּתֵּן Nolo tamen contradicere, ſi quis illam lectionem ſequi malit, pro qua etiam *Kennicotius* octo Codices citavit.

d) Iterum valde diſſentiunt *Jablonskius* et *Forſterus* circa originem hujus nominis. Ille quidem explicat l. c. per *ſalvatorem mundi* ex lectione harum vocum in verſione Græca: Ψονθομφανήχ. Hic vero has voces legit: *Sabe-nouti pa-eneh*, h. e. ſapiens divinus ſpiritus æterni. Quam explicationem iterum valde probabilem reddit, quod rex Joſephum propter conſilii ſui quod dederat prudentiam virum vocavit ſpiritu divino præditum, a quo ſine dubio hæc omnia edoctus ſit etc. — Aliorum conjecturas ſuper his vocibus qui noſſe cupit, evolvat *Pfeifferum* in dubiis vexatis et *Monteſalconium* in Hexaplis de verſſ. græcis.

que ei in matrimonium filiam Potifari facerdotis Heliopolitani. 46. Annum agebat trigefimum Jofephus, cum a Pharaone Aegypti rege præfectus terræ conftitueretur. Quod cum factum effet, iter fufcepit per totam Aegyptum. — 47. Per feptem igitur annos infignis fuit terræ fertilitas. 48. Quibus Jofephus omnes fruges coegit in horrea oppidorum, in quæ omnes agrorum proventus cujusvis oppidi repofuit. 49. Et concervavit tantam frumenti copiam, ut numerari non poffet. — 50. Antequam vero anni ifti fteriles venirent, fuftulit Jofephus ex Afnate filia Potifari facerdotis Heliopolitani duos filios. 51. Primogenitum vocavit Manaffen, quod ei Deus omnis calamitatis atque adeo paternæ domus oblivionem attuliffet. 52. Alterum filium ei natum vocavit Ephraimum: fobolem mihi dedit Deus, inquiebat, in terra, in qua tot mala perpeffus fum. — 53. Exactis feptem annis fertilitatis in terra Aegyptiaca, 54. fequebantur feptem anni fteriles, quemadmodum Jofephus prædixerat: Tum vero omnes aliæ regiones fame premebantur, fed in Aegypto cibus fuppetebat. 55. Cum vero etiam Aegyptii fame laborare inciperent, victum a Pharaone flagitarunt. Hic vero eos ad Jofephum ablegavit, cujus voluntati morem gererent. 56. Fame vero per totam terram ingravefcente aperuit Jofephus horrea,

ven-

vendiditque Aegyptiis, 57. omnibusque aliis qui in Aegyptum veniebant ad commeatum ab eo emendum. Fames enim omnes illas regiones vehementer affligebat.

CAPVT XLII

Jacobus mittit filios suos in Aegyptum emendæ annonæ causa, præter Benjaminum, quem domi retinet. Josephus, qui eos statim agnoscit, durius cum eis loquitur, simulatque eos sibi suspectos videri. Post tres dies eos dimittit, sed retinet Simeonem, donec natu minimum, de quo ei dixerant, secum in Aegyptum adducerent. Quod cum patri suo narrant, hic negat se Benjaminum cum eis esse missurum.

1. Jacobus vero cum cognovisset, annonam in Aegypto venalem esse, dixit filiis suis: quid cunctamini? 2. Audio in Aegypto vendi frumenta: proficiscimini igitur eo et emite nobis, ne pereamus. 3. Igitur decem Josephi fratres profecti sunt in Aegyptum, ut emerent frumentum. 4. Benjaminum vero, fratrem Josephi germanum, noluit Jacobus una cum illis mittere, veritus, ne quid ei adversi accideret. 5. Cum in *Aegyptum* venissent una cum aliis (fames enim valde Cananæam affligebat) 6. adibant Josephum terræ præfectum, qui frumenta omnibus vendebat, eumque proni venerabantur. 7. Josephus statim agnovit fratres suos, sed alienum se simu-

ſimulans ſevere eos eſt allocutus. Interrogabat, unde venirent? illi reſpondebant: e terra Cananæa ad emendam annonam. 8. Simul Joſephus, qui quidem fratres ſuos agnoverat, hi vero non item eum, 9. recordatus eſt ſomniorum ſuorum, vos exploratores eſtis, inquiebat, ad exploranda loca minus munita veniſtis. 10. Illi viciſſim, pace tua, domine, ad frumentum emendum venimus: 11. Nos omnes unius patris filii ſumus, homines probi, nequaquam exploratores. 12. Minime vero, regeſſit Joſephus, vos veniſtis ad loca terræ minus firma exploranda. 13. Tum illi: duodecim fratres ſumus hominis cujusdam in Cananæa. Natu minimus domi eſt apud patrem noſtrum, et alter mortuus eſt. 14. Id ipſum vero eſt, reſpondit Joſephus, quod mihi probabile facit vox exploratores eſſe. 15. Per vitam Pharaonis juro (ſic enim probabimini) vos hinc non dimiſſum iri niſi frater veſter natu minimus huc venerit. 16. Mittite unum e vobis qui fratrem veſtrum arceſſat; vos vero vincti remanebitis, donec dictorum veſtrorum fides conſtet et explorata ſit. Sin minus, vos, ita Pharao vivat, exploratores eſtis. 17. Tum eos ad tres dies in carcere juſſit ſervari. 18. Tertio die dicit eis: Si vita veſtra vobis curæ eſt, hoc facite, Deum enim veneror. 19. Si vos homines probi eſtis, unus veſtrum in carcere remaneat, vos reli-

reliqui domum deferte annonam, qua fami familiarum vestrarum succurratis. 20. Et fratrem vestrum natu minimum ad me adducite. Sic fides habebitur orationi vestræ, et vos salvi evadetis. Illi conditionem acceperunt. 21. Tum alter alteri dicebat: nostra culpa, quam in fratre nostro contraximus, nobis hæc mala eveniunt, quod quanquam animi sui angorem videremus, tamen precibus ejus locum non dederimus. 22. Nonne vos hortabar, addebat Ruben, ut ne peccatum committeretis in puero? Sed noluistis audire, jam cædis in eum commissæ pœna exigitur. 23. Nesciebant vero Josephum eos intelligere, quod interprete ad eos utebatur. 24. Lacrimis propterea abstinere non poterat, sed discessit paullulum, mox reversus, iterum cum eis locutus est, atque Simeonem in eorum conspectu ligari jussit. 25. Præterea mandavit, ut frumenta eis darentur, et ut cuique in sacco suo pecunia restitueretur, præterea quoque viaticum daretur. Quæ cum facta essent, 26. illi impositis saccis asinis suis profecti sunt. 27. Unus eorum cum saccum aperuisset, ut pabulum daret jumento in diversorio, invenit pecuniam in ore sacci sui. 28. Tum ille fratribus suis dixit: reddita mihi est pecunia mea, cum saccum aperirem, eam inveni. Illi vero propterea valde perturbati et territi sunt, de divino hac in re consilio

filio incerti. — 29. Cum deinde ad Jacobum patrem fuum in Cananæam rediiffent, narrarunt ei omnia quæ fibi eveniffent. 30. Terræ præfectus, inquiebant, dure admodum nobiscum egit, habuitque nos pro exploratoribus. 31. Refpondimus nos effe homines probos, minime vero exploratores, 32. duodecim fratres unius patris; undecimum mortuum effe et natu minimum domi remanfiffe apud patrem in Cananæa. 33. Ad hæc ille refpondit: Ex eo cognofcam, num homines probi fitis: unus veftrum obfidis loco remaneat, vos reliqui poteftis commeatum veftris deferre. 34. Deinde vero fratrem veftrum natu minimum huc adducite. Sic enim intelligam vos non effe exploratores, fed viros bonos; tum quoque reddam vobis fratrem veftrum et vos poteritis in terra negotiari. 35. Cum deinde faccos evacuarent, quisque invenit loculum pecuniæ in facco fuo; qua de re cum ipfi, tum pater eorum non levi timore perculfi funt. 36. Hic vero dixit: vos me orbatis liberis meis. Jofephus periit, cum Simeone actum eft, Benjaminum vultis abducere. Mihi vero omnia funt fuftinenda. 37. Ad hæc Ruben refpondit: ni ego tibi eum reddidero, utrosque meos filios necabis. Committe eum curæ meæ, ego eum tibi reftituam. 38. Verum ille: non vobiscum proficifcetur filius meus, inquit, hic folus fuperftes eft

fratre ejus mortuo. Si vel huic in itinere aliquid adverſi acciderit, ego jam ſenex præ dolore morerer veſtra culpa.

CAPVT XLIII

Jacobus filios ſuos iterum in Aegyptum mittit. Concedit eis quoque, ut Benjaminum ſecum eo deducant. Joſephus eos admodum benigne excipit.

1. Fames vero indies ingraveſcebat in his regionibus. 2. Cum igitur conſumſiſſent frumentum, quod ex Aegypto aſportarant, hortatus eſt eos pater, ut eo ad emendam annonam reverterentur. 3. Sed Juda oſtendebat, virum illum *terræ* præfectum affirmaſſe, ipſos in ejus conſpectum non eſſe venturos, niſi ſecum haberent fratrem ſuum *natu minimum*. 4. Si igitur vellet eum ſecum mittere, ſeſe paratos eſſe ad iter ingrediendum et ad emendam annonam. 5. Sin minus, ſe non poſſe proficiſci propter rationem modo allatam. 6. Tum Iſrael eos reprehendit, quod ſe in hanc moleſtiam conjeciſſent, atque ei indicaſſent ſeſe inſuper habere fratrem. 7. Ad hæc illi: homo de nobis et de noſtro genere interrogabat, num pater noſter adhuc viveret? num fratrem haberemus? Igitur reſpondimus ad ea quæ quærebat. Num poteramus prævidere eum juſſurum

eſſe

esse, ut fratrem nostrum adduceremus? 8. Tum Juda infit: Mitte quæso puerum mecum, ut iter suscipere possimus, ne nos omnes, tu et liberi nostri tandem fame pereamus. 9. Ego sponsor pro eo esse volo, a me eum debes repetere, nisi eum reduxero tibique reddidero, ego per omnem vitam culpæ commissæ reus videri volo. 10. Immo nisi cunctatio hæc intercessisset, bis jam essemus reversi. 11. Ad haec Israel pater eorum respondet: si ita est, agite igitur, sumite vobiscum de fructibus terræ nobilissimis munus viro illi: aliquantum resinæ et mellis *a*), styracem, *b*) laudanum, pistacea, et amygdala. 12. Pecuniam etiam duplicem adferte. Nempe pecuniam quæ vobis reddita fuit in saccis vestris, for-

a) Num sub דְּבַשׁ *melle* h. l. mel apum, an mel ex uvis passis, an ex dactylis palmarum intelligendum sit, disputatum est a viris doctis. *Celsius* quidem in Hierob. P. II. p. 462. auctor est, *Dibs* ex dactylis palmarum confectum in magno pretio olim fuisse et adhuc esse. Item *Shaw* p. 128. vers. germ. cf. *Harmarus* in Observatt. Orient. P. I. p. 292.

b) נְכֹאת non *aromata* esse in genere, sed *styracem*, ex sententia *Celsii* P. I. p. 548. ita probatum est a *Bocharto* in Hieroz. P. II. Lib. IV. Cap. XII. ut non possit de eo amplius dubitari.

fortaſſe error eſt commiſſus. 13. Et ſic ſumite fratrem veſtrum vobiscum, atque ad virum illum proficiſcimini. 14. Deus vero ſummus gratiam ejus vobis conciliet, ut dimittat vos, et alterum fratrem veſtrum et Benjaminum, ego vero, uti hactenus, liberis meis privatus vivam *c*) — 15. Illi igitur cum muneribus et duplici pecunia et Benjamino fratre ſuo profecti ſunt in Aegyptum. Ibi cum ad Joſephum admiſſi eſſent, 16. atque hic inter eos Benjaminum videret, juſſit diſpenſatori ſuo, ut homines iſtos domum deduceret, et convivium pararet, quod ſecum cibum eſſent ad meridiem capturi. 17. Hic mandata Joſephi exſequitur atque eos domum Ioſephi deducit. 18. Qua re homines perterriti *d*) arbi-

c) Verba textus כַּאֲשֶׁר שָׁכֹלְתִּי שָׁכָלְתִּי varie explicantur ab interpretibus. Quam in verſione poſui explicationem (*Munſteri* et aliorum) non ſolum admittunt verba hebræa, ſed ſenſum etiam aptum fundit: quemadmodum hactenus orbatus fui Simeone et Joſepho, ſic interea mihi videbor omnibus liberis meis orbatus. Alii vero ex loco huic ſimillimo non minus apte explicant: Eſth. 4, 16. כַּאֲשֶׁר אָבַדְתִּי אָבָדְתִּי *ſi me oportet mori, libenter moriar.* Sic Jacobus dixiſſet: Si neceſſe ſit, me orbari liberis meis, hanc jacturam patienter feram.

d) Mali quid ſuſpicantur fratres Joſephi, cum in domum ejus introducuntur, quod in oriente non moris eſt convenire

arbitrabantur, fieri hoc propter pecuniam quam primo itinere in faccis fuis recepiffent, ut per calumniam accufati una cum afinis in fervitute retinerentur. 19. Igitur accedunt ad difpenfatorem, eumque in introitu domus his verbis alloquuntur. 20. Nuper admodum, domine, huc venimus ad frumentum emendum. 21. Cum vero in diverforio faccos noftros aperiremus, invenimus finguli in fingulis faccis pecuniæ folutæ fummam; hanc jam nobiscum referimus, 22. aliam etiam pecuniam attulimus ad emenda cibaria, nefcimus quis illam in faccos noftros repofuerit. 23. Ad hæc difpenfator: Bono eftote animo, neque timete, Deus vefter et Deus patris veftri dedit vobis thefaurum in faccos veftros: ego accepi pecuniam veftram: et tum educit ad eos Simeonem. 24. Paullo poft omnes in domum Jofephi introducit, aquam præbet ad pedes lavandos atque afinis eorum pabulum. 25. Interea munus parant, dum Jofephus circa meridiem veniret, noverant enim fe ibi cibum effe capturos. 26. Igitur, hic cum veniffet, offerunt ei munera fuppliciter eum humi venerantes. 27. Ille vero et ipfe eos falutat, et quærit, num pater

venire aliquem in interiore domus. Fit hoc tantum in atrio domus hunc in finem adaptato. Hinc fane erat quod fratres Jofephi fufpiciofos redderet.

eorum senex, de quo dixissent, viveret et valeret? 28. Quod cum affirmassent, denuo eum submisse sunt venerati. 29. Cum Benjaminum fratrem suum eadem matre natum conspexisset, estne hic, inquiebat, frater vester natu minimus, de quo mihi dicebatis? Deus tibi faveat mi fili, addebat. 30. Mox tamen discedebat amore erga fratrem nimis commotus, locum quærebat ubi fleret. Ingrediebatur conclave, ibique lacrimis indulgebat. 31. Deinde abluta facie redibat, atque animo sumto jussit cibum apponi. 32. Apponebatur autem Josepho separatim, nec non ejus fratribus, et Aegyptiis convivis quoque separatim, quoniam Aegyptiis nefas habebatur cœnare cum Hebræis. 33. Collocati vero erant ita, ut natu maximum exciperet natu minor, quod ipsi inter se admirabantur. 34. Portiones ex cibis sibi appositis eis distribuit, ita tamen ut Benjamini portio quintuplo esset major, quam reliquorum omnium. Illi vero ad ebrietatem usque apud eum potarunt.

CAPUT XLIV

Josephus fratres suos dimittit, sed ex itinere ficto furti crimine revocat. Cujus cum Benjamin convinceretur, hunc in servitute retinere minatur. Hic Juda intercedit pro fratre, seque ejus loco Josepho offert in servitutem.

1. Deinde *Josephus* jussit dispensatorem implere hominum istorum saccos frumento, quantum quidem

asini

asini eorum portare possent, et pecuniam cujusque in summis saccis reponere, 2. poculum vero suum argenteum in sacco natu minimi præter pecuniam pro frumento solutam. Quæ cum exsecutus esset sicuti Josephus præceperat, 3. prima luce dimissi sunt cum asinis suis. 4. Sed cum non longe ab urbe discessissent, jussit Josephus dispensatorem eos persequi, et ubi eos esset assecutus, his verbis objurgare: cur malum pro bono rependistis? 5. Nonne id ex quo dominus meus bibit? *a*) hic de eo facile potuit divi-

a) Sermones abrupti sunt, quoniam præsupponitur fratres Josephi facile intellecturos esse, quid sibi velit procurator. Hinc quæ *οἱ ὁ*, Vulgatus, Syrus ad ea supplent, explicandi causa ab eis addita puto, non quæ ex textu exciderint, ei iterum inserenda, uti *Hubigantius* censet. Ita vero habent *οἱ ὁ*. *Ἱνατί ἐκλέψατε μοῦ τὸ κόνδυ τὸ ἀργυροῦν; οὐ τοῦτό ἐστιν ἐν ᾧ πίνει ὁ κύριός μου; αὐτός τε οἰωνισμῷ οἰωνίζεται ἐν αὐτῷ.* *Vulgatus:* Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, et in quo augurari solet. *Syrus*: et furati estis scyphum ex quo bibit dominus meus, per quem etiam auguratur. — Posterius membrum tum hi, tum recentiorum interpretum nonnulli intelligunt de augurio, ad quod Josephus hunc scyphum adhibuerit. Hinc *Grotius* et *Clericus*, docte quidem, sed parum apte, de hoc divinationis genere disserunt. — Ceterum perquam verisimile est Josephum dispensatori, si non veram, saltem aliam probabilem causam, indicasse, cur ita cum his hominibus ageret.

divinare. Sane admodum improbe feciſtis. 6. Igitur diſpenſator cum eos eſſet aſſecutus egit cum eis quemadmodum juſſus erat. 7. Illi vero, quomodo, quæſumus, domine, inquiebant, iſta nobis objicis? Abſit a nobis ejusmodi facinus. 8. Pecuniam, quam in ſaccis noſtris invenimus, tibi reſtituimus, quomodo igitur ex ædibus domini tui argentum aut aurum ſurripuerimus? 9. Apud quem *quod quæris* repertum fuerit, is ſupplicio afficiatur, nos vero ſervi tui erimus. 10. Reſpondet diſpenſator, ſit ita: apud quem furtum deprehenſum fuerit, is ſervus mihi erit, vos vero eritis inſontes. 11. Et ſic illi ſtatim quisque ſaccum ſuum deponunt ad terram et aperiunt. 12. Diſpenſator ſaccos perquirit, a ſacco natu maximi exorſus pergit ad ſaccum natu minimi et ſic invenit poculum in ſacco Benjamini. 13. Tum vero omnes veſtes ſcindere, ſuum quisque aſinum denuo onerare et redire in urbem, 14. et ingreſſi domum Joſephi Juda cum fratribus ſuis procidunt ante eum ad terram. 15. Joſephus vero, quod facinus admiſiſtis, inquit, quomodo tandem vobis non in mentem poterat venire, me artis divinandi adeo peritum rem facile eſſe cogniturum? 16. Ad hæc Juda reſpondet: quid dicamus domino noſtro? quomodo nos defendere audeamus? Deus jam poenas criminum noſtrorum depoſcit, nos ſervi tui ſumus, non minus atque

que ille apud quem poculum repertum eſt. 17. Nequaquam, inquit Joſephus, is tantum qui poculum furatus eſt ſit ſervus meus, vos vero poteſtis ſalvi et incolumes ad patrem veſtrum redire b) — 18. Tum vero ad eum accedit Juda, atque hunc in modum verba facit: Liceat mihi, domine, pauca apud te dice-

b) Quodnam Joſephi conſilium fuerit, cum tantam fratribus ſuis ſollicitudinem ſtrueret, non adeo planum eſt, hinc etiam interpretes in eo divinando diſſentiunt. Vindictæ quidem opprobrium facile abſtergi poteſt. Etenim criminis, cujus eos accuſat, non eos ipſos, a quibus offenſus erat, reos agit, ſed Benjaminum, quem omnium maxime diligebat. Illis libertatem concedit, hunc in ſervitutem cogere minatur. — Mihi quidem probabile videtur, Joſephi conſilium fuiſſe, ut videret, quomodo affecti eſſent fratres cum erga patrem, tum erga Benjaminum. Num in hunc ſimilem foverent invidiam aut obtrectationem, qua ſibi olim in domo paterna infeſti fuiſſent. Hoc ſcire volebat, atque hac occaſione fratres animum ſuum ſine diſſimulatione prodere poterant atque adeo debebant. Nam niſi patrem ſuum jam quidem ſincere amaſſent et Benjamino invidiſſent, non recuſaſſent eum in Aegypto relinquere, propter crimen, cujus ſe ipſe reum feciſſet. — Sed omnia loquuntur nihil antiquæ vitioſitatis in eorum animis ſupereſſe. Amant patrem, amant Benjaminum, et ſic Joſephus certus eſſe poterat, omnes æque dignos eſſe ſuis beneficiis. Ita ſentit de hac quæſtione *Heſſius* in hiſtoria Iſraelit. P. II. p. 287.

dicere, noli mihi ſuccenſere, te ut Pharaonem vene-
ranti. 19. Quærebas ex nobis, domine, num eſſet
nobis pater aut frater. 20. Reſpondebamus, eſſe
nobis patrem ſenem et juvenem puerum in ejus ſe-
nectute natum, qui, fratre mortuo, ſolus poſt mor-
tem matris ſuperſtes ſit, patri perquam carus. 21.
Jubebas ut eum ad te deduceremus, quod eum vi-
dere velles. 22. Nos quidem negabamus puerum
deſerere poſſe patrem, quin hic præ moerore more-
retur. 23. Sed tu affirmabas, nos ad te admiſſum
non iri, niſi fratrem noſtrum natu minimum nobiscum
adduceremus. 24. Nos igitur retulimus ad patrem
noſtrum tuam voluntatem, 25. et cum ille iterum
nos ad cibaria emenda proficiſci juberet, 26. ne-
gavimus nos profecturos, niſi frater noſter natu mi-
nimus nobiscum eſſet, quod aliter ſpes non eſſet, ut
ad te admitteremur. 27. Ad hæc reſpondit pater
noſter: noſtis ex duobus filiis mihi ex uxore mea
natis 28. alterum, cum a me diſceſſiſſet, a feris
eſſe diſcerptum, equidem eum non amplius vidi. 29.
Jam ſi hunc alterum quoque a me abduceretis, at-
que adverſi aliquid ei eveniret: ego jam adeo ſenex
vitam meam in ſummo moerore veſtra culpa fini-
rem. 30. Igitur ſi ad patrem reverterer ſine hoc
puero, quem ut ſe ipſe amat, 31. morietur; et
ſic nos cauſa eſſemus mortis patris noſtri ſenis, qui

ſic

ſiç in acerbo luctu vitam finiiſſet. 32. Præterea ego ſpopondi patri, me velle puerum ad eum reducere, quod ni feciſſem, per omnem vitam me ei obnoxium eſſe futurum. 33. Igitur permitte, Domine, ut ego pro hoc puero tibi ſerviam, ipſum vero dimitte cum fratribus ſuis. 34. Quomodo enim ego redirem ad patrem ſine puero? et viderem calamitatem, quæ eum expectat?

CAPVT XLV

Joſephus ſeſe fratribus agnoſcendum præbet, eosque muneribus onuſtos ad patrem remittit.

1. Hic vero Joſephus non poterat ſeſe diutius continere, ſed præſentibus multis juſſit, ut omnes diſcederent. Igitur nemo aderat, cum ſe fratribus ſuis notum faceret. 2. Tum cœpit acriter flere, ita ut Aegyptii et aulici Pharaonis audirent. 3. Ego Joſephus ſum, alloquebatur fratres ſuos, vivitne adhuc pater meus? Ad hæc ejus verba fratres adeo attoniti erant, ut reſpondere non poſſent. 4. Jubet igitur ut propius ad eum accederent. Quod cum feciſſent, ego Joſephus ſum, inquit, frater veſter, quem in Aegyptum vendidiſtis. 5. Nolite vero hac de re ſolliciti eſſe, aut quod feciſtis ægre ferre, vel nimis improbare. Nam ad ſalutem veſtram Deus me huc ante vos miſit. 6. Biennium modo

eſt, ex quo hæ regiones fame adfliguntur. Sequentur adhuc quinque anni, quibus nec arabitur, nec metetur. 7. Igitur Deus me vobis præmiſit, ut vos ſuperſtites maneatis et mirum in modum ſervemini. 8. Igitur vos me huc non miſiſtis, ſed Deus, qui me conſiliarium dedit Pharaoni et principem domus ejus totiusque Aegypti dominum. 9. Propere igitur redite ad patrem, eique meo nomine dicite: Deus me dominum totius Aegypti conſtituit, ſine mora ad me veni. 10. Terram Goſen inhabitaturus non nimis remotus a me eris, *a*) tu, filii et nepotes tui, greges tui omnes, et

a) In ſitu terræ Goſen definiendo diſſentiunt viri docti. Plerique quidem hanc terram quærunt in Aegypto inferiori ad orientalem Nili ripam verſus ſinum Arabicum. Sed *Jablonskius*, qui octo ſcripſit diſſertationes *de terra Goſen*, lectu digniſſimas, (conjunctim prodierunt Francofurti ad Viadrum 1736.) eam in Aegypto ſuperiori collocat in Heptanomide ſ. illa Aegypti parte, quæ inter Thebaidem et Aegyptum inferiorem intermedia eſt; eandemque eſſe putat, quæ a ſcriptoribus græcis νομὸς ἡρακλεώτης, a latinis *Nomus Heracleopolites*, vel *præfectura Heracleopolica* appellari ſolet. Erat enim Nomus Heracleotes inſula ſatis magna, quam Nilus efficit, ſupra Memphin inter Nomum Arſinoiten et Aphroditopoliten ſita, cujus accuratior deſcriptio ex Geographis, *Cellario* præſertim (in Notitia

et omnia quæ habes. 11. Ibi te ſuſtentabo, ne tu tuique ad ſummam paupertatem redigamini, nam quinque ſteriles anni adhuc reſtant. 12. Vos ipſi et frater meus Benjamin me videtis et auditis me vobiscum colloqui. 13. Narrate patri, quanta in dignitate ſim in Aegypto, et omnia, quæ vidiſtis, et quam celerrime eum huc deducite. 14. Amplexus deinde eſt Benjaminum fratrem lacrimans, qui et viciſſim ad collum ejus lacrimabat. 15. Nec non reliquos fratres omnes plorans oſculatus eſt, et tum demum auſi ſunt fratres cum eo colloqui. — 16. Rumor vero hic de adventu fratrum Joſephi mox ad Pharaonem et aulicos ejus delatus eſt, qui et ipſi hac de re lætabantur. 17. Et Pharao quidem mandavit Joſepho, curaret fratres ſuos redire in Cananæam cum jumentis ſuis large onuſtis. 18. Venirent cum patre ſuo et familiis. Se velle eis aſſignare fertiliſſimam Aegypti partem, in qua optimis rebus abundarent: 19. Præterea plauſtra congereret Joſephus, quibus parvulos, mulieres et patrem

titia Orbis antiqui Tom. II. p. 810.) petenda eſt. Hodie regio illa ab Arabibus *Fioum* appellatur. Hæc *Jablonskius* l. l. p. 22. Metropolis Aegypti eo tempore, quo Iſraelitæ in Aegypto peregrinati ſunt, fuit vel Heliopolis ſ. On vel Memphis. Hinc Joſephus dicit patrem ſuum non nimis remotum ab eo eſſe futurum.

trem ſuum veherent. 20. Nec ægre ferrent jacturam ſupellectilis ſuæ, rebus enim præſtantiſſimis Aegypti eos uſuros eſſe. — 21. Fratres Joſephi fecerunt ita, inſtructi ab eo non ſolum plauſtris ex voluntate Pharaonis, ſed etiam viatico. 22. Præterea dedit ſingulis ſingulas veſtes novas, Benjamino vero trecentos ſiclos argenteos et quinque veſtes. 23. Patri miſit decem aſinos onuſtos fructibus Aegypti præſtantiſſimis, et decem aſinas frumento, pane, alioque victu onuſtas, quo pater uteretur in itinere. 24. Atque ſic dimiſit Joſephus fratres ſuos addita inſuper admonitione, ut ab omni rixa abſtinerent in itinere. 25. Illi igitur, cum ad Jacobum patrem ſuum in terram Cananæam rediiſſent, 26. narrarunt ei Joſephum vivere et dominum eſſe totius Aegypti: verum ille hoc parum commovebatur, *b*) nam fidem eis non habebat. 27. Cum vero ei narrarent omnia, quæ Joſephus cum eis locutus eſſet, et videret plauſtra quæ ei mitteret, revixit ejus ſpiritus. 28. Satis eſt, inquiebat, Joſephus filius meus vivit, ibo et videbo eum antequam moriar.

CAPVT

b) hebr. יָפוּג לִבּוֹ Vulgo quidem vertitur: *animi deliquium paſſus eſt*, ſc. præ nimia lætitia. Sed hæc ſequentibus parum apta ſunt כִּי לֹא הֶאֱמִין. Igitur פוג ex ſignificatione ſyriaca et arabica, *frigere*, verti.

CAPUT XLVI

Jacobus in Aegyptum proficiſcitur, divina promiſſione confirmatus. Recenſentur filii ejus et nepotes, qui cum eo in Aegyptum migrarunt. Primus ejus cum Joſepho congreſſus.

1. Profectus igitur eſt cum ſuis Iſrael, et cum Berſebam veniſſet, ſacra ibi fecit Deo patris ſui Iſaaci: 2. Tum Deus eum noctu per quietem nomine ſuo compellavit et his verbis admonuit: 3. Ego ſum Deus patris tui, ne dubites proficiſci in Aegyptum. Efficiam enim, ut ibi in gentem magnam evadas. 4. Ego tibi adero dum eo deſcendis, atque idem ego te inde reducam, et Joſephus tibi claudet oculos. — 5. Ergo profectus eſt Jacobus Berſeba cum filiis ſuis, eorum liberis et mulieribus, plauſtris, quæ Pharao ad eum vehendum miſerat. 6. Deduxerunt etiam ſecum pecus ſuum omnesque opes, quas in Cananæa acquiſiverant. 7. Et ſic migravit Jacobus in Aegyptum, cum omni ſua familia, cum filiis ſuis et nepotibus, cum filiabus ſuis et neptibus ex filiis. Omnem omnino ſtirpem ſuam eo deduxit: 8. Quorum nomina hæc erant: Primogenitus Ruben, 9. cujus filii erant: Chanoch, Pallu, Chezron et Carmi. 10. Simeonis filii erant: Jemuel, Jamin, Ohad, Jachin, Zochar, et Saulus ex Cananæa natus. 11. Filii Levi, Gerſchon, Kehath et Merari.

12. Fi-

12. Filii Judæ: Er, Onan, in Cananæa mortui, Schela, Perez et Serach. Perezus duos habebat filios: Chezronem et Chamulem. 13. Filii Isfachar: Thola et Pua, Jobus a) et Schimron. 14. Fili Sebulon: Sered, Elon et Jachleel. 15. Hi sunt filii Leæ, quos Jacobo peperit in Mesopotamia cum filia nomine Dina, numero triginta et tres. — 16. Filii Gad erant Ziphjon, Chaggi, Schuni et Ezbon, Eri, Arodi et Areli. 17. Filii Ascher: Jimna, Jischva, Jischvi, Beria, Serach, Achotam. Filii Beriæ: Cheber et Malchiel. 18. Hi sunt filii Silpæ, quam Laban Leæ filiæ suæ *ancillam* dederat, ex qua Jacobus hos sedecim filios vidit. — 19. Ex Rahele sustulit Josephum et Benjaminum. 20. Josepho quidem in Aegypto nati sunt Manasses et Ephraim ex Asnathe, filia Potifari sacerdotis Heliopolitani. 21. Filii Benjamini erant: Bela, Becher, Aschbel, Gera, Naaman, Echi et Rosch, Müppim, Chüppim et Ardus. 22. Qui omnes numero quatuordecim ex Rahele originem habent. 23. Filius Danis Chuschim erat. 24. Naphtali vero Jachzeel, Guni, Jezer et Schillem. 25. Hi sunt filii Bilhæ ancillæ Rahelis, quos Jacobo peperit, numero septem. 26. Omnes omnino ex Jacobo orti præter nurus suas,

a) יוב Num. 26, 24. et 1 Paral. 7, 1. vocatur יָשׁוּב. Sic quoque Cod. Sam. et οἱ ό h. l.

ſuas, qui cum eo in Aegyptum venerunt, erant numero ſexaginta ſex. 27. Joſepho autem duo filii nati ſunt in Aegypto. Summa igitur totius familiæ Jacobi in Aegypto fuit capitum ſeptuaginta. —. — 28. *Jacobus vero cum non longe a Goſene abeſſet*, miſit Judam ad Joſephum, *b*) qui eum rogaret, ut Goſenem veniret. Quod cum Joſephus cognoviſſet, 29. currum parare jubet et obviam profectus eſt Goſenem patri ſuo eumque amplexans diu flevit in collo ejus. 30. Ille vero, nunc quidem lubenter moriar, inquit, poſtquam te vidi, teque adhuc in vivis eſſe novi. 31. Deinde Joſephus fratribus ſuis reliquisque indicavit, ſe jam velle Pharaonem certiorem

b) Verba textus לְהוֹרֹת לְפָנָיו גֹּשְׁנָה difficilia ſunt. הוֹרָה alias ſemper eſt *monſtrare, docere.* Sed quid eſt: *ad monſtrandum ipſi Goſchenam*? nomen גֹּשֶׁן adjectum h. l. habet ה locale. Senſus non eſt incommodus, quem Onkelos habet לפנאה קדמוי לגשן *ut præpararet locum ante ſe in Goſen.* Sic enim rogaret Jacobus Joſephum, ut locum ſibi ab eo deſtinatum paratum inveniret, in quo cûm ſuis ſua tabernacula figere poſſet. Cod. Sam. habet: להראת cum quo conſentit Syrus לְמֶתְחֲזָיו קְדָמַהי *ut appareret coram eo.* Oi ó habent *συναντῆσαι αὐτῷ ut obviam ei veniret*; ex quo conjectat Ill. *Michaelis* eos legiſſe לקראת et probat hanc lectionem. In verſione ſenſum lectionis Cod. Sam. et Syri expreſſi.

tiorem facere de adventu eorum, 32. et quod pastores essent, suosque greges et omnia, quæ haberent, secum ex Cananæa adduxissent. 33. 34. Idem, jubet eos, responderent a Pharaone interrogati, adderentque, hoc vitæ genus cum ipsos semper, tum et majores suos exercuisse: tunc enim ipsis regionem Gosen ad incolendum concessum iri, Aegyptios enim a pastoribus abhorrere.

CAPUT XLVII

Jacobo et familiæ ejus conceditur a Pharaone terra Gosen incolenda. Aegyptii fame coacti se suaque omnia vendunt regi. Josephus nova agrorum divisione facta possessoribus in perpetuum tributum quintam frugum perceptarum partem imponit.

1. Josephus igitur indicavit Pharaoni, patrem et fratres suos cum gregibus suis et facultatibus omnibus e Cananæa advenisse et consedisse in Gosene, 2. simul de fratribus suis quinque ad regem introduxit. 3. Qui a rege interrogati de vitæ genere, responderunt, se non minus quam majores suos pastores esse, 4. se venisse, ut *in Aegypto* peregrinarentur, nam in Cananæa ipsis propter summam sterilitatem, qua ibi premerentur, non suppetere pascua pro gregibus suis; igitur se rogare, ut sibi concederetur habitare in Gosene. 5. Ostendit Pharao Josepho, sibi adventum patris et fratrum ejus non

non displicere. 6. Patere ipsi Aegyptum, assignaret patri et fratribus regionem fertilissimam, considerent in Gosene, et, si putaret, esse inter eos viros peritos, præficeret eos suis gregibus. 7. Deinde introduxit Josephus etiam Jacobum patrem suum. Qui cum bene precatus esset Pharaoni, 8. hic eum interrogavit: quot annos natus esset? 9. Respondit Jacobus, annos peregrinationis suæ esse centum et triginta; brevem esse hanc ætatem suam, eamque fuisse valde afflictam; majores suos longiorem terminum vivendo attigisse. 10. Deinde cum valere regem jussisset, egressus est. 11. Josephus autem patri et fratribus suis certas sedes assignavit in tractu Aegypti fertilissimo in regione Raemses, quemadmodum Pharao jusserat, 12. iisque et familiis eorum victum necessarium suppeditavit pro numero capitum. — 13. Frumento vero nullibi suppetente, Aegyptus et Cananæa fame ad extremum usque affligebantur. 14. Josephus igitur pecuniam harum regionum omnem pro frumento iis vendito in fiscum regium intulit. 15. Pecunia consumta venerunt ad Josephum petieruntque, ut frumenta eis daret, nec sineret eos, quod pecuniam non haberent, fame perire. 16. Tum Josephus respondit: velle se eis frumenta dare, si pecuniæ loco pecus darent. 17. Igitur adduxerunt ad Josephum equos, pecus,

 armen-

armentum et asinos, atque sic transegerunt hunc annum victu pro gregibus emto. 18. Anno sequenti denuo ad eum venerunt et demonstrarunt, sibi pecunia consumta et pecore nihil reliqui esse præter corpora sua et agros; 19. sese igitur rogare, ne sineret ipsos fame perire et agros solari; emeret ipsos et agros suos pro frumento, ita ut ipsi et agri eorum tributarii essent Pharaonis; daret eis semen, quo vitam sustentare possent et terram colere. 20. Sic acquisivit Josephus omnem Aegypti terram Pharaoni. Nam Aegyptii famis gravitate coacti vendiderunt agros suos regi. 21. Quo facto *Josephus* populum totius Aegypti in alia oppida transtulit. 22. Agros tantum sacerdotum non emit, qui, quod salaria a rege accipiebant, non necesse habebant, ut fundos suos venderent. 23. Deinde edixit populo: quod ipsos eorumque agros pro Pharaone emisset; velle se eis semen ad agros conserendos dare. 24. Sed sub hac conditione, ut quintam proventuum partem regi penderent: quatuor vero partes ipsi haberent ad agrum colendum et ad suam suorumque sustentationem. 25. Illi se vitam suam ei acceptam referre fatebantur; commendabant se favori ejus, non recusare servos esse regis. 26. Sic Josephus hanc legem sanxit in Aegypto etiamnum receptam, ut Pharaoni quinta *proventuum* pars solveretur,

retur, exceptis agris facerdotum. 27. Ifraelitæ Gofenem incolentes et poffidentes multa fobole aucti funt. 28. Jacobus in Aegypto vixit feptem et decem annos. Cum igitur centum et quadraginta feptem annos vivendo complevisset, 29. atque exiftimaret finem vitæ fuæ inftare, ad fe arceffivit filium fuum Jofephum, quem his verbis alloquitur: fi me amas, jurejurando interpofito mihi promitte, te pietatem in me tuam fic effe probaturum, ut ne me in Aegypto fepelias, 30. fed ut me, cum æque ac majores mei obdormiero, ex Aegypto deportatum fepelias inter illos. Refpondet Jofephus, fe velle facere quod juberet. 31. Jura igitur mihi, inquiebat; quod cum feciffet, Ifrael fupplex in *cervicali* Deum eft veneratus.

CAPUT XLVIII

Jacobus Jofephi filiis bene precatur.

1. Non ita multo poft nuntiatur Jofepho, patrem fuum ægrotare. Igitur una cum duobus filiis Manaffe et Ephraimo *ad eum* proficifcitur. 2. Jacobus de adventu filii fui certior factus viribus collectis et adfidens in lecto, 3. his verbis eum alloquitur: Deus fummus Lufæ in Cananæa mihi apparuit, magnamque felicitatem promifit, 4. ampliffimam fobolem gentesque complures ex me oriundas. Quibus

bus meis posteris hanc terram in perpetuam possessionem dare velit. 5. Jam igitur duos filios tibi natos in Aegypto antequam huc venirem, adoptabo. Ephraim et Manasse eadem quæ Ruben et Simeon jura habebunt. 6. Qui vero tibi deinceps nascentur, tui erunt et fratribus suis accensebuntur a) in hereditate. 7. Matrem autem tuam Rahelem amisi cum ex Mesopotamia rediissem, in itinere cum ab Ephrata una fere statione abessem, ibi quoque eam sepelii. (Ephrata jam Bethlehem vocatur.) 8. Deinde cum Israel Josephi filios videret, interrogabat quinam hi essent. 9. Respondebat Josephus suos esse filios, quos Deus sibi in *Aegypto* largitus sit. Tum jussit Jacobus, ut propius ad se eos adduceret, quod bene eis precari vellet. 10. Præ senectute enim oculis cœcutiebat, nec poterat distincte videre. Igitur adduxit eos Josephus ad avum. Qui cum eos osculatus et amplexus esset, 11. dixit Josepho: non arbitrabar me te esse visurum, et jam mihi Dei beneficio contingit, ut et filios tuos videam. 12. Tum rece-

a) hebr. *sub nomine fratrum suorum vocabuntur in hereditate eorum.* Sensus est: Josephi filios ei deinceps natos non peculiare novarum tribuum nomen esse habituros, sed annumerari debere tribubus Ephraim et Manasse. Sub נחלה intelliguntur partes Cananææ Israelitis olim distribuendæ. Affixum autem referendum est ad Ephraimum et Manassen.

recedere eos paululum jubet Josephus, *b*) ut submisse *avum* venerarentur. 13. Deinde cum Josephus Ephraimum ad dextram suam versus sinistram Israelis, et Manassen ad sinistram suam versus dextram Israelis constituisset, sic ambos ad eum adduxit. 14. Tum Israel dextram suam imposuit capiti Ephraimi natu minoris, et sinistram capiti Manassis primogeniti, (quod tamen faciebat de industria). 15. Atque sic infit bene precari Josepho: Deus, quem avus et pater meus Abrahamus et Isaacus coluerunt, Deus qui inde a pueritia usque ad hoc tempus singularem mei curam gessit, 16. angelus, qui me liberavit a malis omnibus, faveat etiam his pueris et numerentur in meis filiis, et nepotibus Abrahami et Isaaci, et valde multiplicentur in terra *promissa*. 17. Josephus vero cum videret, patrem capiti Ephraimi dextram imposuisse, irritatus paullulum, volebat manum patris

b) Jacobus sedebat in lecto secundum vers. 2. et sic adstiterant Josephi filii ad avi genua, cum eos amplecteretur. Quo facto jubet Josephus, ut recederent paullulum, וַיִּשְׁתַּחוּ secundum lectionem hebræam, *et veneratus est*, scilicet Josephus patrem suum. Sed Cod. Samarit. οἱ ό et Syrus legerunt in plural. וַיִּשְׁתַּחֲווּ *adorarunt*. Quam lectionem in versione expressi. Nempe jam solemnis quasi benedictio a Jacobo debebat peragi; propterea supplices denuo accedant et adducuntur a Josepho.

tris transferre a capite Ephraimi in caput Manassis; 18. non ita, mi pater, inquiebat, hic est primogenitus, pone manum tuam super hoc: 19. Sed recusabat pater, bene novi, inquiens, mi fili; etiam hic evadet in populum et magnus erit. Verum frater ejus minor, illo major erit et complurium gentium auctor. 20. Porro eis bene precatus est his verbis: A vobis bene precandi formula desumetur inter Israelitas, ut dicant: Concedat vobis Deus felicitatem Ephraimi et Manassis: et sic iterum præponebat Ephraimum Manassi. 21. Deinde Josephum alloquebatur: Moriar, inquiebat, sed Deus vobis aderit vosque reducet in terram majorum vestrorum. 22. Tibi vero destinavi partem *terræ* præ fratribus tuis præcipuam, quam Amoritis armata manu eripui.

CAPUT XLIX

Jacobus filiis suis bene precatur et moritur.

1. Deinde et *reliquos suos* filios convocavit Jacobus, et sic eos alloquitur: Adeste et indicabo vobis, quæ sors cujusque sequentibus temporibus sit futura. 2. Congregamini et audite, Jacobi filii, audite Israelem patrem vestrum. 3. Ruben, tu quidem primogenitus es, robur et principium virium mearum, princeps dignitate, princeps honore. 4. Sed turges

ut

ut aqua. *a*) — Non princeps eris, nam patris tui cubile conſcendiſti, polluiſti ſtratum meum iſto aſcenſu *b*). 5. Simeon et Levi fratres, ſponſalia cruenta perfecerunt *c*). 6. Non interero eorum conſiliis, nec ſocius eſſe volo eorum conventus. Nam in iracundia ſua viros trucidarunt, et in furore ſuo muros deſtru-

a) In textu legitur פַּחַז כַּמַּיִם. Sed Cod. Sam., *οἱ ό*, Onkelos, Syrus, Aquila, Vulgatus, Hieronymus in quæſt. in Geneſin legerunt פָּחַזְתָּ quam lectionem ſecutus ſum. פחז arabice eſt *tumuit*, hinc etiam *ſuperbivit*. Mihi quidem videtur Jacobus ſuperbiam, qua Ruben propter prærogativam primogenituræ ſuæ *tumebat*, comparare cum aqua intumeſcente, ſed mox diffluente. Sic bene cohæret cum ſequentibus verbis, in quibus eum illa prærogativa privat.

b) עלה legi poteſt in infinitivo עֲלֹה *aſcendendo*: hinc verti: *illo aſcenſu*. Verſio vero Samaritana et Arabs in Polyglottis legerunt in paſſivo: חֻלַּלְתָּ *profanus factus es*, tunc ultimum verbum עלה accipi poteſt ut repetitio indignantis: *conſcendit lectum meum*. Quæ lectio non contemnenda videtur.

c) Pro כְּלֵי legerunt כָּלוּ Codex Samaritanus ejusque interpres, *οἱ ό* et Onkelos. Quam lectionem expreſſi in verſione. Sequens חמס eſt in ſtatu conſtructo cum מְכֵרֹתֵיהֶם hinc punctandum חֲמַס.—מְכֵרוֹת *ἅπαξ λεγ.* explicandum eſt ex Syr. ܡܟܰܪ *deſponſavit*, hinc ſubſtantivum h. l. *ſponſalia*.

destruxerunt d). 7. Detestabilis est ira eorum immodica et furor eorum effrenatus. Dispergam eos inter Jacobitas, dissipabo eos inter Israelitas. — 8. Juda, te, te inquam, celebrabunt fratres tui, manus tua hostium tuorum cervici imminebit, filii patris tui te venerabuntur. 9. Catulus leonis est Juda, crevisti ex præda, mi fili! procumbens in genua ut leo et leæna, quis eum lacesset? 10. Non deerunt reges Judæ, nec legislatores. Quamdiu prolem habebit, ei gentes obedient. e) 11. Alligabit viti asinum,

d) Non satis apta videtur lectio recepta עִקְּרוּ שׁוֹר *succiderunt bovem*, quoniam non probabile est, filios Jacobi hoc fecisse. Sed potius Cap. 34, 28. legitur eos oves, boves et asinos abegisse. Igitur pro שׁוֹר legendum putem שׁוּר. Sic quoque legerunt Onkelos, Jonathan, Syrus, Arabs, Aquila, Symmachus, Vulgatus. — עקר vero non solum est *nervos succidere*, sed syriace etiam, *destruere*, *evertere ædificia*.

e) Loci hujus difficillimi explicationem, quam in versione expressi, dedit V. C. *Jo. Jac. Gulcher* in commentatione, quæ primum Lipsiæ 1774. typis est exscripta sub titulo: *Explicatio nova et facilis loci Genes. 49, 10.* (vid. *Ernesti* Biblioth. Theol. noviss. Tom. III. p. 566.) repetita deinde et aucta a Viro Doctiss. in *Museo Hagano* Celeb. *Barkey* Tom. II. P. II. Argumenta, quibus ea probatur, sat gravia mihi visa sunt, ut eam tot aliis præferrem. Sunt vero sequentia. 1. Per paral-

parallelismum membrorum עַד כִּי non satis accurate explicatur ab interpretibus per *donec*, *usque*. Constat hic versus ex quatuor membris, quorum bina sibi respondent. Eadem ratio est sequentis versus. 2. עַד et עַד כִּי non semper terminos temporis, sed etiam tractum et durationem temporis notant. v. c. Jud. 3, 26. 1 Sam. 14, 19. Job. 1, 18. 7, 19. Prov. 12, 14. Igitur potest h. l. quoque verti *quoad*, *quamdiu*, et sic posterius hemistichion etiam constat ex duobus membris, quæ sibi respondent uti prius. — Objectioni, quæ Viro Doctiss. mota fuerat, in locis citatis legi עַד non עַד כִּי hoc vero semper terminum temporis notare, *usque*, *donec*, bene satisfecit in vindiciis huic Dissertationi additis l. c. p. 32. seqq. ubi observat primo, quatuor ista loca, in quibus עַד כִּי sic dicatur, non posse regulam constituere; deinde particulam עַד τῷ כִּי adjectam hujus significationem prorsus non mutare, sed promiscue in usu linguæ esse usurpatam, quod exemplorum inductione probat, eodem modo quo עַד אֲשֶׁר quod τῷ עַד כִּי æquipollet. Tandem illud כִּי etiam aliis particulis addi, nec tamen earum significationem mutare. Ex quibus recte colligit, τὸ כִּי esse tantum particulam expletivam, similem Græcorum ἄν. 3. Vera scriptio vocis adeo controversæ שִׁילֹה est sine Jod. Sic quoque omnes interpretes legerunt, præter Arabem Erpenii. Est autem ab arabico سلي quod notat membranam, qua involutus est fœtus cum hominis tum pecudis, cujus forma feminina extat Devt. 28, 57. (cf. *Schultens*. Origg. Tom. II. p. 56.) et metonymice pro ipso fœtu recens nato aut tenera prole ponitur; ex quo שְׁלִי vel שֶׁלֶה vel שֶׁל per apocopen, ad formam בֵּן, fit cum affixo

num, generoso palmiti pullum asinæ. Lavabit in vino vestem, in uvarum sanguine amictum suum. 12. Rutilabunt oculi ex vino, albescent dentes e lacte. — 13. Sebulon oram maritimam inhabitabit: appellent ad eum naves, attinget Sidonem *f*). 14. Isaschar erit asinus robustus recubans inter aquarum canales. 15. Præferet quietem terræque *suæ* amœnitatem. Humerum suum subdet oneri, et fiet tributarius. — 16. Dan judicabit populares suos, nec erit aliis tribubus Israeliticis inferior. 17. Dan serpens erit in via *latens*, cerastes in tramite, qui mordet calcem equi, ut eques retrorsum cadat.

affixo שִׁלֹה vel שִׁלֹה, *proles*, *soboles ejus*. 4. בא dicitur h. l. de generatione, uti alias quoque, v. c. Ps. 71, 18. Cohel. 1, 4. — Secundum hanc interpretationem continent hæc verba quoque vaticinium de Messia e tribu Juda orituro, et de perpetuitate regni ejus, subobscurum quidem, sed temporibus quibus edebatur accommodatum. Sub gentibus primario quidem tribus Israeliticæ intelliguntur. Sed per metalepsin deinde omnes gentes, uti in promissionibus Abrahamo datis Genes. 15. et 17.

f) Terra Sebulonitarum a lacu Tiberiadis ad mare mediterraneum pertingebat. Alterum חוף significat *portum*, quæ et propria est ejus significatio לְחוֹף אֳנִיּוֹת *pro portu navium erit*. יַרְכָתוֹ *latus ejus super Sidone*; Latera regionis sunt ejus fines. Sebulonitæ Sidoniis erant contermini.

cadat. 18. Tuum auxilium expectavi, o Jova *g*). — 19. Gad ab hoste infestatus cædet eorum extrema agmina. — 20. Ascher cibis satiabitur opimis, dabit regias dapes. — 21. Naphtali est terebinthus patula, ramos edens pulcherrimos *h*). — 22. Sur-

g) Nonnulli interpretes hæc verba putant esse votum hominis moribundi salutem æternam expectantis. Alii sub *salute* Messiam intelligunt, cujus videndi Jacobus desiderium ostendat. Perquam aliene a contextu. Celeb. *Herderus* (vid. *Briefe, das Studium der Theologie betreffend*, P. I. p. 84.) existimat, Jacobum, dum hæc de Dane prædixerit, recordari grato in Deum animo periculorum et insidiarum variarum vitæ suæ, a quibus divino auxilio liberatus sit. Quam ingeniosam explicationem, historiæ et moribus Jacobi adeo aptam, non dubitavi in versione exprimere. Alii putant, Jacobum, dum fata liberorum suorum animo præsagiat, fidem suam testari, futura esse hæc aliquando Deo juvante. Non male. Attamen illud præfero.

h) Lectio recepta hujus versus non nisi difficilem admittit explicationem. Quid enim est? *Naphthali cerva emissa dat sermones pulcros.* Neque duo sententiæ membra inter se cohærent, nam cervæ emissæ non conveniunt sermones pulcri, neque apparet cur Naphthalitis præ aliis tribuantur. Igitur *Bocharti* sententia (in Hieroz. I, 3. 18.) facile sese probavit recentioribus interpretibus, aliis punctis subjectis legendum esse: אֵילָה שְׁלוּחָה הַנֹּתֵן אֲמִירֵי שָׁפֶר *Naphthali est terebinthus patula s. ramosa, edens ramos pulcros.*

22. Surculus est Josephus, surculus ad fontem *plantatus*, cujus germina supra murum ascendunt *i*). 23. Exacerbarunt eum, jaculati sunt et odio persecuti sagittarii *k*). 24. Sed firmus mansit arcus ejus et levia s. expedita *l*) fuerunt brachia manuum ipsius, ope

eros. Sic comparatur Naphthali cum arbore ramos suos late emittente, ad fœcunditatem ejus præsagiendam.

i) Hic versus totius hujus pericopæ difficillimus mihi videtur, atque fateor me mihimet ipsi versione mea minime satisfacere. Prius membrum sic explico: פֹּרָת scriptum videtur pro פֹּארָה omissa א quiescenti, uti sæpe. פֹּארָה vero est *ramus.* Ezech. 17, 6. 31, 5. 6. 12. *Filius rami* est surculus, qui ad fontem aquæ plantatus eo melius crescit novasque emittit *propagines*, de quibus in altero membro sermo, in quo בָּנוֹת respondet τῷ בֵּן atque ex parallelismo membrorum explicandum est. — Lectio recepta mendosa videtur, difficulter ex versionibus restituenda, quarum magnus est dissensus et obscuritas. Codex Samaritanus pro בנות צעדה habet בני צעירי, cum quo consentiunt οἱ ὁ, υἱὸς μου νεώτερος et pro עֲלֵי שׁוּר legerunt אֵלַי שָׁב πρός με ἀναστρέψον. Sed sic tollitur imago, qua Jacobus in priori membro usus est. Mitto reliquas æque incertas et obscuras.

k) Intelliguntur fratres Josephi eum odio habentes et persequentes.

l) יָפֹזּוּ a פזז non *confirmari*, ut multi volunt, sed *levem*, *agilem esse.* cf. 2 Sam. 6, 16. et *Schultens.* in Animadv. ad h. l.

ope potentis Dei, quem Jacobus coluit, per eum, qui custodiebat lapidem Israelis *m*). 25. Ab illo Deo patris tui, qui te adjuvit, ab illo Deo supremo, qui tibi benedixit, *veniant* beneficia cœli summi et terræ ei subjectæ, beneficia amplissimæ sobolis. 26. Benedictiones patris tui exsuperant benedictiones montium *n*) antiquissimorum, et cupedias collium æternorum. Veniant in caput Josephi, in verticem optimi fratrum suorum. — 27. Benjamin lupus, prædabitur mane, comedet prædam et vespere spolia dividet. — — 28. Hi sunt duodecim tribuum Israeliticarum progenitores, et hæc sunt quæ pater eorum singulis, cum eis valediceret, dixit.

m) In textu est מִשָּׁם רֹעֶה אֶבֶן יִשְׂרָאֵל. Mihi quidem facilis videtur, nec longe quæsita explicatio ex historia vitæ Jacobi Genes. 28, 12. 13. Deus ei super lapide cubanti amplissimas dedit promissiones, tempore quo divino auxilio quam maxime indigebat. Idem igitur ille Deus, inquit, qui mihi tempore periculosissimo adfuit, te quoque in illis tuis calamitatibus defendit. Sic ipse se explicat in sequenti versu. — Pro מִשָּׁם legendum est מִשֵּׁם, respondit enim מִידֵי et sic quoque legit Syrus interpres.

n) Pro הוֹרַי sine dubio legendum est הֲרֵי. Nam הורה semper de femina, nunquam de viro adhibetur, et sic quoque legerunt Cod. Sam. et *οἱ ό*, et *Kennicotius* octo Codices citat, in quibus hæc vox defective sine Vau legatur,

dixit. 29. Quo facto hæc quoque addidit: Ego moriar, volo igitur, ut me apud majores meos sepeliatis, nempe in spelunca, quæ est in agro Hebronis Chetitæ, 30. qui et Machpela dicitur, qui est versus Mamren in Cahanæa, quem emit Abrahamus ab Hebrone Chetita, ut suum haberet proprium sepulcrum. 31. Qui etiam ibi cum Sara uxore sua sepultus est. Ibi etiam Isaacum sepelierunt et Rebeccam ejus conjugem, atque ibi ego quoque Leam sepelii. 32. Fundus ille, cum ager, tum spelunca quæ in illo est, emta sunt a Chetitis. 33. Cum finem præcipiendi fecisset Jacobus filiis suis, pedes in lectum retraxit, et placide exspiravit collectus ad populares suos.

CAPUT L.

Jacobus sepelitur a filiis suis. Josephus fratres suos timidos solatur. Ejus posteri et mors.

1. Tum vero Josephus patrem suum cum fletu amplexus et osculatus est. 2. Deinde servis suis medicis jussit, ut eum condirent. 3. Quo in labore quadraginta dies consumserunt, tot enim requirit illa conditura. Etiam Aegyptii lugebant Jacobum per septuaginta dies. 4. Cum autem illud luctus tempus præteriisset, Josephus principes aulicos Pharaonis rogavit, ut hoc beneficii ipsi tribuerent, et suo nomine

ne a rege peterent, a) 5. (quod pater suus eum jurejurando obstrinxisset, ut ipsum in sepulcro, quod in Cananæa sibi parasset, sepeliret) ut ipsi concederet, eo ire, et patri justa persolvere, sese deinde esse rediturum. 6. Pharao jussit eum facere, quod ex jurejurando deberet. 7. Igitur Josephus profectus est ad funus paternum curandum, et comitati sunt eum principes aulici Pharaonis et magistratus Aegyptiorum. 8. Nec non omnes Josephi domestici, fratres ejus et domus paterna, tantum liberos, pecus et armentum in Gosene reliquerunt. 9. Praeterea secum habebant currus et equites, ita ut magnum agmen formarent. 10. Cum ad aream Atad venissent, quæ est trans Jordanum, ingentem ibi ploratum luctumque acerbissimum ediderunt, et *Josephus* septem dies patrem suum luxit. 11. Quod cum viderent illius regionis incolæ Cananitæ, mirati sunt, ad quid Aegyptii tantopere plorassent; hinc etiam locus ille nomen habet *Abel Mizrajim*, h. e. luctus Aegyptiorum (qui est trans Jordanum). 12. Deinde filii Jacobi fecerunt, quod pater jusserat. 13. Nimirum sepelierunt eum in Cananæa in spelunca agri Machpela, quem fundum Abrahamus emit, ut sepulcrum ipsi

a) Josephus ipse adire non poterat Pharaonem propter luctum et vestitum lugubrem. Propterea per amicos proficiscendi veniam rogat.

ipsi proprium ab Ephrone Hethita, versus Mamren. 14. Quibus rebus confectis rediit Josephus cum fratribus suis reliquisque omnibus, qui ipsum in funere patris sui curando comitati fuerant, in Aegyptum. — 15. Josephi autem fratres mortuo patre suo verebantur, ne ille eis infensus ulcisceretur eam tantam injuriam, qua ipsum affecissent. 16. Igitur mandarunt certis hominibus, qui Josepho dicerent: patrem ejus ante mortem suam optasse, 17. ut ignosceret fratribus suis gravem istam culpam, quam in eum commisissent: nunc se rogare, ut hoc faceret, et condonaret ejusdem Dei patrii cultoribus. Quæ cum Josepho dicerentur, flere cœpit. 18. Deinde cum ejus fratres ipsi venirent, et supplices gratiam ejus implorarent, 19. respondit eis, nolite timere. Nam Deum revereor. *b*) 20. Vos quidem nocere mihi

b) In textu hebr. est: כִּי הֲתַחַת אֱלֹהִים אָנִי, quæ phrasis supra adfuit Cap. 30, 2. ubi vero ejus explicatio facilior est, quam in hoc loco. Nam sive verba vertas: num loco Dei sum? sive, nonne sub Deo sum? sensus eorum semper varius et dubius et sequentibus parum aptus est. Igitur valde probabilis mihi videtur lectio Codicis Sam. החחת quæ etiam in Origenis Hexaplis sic legebatur: *μὴ φοβεῖσθε, καὶ γὰρ φοβούμενος Θεόν εἰμι ἐγώ.* Cujus sensum etiam Onkelos et Jonathan expresserunt דחלא דיי אנא *ego Deum timeo.* De LXX interpretibus non liquet: *τοῦ γὰρ Θεοῦ ἐγώ.* De reliquis

mihi cogitabatis, ſed Deus decreverat ea in bonum *convertere*, nimirum ut multi ſervarentur, quod eventus docuit. 21. Propterea nolite timere, ego vos veſtrosque liberos alam. Sic eos conſolatus eſt animosque eorum confirmavit. — — 22. Cæterum Joſephus habitavit in Aegypto et familia ejus paterna. Ille quidem centum et viginti annos vivendo complevit. 23. Viditque Ephraimi filios in tertia generatione, etiam filios Machiri, qui Manaſſis filius erat, gremio ſuo excepit. 24. Cum moreretur, oſtendit conſanguineis, ſe quidem certo ſcire, Deum pro ſuo erga eos amore eos reducturum eſſe in terram, quam Abrahamo, Iſaaco et Jacobo jurejurando promiſiſſet. 25. Quod quando eveniret, oſſa ſua ſecum ex Aegypto educerent, idque ut facerent, jurejurando eos obſtrinxit. 26. Cum mortuus eſſet, quod factum eſt anno ætatis ſuæ centeſimo et vigeſimo, condiverunt eum in Aegypto, et depoſuerunt in loculo.

EXO-

liquis dubium non eſt, quin lectionem receptam habuerint: Aquila: *ὅτι μὴ ἀντὶ Θεοῦ ἐγώ.* Symmachus: *μὴ γὰρ ἀντὶ Θεοῦ εἰμι ἐγώ.* Syrus: *propterea quod ſub Deo ſum*, tandem Vulgatus: *num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Ex qua teſtium inductione apparet paria eſſe teſtimonia pro utraque lectione. Cum igitur præter ſenſus facilitatem etiam Cap. 42, 8. Joſephus idem de ſe dicit, alio verbo tantum adhibito, non dubitavi Codicis Samaritani lectionem h. l. præferre.

EXODUS.

CAPVT I

Rex Aegypti Israelitas, qui nimis increverant, vexare incipit.

1. Haec sunt nomina filiorum Israelis, qui cum Jacobo in Aegyptum venerunt, singuli cum singulis familiis: 2. Ruben, Simeon, Levi et Juda. 3. Issachar, Sebulon et Benjamin. 4. Dan et Naphtali, Gad et Ascher. 5. Numerus vero omnium e Jacobo procreatorum fuit capitum septuaginta. a) E quibus Josephus jam erat in Aegypto. — 6. Mortuo Josepho, fratribus ejus et tota illa generatione, 7. Israelitae numero et multitudine vehementer aucti sunt et propagati, ita ut tota illa regio eis impleretur. 8. Tum vero novus rex in Aegypto extitit, qui Josephum non noverat. 9. Is monstravit populo suo: Israelitas numero et viribus ipsos superare. 10. Igitur callide cum eis agendum esse, ne amplius augerentur et bello forsan exorto sese jungerent hostibus et vi armorum e terra emigrarent. 11. *Aegyptii* igitur praeposuerunt *Israelitis* ope-

a) Recensentur eorum nomina Genes. 46, 8. seqq.

operarum præfectos, ut eos subigerent oneribus. Adhibuerunt eos muniendis promtuariis Pharaonis, Pitom et Raamses. 12. Sed quo magis eos affligebant, eo magis crescebant et multiplicabantur, ita ut sibi ab eis timerent. 13. Igitur jam servilia opera crudeliter ab iis exigebant, 14. atque dura servitute, lateribus ex luto formandis varioque in agris servitio vitam eis acerbam reddebant, atque in his omnibus magna severitate in eos utebantur. 15. Jussit tandem rex Aegypti obstetricibus hebræis, quarum una Schiphra, altera Pua vocabatur, 16. ut si opem ferrent parturientibus Hebræorum mulieribus, attenderent in sella, num puer sit? hunc interficerent, sed si filia, ea viveret. 17. Sed obstetrices Deum veritæ non fecerunt, quod eas rex Aegypti jusserat, puerosque vivos servarunt. 18. Tum rex evocavit ad se obstetrices easque interrogavit, quare hoc facerent? 19. Illæ vero responderunt: admodum dissimiles esse mulieres Ebræas **Aegyptiis**, eas esse naturæ robustæ, *b*) antequam obstetrix ad eas

b) Hærent interpretes in voce חָיוֹת semel obvia in hac forma. Nonnulli ex interpretibus antiquis vertunt *obstetrices*. Nempe Vulgatus: *ipsæ enim obstetricandi habent scientiam*. Quod innuit sine dubio etiam Onkelos qui חַכִּימָן *sapientes*, s. *peritæ* sunt, scil. artis obstetriciæ, et Symmachus:

 μαῖαι

eas veniret, jam peperisse. 20. Propterea benefecit Deus obstetricibus. Populus vero vehementer crescebat et invalescebat. 21. Quoniam igitur obstetrices Deum verebantur, atque hic subinde numerosa sobole populum c) augebat: 22. tandem jussit Pharao, ut Aegyptii pueros recens natos in Nilum abjicerent, puellas vero vivas servarent.

CAPUT

μαῖαι γάρ εἰσι. Quam explicationem probabilem reddit linguæ Chaldaica et Syriaca, in quibus id ipsum vocabulum ܚܝܬܐ significat *obstetrices*, quo etiam interpres Syrus semper utitur. Neque tamen mihi hujus vocis in h. l. hæc videtur esse significatio, quoniam in tota hac *ῥήσει* semper *obstetrix* est מְיַלֶּדֶת, neque ratio apparet, cur duæ diversæ voces de una re essent adhibitæ. חָיָה minime dubiam admittit explicationem ex significatione verbi primaria *contrahere, constringere*, (vid. *Sylloge* Dispp. Schultenss. et Schroederi p. 904.) *bene compactus, robustus*, quæ contextui quoque, ex meo quidem sensu, aptior videtur. LXX. interpretes minus accurate explicant per verbum *τίκτουσιν* et Theodotion per *ζωογονοῦσι*.

c) hebr. לָהֶם quod multi interpretes ad *obstetrices* referunt, quibus Deus familiam auxerit, et generis enallagen aliis exemplis defendunt. Sed melius, uti arbitror לָהֶם ad populum Israeliticum refertur; sic etiam enallage generis removetur, quam cæterum in aliis locis bene multis non negem.

CAPUT II

Moses nascitur, educatur a filia Pharaonis in aula regia, fugit ob caedem in Aegyptio homine commissam in regionem Midianem, ibique sacerdotis Midianitici filiam ducit in matrimonium.

1. Tum vir quidam e familia levitica uxorem duxerat item leviticam. 2. Quae cum filium peperisset *a*) eumque formosum esse vidisset, abscondit eum per tres menses. 3. Cum vero diutius eum non posset abscondere, paravit ei naviculam *b*) junceam, quam bitumine et pice obduxit, et in ea puerum ad ripam fluminis in alga exposuit. 4. Substitit vero e longinquo pueri soror, ut videret quid cum eo fieret. 5. Tum filia Pharaonis venit ad lavandum in flumine, pedissequae vero ejus obambulabant ad oram fluminis. Illa igitur naviculam vidit in alga misitque ancillam quae eam peteret. 6. Aperta navicula vidit infantem plorantem ejusque miserta est, facile suspicans ex Ebraeorum pueris eum esse. 7. Tum soror ejus interrogavit, num juberet ut ei arcesseret nutricem ex Ebraeis, quae ei puerum nutriret? 8. Quod cum jussisset, abiit puella

a) Non primogenitum, qui Aaron fuit. cf. 6, 20.

b) תֵּבָה de qua voce dictum est ad Genes. 6, 14.

puella et advocavit matrem pueri. 9. Cui illa, ſu-
me tecum, inquit, hunc puerum et nutri eum, dabo
tibi mercedem. Igitur nutrivit mulier iſta puerum,
10. jamque grandiuſculum factum adduxit ad filiam
Pharaonis, quæ eum pro filio habuit et Moſen vo-
cavit, quod eum aqua extraxiſſet. — 11. Ali-
quando c) autem Moſes, cum jam adoleviſſet, con-
venit populares ſuos, viditque quantis premerentur
oneribus. Tum obſervavit Aegyptium quendam,
qui Ebræum unum ex popularibus ſuis percuſſit.
12. Huc illuc circumſpexit et cum neminem adeſſe
videret, interfecit Aegyptium. 13. Poſtridie iterum
exiit et offendit duos Ebræos inter ſe contendentes.
Tum eum, qui injuriam inferebat, interrogavit, quare
alterum cæderet? 14. Ille vero reſpondit: quis te
principem aut judicem nobis conſtituit? Num me
quoque vis occidere, quemadmodum occidiſti Ae-
gyptium? hic Moſes perterritus rem innotuiſſe in-
tellexit. 15. Cumque Pharao quoque rem cogno-
viſſet, eumque ad ſupplicium quæreret, fuga ſibi
Moſes proſpexit et habitavit in terra Midianitica.

Nam

c) In textu eſt: בַּיָּמִים הָהֵם *illis diebus:* ſed late dici-
tur, nam quæ narrantur facta ſunt cum Moſes annum æ-
tatis ſuæ ageret quadrageſimum, auctore Stephano Act. 7,
23. Sic Geneſ. 38, 1. eo *tempore* dicitur de tempore lon-
ge præterito.

Nam *cum eo venisset* et ad puteum consedisset, 16. venerunt septem sacerdotis Midianitici filiæ et hausta e puteo aqua canales impleverunt ad gregem patris sui adaquandum. 17. Venerunt quidem pastores, et voluerunt eas repellere, sed obstitit Moses easque defendit, et aquavit earum pecus. 18. Cum rediissent, quæsivit ex eis Reguel avus *d*) earum, qui factum sit ut tam cito redirent? 19. Tum illæ narrarunt: hominem Aegyptium eas defendisse a pastoribus, aquam hausisse, pecus adaquasse. 20. Ubi vero ille est? inquit, cur eum reliquistis? vocate eum ut cibum nobiscum capiat. 21. Mansit igitur Moses apud virum illum, qui ei Zipporam neptem suam in matrimonium dedit. 22. Hæc filium peperit, quem Moses Gerschomum vocavit, peregrinus sum, inquiens, in terra aliena. 23. Longo tempore post *e*) mortuus est rex Aegypti. Sed Israelitæ adhuc gemebant et clamabant in servitute ista ad Deum. 24. Qui tandem eorum gemitus exaudivit et recordatus est promissi sui Abrahamo, Isaaco et Jacobo dati. 25. Respexit Israelitas et *quæ eis evenirent* novit *f*).

d) Num. 10, 29. Chobab affinis Mosis vocatur filius Reguelis. Socer vero Mosis vocatur Jethro Cap. 3, 1. 4, 18. 18, 1.

e) sc. post quadraginta annos, coll. Cap. 7, 7.

f) Hæc cum emphasi dicta sunt, Deum nempe auxilium suum diutius differre noluisse.

CAPVT III

Deus apparet Mosi gregem pascenti ad montem Horebum eumque jubet in Aegyptum reverti et populum Israeliticum e servitute Aegyptiaca liberare.

1. Moses vero cum gregem pasceret Jethronis soceri sui, sacerdotis Midianitarum, duxit eum in desertum venitque ad montem Dei Horebum. 2. Ibi ei apparuit angelus Jovae in igne rubi ardentis. Nimirum vidit Moses rubum ardere, nec tamen igne absumi. 3. Volebat igitur accedere et contemplari visum illud eximium, cur rubus iste igne non consumeretur? 4. Quod cum Jova videret, ei acclamavit e medio rubo: Moses! Moses! Quid est? inquit ille. 5. Ne huc appropinques, inquit Deus, calceos detrahe de pedibus tuis, locus enim in quo stas est terra sancta. 6. Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahami, Isaaci et Jacobi. Tum Moses obtexit faciem suam, verebatur enim Deum intueri. 7. Jova vero hunc in modum pergebat: Vidi afflictiones populi mei in Aegypto, et clamorem, quem ei exprimunt exactores ejus, audivi, novi dolores quos sentit. 8. Propterea coelo descendi, ut eum Aegyptiorum manibus ereptum ex hac terra in terram bonam et late patentem, in terram rebus optimis abundantem a) ducerem, quam Cananitae, Chittaei, Aemor-

a) hebr. *lacte* et *melle fluentem*. Est dictio proverbialis saepe obvia 13, 5. 16, 31. 33, 3. etc.

morræi, Pherefitæ, Chivvæi et Jebufitæ habitant. 9. Quoniam igitur Ifraelitarum clamor ad me pervenit, atque ego, quantopere ab Aegyptiis opprimantur, perfpexi, 10. te jam mittam ad Pharaonem, ut educas populum meum, Ifraelitas, ex Aegypto. 11. Ad hæc Mofes Deo refpondit: quis ego fum, qui ad Pharaonem abeam, et qui educam Ifraelitas ex Aegypto? 12. Ego tecum ero, inquit Deus, et hoc fignum habeto te a me mitti. Si populum ex Aegypto eduxeris, facra mihi facietis in hoc monte *b*). 13. Tum Mofes Deo dixit: fi ad Ifraelitas venero eisque me a Deo majorum fuorum ad ipfos miffum effe dixero, interrogabunt de nomine ejus, *c*) quid tunc refpondeam illis? 14. Ad hæc Deus: ero qui ero *d*). Sic dicere debes Ifraelitis: *Ero* mifit me ad

b) Senfus eft: prædico tibi felicem eventum. — Non dubitabat Mofes Jovam effe, qui cum eo loqueretur. Sed de felici eventu hujus conaminis dubitabat. Igitur hunc futurum effe Deus prædicit.

c) In ifta tum Aegyptiorum, tum aliarum gentium πολυθεοτητι, a qua Ifraelitæ minime immunes manferant, fi quoque Dei majorum fuorum memoriam retinuerant, Mofes utique iftam quæftionem expectare poterat.

d) Hæc verba non funt nomen, quod Deus fibi tribuat; nam in fequenti verfu fe Jovam vocat, neque usquam legitur *Ejeh* ut nomen Dei. Sed hic fenfus effe videtur: quocunque

ad vos. 15. Porro Deus Mosi dixit: Sic dicere debes Israelitis: Jova *e*) Deus majorum vestrorum; Deus Abrahami, Isaaci et Jacobi misit me ad vos. Hoc nomen meum erit in æternum, sic per omnes ætates me vocabitis. 16. Abi igitur et convoca seniores Israelitarum, et hunc in modum eos alloquere: Jova Deus majorum vestrorum mihi apparuit, Deus Abrahami, Isaaci et Jacobi, mihique dixit: se jam ad vos attendere, ut et ad ea quæ ab Aegyptiis patiamini, 17. atque propterea decrevisse, vos ex Aegypti miseria in terram Cananitarum, Chittæorum, Amorræorum, Pheresitarum, Chivæorum, et Jebusitarum ducere, in terram optimam et præstantissimam. 18. Quod si te audierint, tu una cum illis adire debes regem Aegypti et sic apud eum agere: Jova Ebræorum Deus nobis apparuit, permitte igitur, ut iter

que me nomine appellent Israelitæ, præstabo me et exhibebo ut Deum. Quæ vero statim adduntur: dicere debes Israelitis, *ero* misit me, breviter dicta sunt, ex illa Mosis quæstione de nomine Dei supplenda in hunc modum: Ille Deus, qui mihi respondit, cum de nomine ejus rogarem, *ero qui ero*, is Deus misit me.

e) Significatio nominis יהוה *erit*, respicit sine dubio promissiones Abrahamo, Isaaco et Jacobo datas, easque certissime esse implendas. De quæstione, num Deus nomen *Jova* tunc primum sibi dederit, infra ad Cap. 6, 3. dicetur.

iter trium dierum in desertum faciamus et sacrificemus Jovæ Deo nostro. 19. Ego quidem novi regem Aegypti vos non dimissurum esse, nisi vi coactum. 20. Igitur ego quoque potentiam meam exseram et affligam Aegyptum variis in eo portentis editis. Tum demum vos dimittet. 21. Præterea gratiam Aegyptiorum vobis conciliabo, ita ut non vacui egrediamini. 22. Mulieres enim a vicinis suis et hospitibus vasa argentea et aurea, nec non vestimenta, sibi debent expetere *f*), quibus liberos vestros oneretis, Aegyptiis vero eripiatis.

f) Multi interpretes existimant, Deum jussisse Israelitas vasa aurea et argentea mutuo accipere ab Aegyptiis, et deinde cum Aegypto emigrabant, illis surripere. Sed tunc laborant in excusando furto ab Israelitis hac ratione commisso. At enim vero non video cur שָׁאַל hoc loco in alia ac vulgari sua significatione *rogandi* accipiamus. Aegyptii non denegabant Israelitis petentibus res pretiosas, ac sponte dono dabant, partim quod conscii erant variæ injuriæ, qua affecti erant a rege, partim ut maturarent exitum, partim per amicitiam, cum non probabile sit, omnes Aegyptios adeo infestos fuisse Israelitis. Sic quoque Josephus rem intellexit, Antiquitt. Lib. II. Cap. 14.

CAPUT

CAPUT IV

Mosi recusanti miracula edendi potestas promittitur. Tandem commissum munus suscipit atque ex Midianitide in Aegyptum proficiscitur. In itinere propter circumcisionem in filio suo neglectam in vitae periculum venit. Israelitae cum gaudio accipiunt liberationis promissionem.

1. Ad hæc Moses respondit: non fidem mihi habebunt, non credent, negabunt te mihi apparuisse. 2. Quid est, inquit Jova, quod in manu habes? Baculus, inquit Moses. 3. Tum ille: abjice eum. Quod cum fecisset, mutatus est in serpentem. A quo cum Moses fugeret, 4. jussit Jova, ut eum in cauda prehenderet. Manu igitur porrecta eum prehendit, et conversus est in manu ejus in baculum. 5. Propterea, *addebat Deus*, credent, Jovam Deum majorum suorum, Deum Abrahami, Isaaci et Jacobi tibi apparuisse. 6. Tum porro Jova jussit, ut manum in sinum immitteret. Quod ubi fecit, eamque reduxit, leprosa fuit, candens instar nivis. 7. Tum jussit eam in sinum remittere, et deinde iterum reducere, et sic reliquo corpori similis reddita est. 8. Quodsi, sic pergebat Deus, nolint tibi fidem habere, aut credere primo portento, at credent alteri. 9. Sin ne duobus quidem hisce signis poterunt ad credendum perduci, sume aquam ex flumine, eamque effunde in terram,

terram, quæ ſic mutabitur in ſanguinem. 10. O Domine, inquit Moſes, non ſum diſertus. Inde jam a longo tempore atque hoc ipſo quo mecum loqueris, oris et linguæ tarditate laboro. 11. Ad hæc Jova reſpondit: quis homini os dedit? aut quis facit mutum, aut ſurdum, aut videntem, aut cæcum? nonne ego Jova? 12. Abi igitur, juvabo te loquentem et te docebo, quæ dicere debeas. 13. Tum ille, mitte quæſo, inquit, quemcumque alium. 14. Hic Jova iratus Moſi dixit: Nonne ego novi Aaronem fratrem tuum Levitam diſertum eſſe? Is tibi obviam veniet, atque ad conſpectum tuum vehementer lætabitur. 15. Ad eum tu loqueris, et quæ dicere debeat, præcipies. Ego vero et tuos et ejus ſermones dirigam, et quæ vos facere oporteat docebo. 16. Is pro te ad populum verba faciet, et ſic tibi pro ore erit. Tu vero eris ei pro Deo. 17. Baculum vero hunc tecum ſume, quo portenta illa patrabis. — — 18. Tum reverſus eſt Moſes ad Jethronem ſocerum ſuum et ab eo petiit, ut ſibi concederet redire ad conſanguineos ſuos in Aegyptum et videre num adhuc viverent. Quod lubenter ei Jethro conceſſit piis votis eum proſecutus. 19. Indicarat autem Deus Moſi in terra Midianitica, cum in Aegyptum redire eum juberet, mortuos eſſe eos omnes, qui vitæ ejus eſſent inſidiati. 20. Moſes igi-

tur

tur uxorem ſuam et filios aſinis impoſuit et reverſus eſt in Aegyptum. Baculum illum divinum quoque ſecum ferebat. 21. Jova vero denuo Moſen allocutus fuerat his verbis: Si redieris in Aegyptum, cura ut prodigia iſta omnia, quorum patrandorum tibi poteſtatem dedi, coram Pharaone edas. Ego vero permittam, ut animo obſirmato *a*) populum dimittere recuſet. 22. Tunc vero hæc ei dicere debes: Sic ait Jova, Iſraelitæ mihi inſtar filii primogeniti *b*) cari ſunt.

a) Verba textus ſunt: אֲנִי אֲחַזֵּק אֶת־לִבּוֹ *ego animum ejus obſirmabo*, quæ loquendi formula in ſequentibus aliquoties repetita eſt, Capp. 7, 3. 10, 27. 11, 10. 14, 4. Senſum vero ejus durum illum, ſi ad literam vertitur, eſſe non poſſe, apparet, 1. ex locis iis in quibus Pharaoni ipſi tribuitur, quod hic et alibi Deo. e. c. Cap. 7, 13. 8, 28. 9, 34. — 2. ex uſu complurium verborum activorum, quibus Hebræi metonymice uti ſolent ad qualemcunque relationem ad actionem indicandam. vid. *Glaſſii* Philol. S. p. 242. edit. recent. Quoniam vero hic loquendi modus ab linguis occidentalibus alienior eſt, atque lectores illius orientaliſmi ignari in eo offendunt, in verſione verum ſenſum putavi exprimendum eſſe, de quo etiam nemo dubitet.

b) hebr. *filius meus primogenitus eſt Iſrael.* Hebraiſmus eſt in voce בְּכוֹר quo *primogenitus* dicitur, qui in aliqua re excellit aut aliis præſtat. Senſus eſt: ego huic populo præ aliis prærogativam et principatum conceſſi, vid. *Glaſſius* l. c. p. 43.

ſunt. 23. Volo igitur ut dimittas filium meum, ut me colat. Quodſi renueris eum dimittere, ego filium primogenitum tuum interficiam — 24. In illo itinere cum in diverſorio eſſent, mortem ei minabatur Jova. 25. Tum Zippora ſumſit cultrum acutum et circumcidit filii ſui præputium, quod deinde his verbis ad pedes ejus abjecit: ſponſus cruentus mihi es. 26. Tunc deſtitit Deus ab eo. Propter circumciſionem vero *Zippora* ſponſum cruentum, maritum ſuum vocavit. *c*) — 27. Aaroni vero Jova juſſerat, ut obviam iret Moſi in deſertum. Quem cum in monte

c) Hæc hiſtoria ob brevitatem qua narratur obſcura eſt. Incertum eſt, quomodo Deus Moſi mortem minatus ſit. Ex verſu vero 25. apparet, Moſi et Zipporæ culpam eſſe indicatam, quam per circumciſionem neglectam commiſiſſent. Nam hæc ſumit *lapidem acutum*, formatum nempe et aptatum ad tales uſus (Joſ. 5, 3. vocatur חֶרֶב צֻרִים) et circumcidit filium. Quo facto indignabunda abjicit præputium ad pedes Moſis, inquiens, *ſponſus cruentus mihi es.* Sic verba intelligo propter ſequentia, quæ clare dicunt Zipporam improbaſſe circumciſionem, eamque periculoſam judicaſſe filio ſuo. Maritum ſuum vocat *ſponſum*, quod is ei ex illo mortis periculo quaſi de novo datus et conjunctus videbatur. Simul vero *ſponſum cruentum*, quod eum ſibi *ſanguine pueri* acquiſiverit. Plura de h. l. dixi ad *Glaſſium* p. 1178.

monte Dei offendiffet ofculo falutavit. 28. Tunc Mofes Aaroni narravit omnia mandata, quæ a Jova accepiffet et figna quæ patranda ei præcepiffet. 29. Utrique igitur convocarunt proceres Ifraelitarum. 30. Quibus Aaron expofuit omnia, quæ Jova ad Mofen effet locutus. Fecit quoque portenta ifta videntibus omnibus. 31. Hi fidem habuerunt et cum audirent Jovam rationem habere Ifraelitarum eorumque miferiam refpicere, fupplices eum adorarunt.

CAPVT V

Poftquam Mofes et Aaron primum adierunt Pharaonem eique voluntatem Jovae de populo dimittendo indicarunt, fervitutis onera aggravantur.

1. Poftea adierunt Mofes et Aaron Pharaonem eique indicant, jubere Jovam Deum Ifraelis, ut dimitteret ejus populum ad feftum celebrandum in deferto. 2. Tum Pharao quæfivit: quinam effet ille Jova, cui morem gerere deberet et dimittere populum Ifraeliticum, fe quidem non noffe illum Jovam, neque velle Ifraelem dimittere. 3. Illi vero dicunt: Deum Ebræorum eis apparuiffe, fefe rogare ut trium dierum iter ipfis rex concederet, ad facrificium offerendum Jovæ Deo fuo, ne peftem aut bellum eis immitteret. 4. Refpondet eis rex: quid vos, Mofes

Mofes et Aaron avocatis populum a labore? abite ad fervitia veftra. 5. Nimium jam excrevit populus, inquit Pharao, et vos infuper vultis eum feriari? 6. Simul præcepit exactoribus populi et tribunis ejus, 7. ne amplius darent populo ftramen ad lateres formandos, ficuti antea. Ipfi irent collectum. 8. Summam vero laterum, quam hactenus præftitiffent, eandem eis imponerent fine deminutione. Otiofi funt, inquit, propterea dimitti volunt ad facra facienda Deo fuo. 9. Duriores labores imponantur hominibus, quibus occupati fint, tunc non ad mendacia attendent. 10. Exactores igitur et tribuni populi ei indicant, quid Pharao jufferit. Stramen ei deinceps non dari. 11. Ipfi abirent et colligerent ubicunque invenirent, nec tamen propterea quidquam de laboribus eorum detractum iri. 12. Tum populus difperfus eft per univerfam Aegyptum, ad ftipulas loco ftraminis colligendas. 13. Exactores vero urgebant eum, ut opera fua fingulis diebus perficeret, æquè ac cum ftramen haberet. 14. Vapulabant quoque tribuni Ifraelitarum, quos exactores Pharaonis eis præfecerunt, quoniam portionem laterum formandorum jam per aliquot dies non ficuti antea perfeciffent. 15. Hi igitur adierunt Pharaonem et conquefti funt apud eum, quod tam inique fecum ageretur; 16. Stramen fibi non dari, lateres vero

præſtandos eſſe et præterea ipſos verberari, cum tamen culpa ſit Aegyptiorum *a*). 17. Reſpondit Pharao, otioſi eſtis, otioſi, inquam, propterea cupitis Jovæ ſacrificare. 18. Ite, laborate, ſtramen vobis non dabitur, ſed portionem ſtatutam laterum debetis præſtare. 19. Tribuni igitur Iſraelitarum videbant ſeſe ad ſummam miſeriam redactos, dum nihil eis de penſo quotidiano laterum diminueretur. 20. Obveniebant eis Moſes et Aaron, cum a Pharaone diſceſſiſſent. 21. His dicunt: Poenas repetat Jova a vobis, quod nos inviſos et ſuſpectos feciſtis regi et aulicis ejus. Tradidiſtis eis gladium, quo nos interficerent. 22. Tum Moſes ad Jovam his verbis precatus eſt: o Domine, cur tantopere affligis populum? cur me miſiſti? 23. Ex quo enim ad Pharaonem veni et cum eo ſum locutus nomine tuo, durius adhuc tractat populum, necdum eum liberaſti.

a) Verba textus ſunt: חָטָאת עַמֶּךָ. Vulgatus vertit: *injuſte agitur contra populum tuum*; ὁι ό, ἀδικήσεις ἂν τὸν λαόν σου. Sic quoque Syrus. Sed Onkelos: peccat *in eos* populus tuus. Recte. Nam ſub עמך non *Iſraelitæ*, ſed Aegyptii intelliguntur. Illos enim ſervos Pharaonis dixerant.

CAPUT

CAPVT VI

Deus Mosi denuo repetit promissionem de liberatione populi ex Aegyptiorum servitute. · Interseritur Mosis genealogia.

1. Ad hæc Jova respondit Mosi: jam quidem videbis, quid facturus sim Pharaoni. Vi coactus populum dimittet; immo vi coactus eum e terra sua expellet. 2. Porro Deus cum Mose hunc in modum locutus est: Ego sum Jova. 3. Equidem Abrahamo, Isaaco et Jacobo apparui sub nomine Dei summi. Nomen vero illud meum Jova nondum eis innotuit. *a*)

4. Immo

a) Hic locus valde favere videtur sententiæ eorum, qui nomen Jovæ patriarchis ignotum fuisse dicunt, et Mosen, quoties illud in patriarcharum historia adhibuerit, per prolepsin historicam, quam dicunt, usurpasse. Sed obstat huic sententiæ 1. quod ipsi patriarchæ Deum hoc nomine vocant, v. c. Abrahamus Genes. 14, 22. 24, 3. seqq. Jacobus Genes. 28, 16. atque adeo eo nomine compellant, e. c. Genes. 15, 2. 8. 32, 9. Nam in his quoque prolepsin statuere durum est, nec probabile videtur, Mosen loquentes inducere homines verbis, quorum nullam prorsus notitiam habuerint. 2. Ipse Deus sese hoc nomine vocat, dum patriarchas alloquitur, e. c. Abrahamum Genes. 15, 7. Jacobum 28, 13. Quæ loca fere sola sufficiunt ad illam sententiam refutandam. Nam clare contradicerent verbis hujus loci, si hic eorum esset sensus, quem illi interpretes volunt. Sed non contradicunt, si de

horum

4. Immo vero implebo promiſſionem meam eis factam, dabo eis terram Cananæam, in qua tanquam peregrini vixerunt. 5. Præterea quoque audivi Iſraelitarum clamores propter ſervitutem, qua ab Aegyptiis premuntur. Memor jam ſum meæ promiſſionis. 6. Igitur hæc dicere debes Iſraelitis: me Jovam eſſe, qui eos ab oneribus Aegyptiorum ſubducturus ſim, et liberaturus ex eorum ſervitute et redemturus brachio exſerto judiciisque potentibus; 7. Eos populum mihi ſacrum futuros eſſe, me vero Deum eorum, *quem colant*, ita ut intelligant me Jovam Deum eorum eſſe,

horum nominum divinorum ſignificatione intelliguntur. Dicit Deus ſe apparuiſſe patriarchis בְּאֵל שַׁדָּי Jam vero nomen שַׁדַּי explices, vel per Deum omnipotentem, vel per Deum ſummum, (vid. Geneſ. 17, 1. not. a.) idem ſenſus eſt: Deum nempe populi Iſraelitici progenitoribus documenta dediſſe complura omnipotentiæ ſuæ, ſive ſeſe eis probaſſe ut Deum ſummum cœli terræque creatorem etc. Deinde negat nomen Jovæ eis innotuiſſe, ſcilicet quoad ſignificationem, quam inde ab hoc tempore habere deberet, cum reſpectu ad promiſſiones Abrahamo, Iſaaco et Jacobo datas, jam quidem et in poſterum implendas. Sic Deus ipſe verba ſua explicat verſu 4. 5. 6. Antea uſurpatum fuerat nomen Jovæ ad exiſtentiam Dei, neceſſitatem, aut immutabilitatem deſcribendam: jam vero ad fidem, veritatem et conſtantiam in promiſſionibus ſervandis et implendis indicandam.

esse, qui eos ab Aegyptiorum oneribus liberaverit. 8. Ductorum quoque me eos esse in terram, quam Abrahamo, Isaaco et Jacobo jurejurando interposito promisi eamque illis possidendam daturum. Hæc ego Jova — 9. Moses quidem referebat hæc ad Israelitas. Sed non attenderunt ad ea quæ dicebat, præ nimio animi angore et servitutis duritie. 10. Tunc denuo Jova jussit Mosen 11. adire Pharaonem Aegypti regem, eique dicere, ut Israelitas e terra sua dimittat. 12. At Moses respondit: en! ne Israelitæ quidem me audiunt, multo minus Pharao me audiet. Præterea lingua sum impedita. 13. Jova vero jussit Mosen et Aaronem Israelitis et Pharaoni suam voluntatem indicare de eis per ipsos ex Aegypto educendis *b*). (14. Hi sunt principes familia-

b) Hæc et similes repetitiones de vocatione Mosis ad munus suum eo consilio factæ videntur, ut lectores suos doceret se non sua sponte hoc munus suscepisse, sed animo valde reluctante. Genealogia autem Mosis et Aaronis hoc loco inserta est, ut constaret quænam essent origines (nam in populo originum adeo curioso, qualis Israeliticus fuit, quæstio hæc erat magni momenti) ducum primorum populi, quorum familiæ præterea deinceps sacerdotium in perpetuum conferri debebat. In qua genealogia miretur fortasse aliquis, posteros Rubenis et Simeonis paucis tantum commemorari, plenius deinde Levi posteros, reliquorum vero filiorum

miliarum Ifraeliticarum: Filii Rubenis primogeniti Ifraelis erant, Chanoch, Phallu, Chezron, Charmi: hæ funt familiæ Rubenis. 15. Filii Simeonis erant: Jemuel, Jamin, Ohad, Jachin, Zochar, Saulus e Cananæa natus: hæ funt familiæ Simeonis. 16. Nomina filiorum Levi fecundum cognationes fuas hæc funt: Gerfchon, Kehat, et Merari. Vixit vero Levi annos feptem et triginta fupra centum. 17. Filii Gerfchonis erant Libni et Schimei, quorum familiæ extant. 18. Filii Kehati fuerunt Amram, Jizhar, Chebron et Uffiel, annosque implevit Kehat centum et triginta tres. 19. Filios Merari habuit Machlim et Mufchim. Hæ funt familiæ Levi fecundum cognationes fuas. 20. Duxerat vero Amram in matrimonium Jochebed amitam fuam, ex qua Aaronem et Mofen fuftulit, vixitque annos centum feptem

liorum Jacobi omitti. Non abfurda videtur *Hubigantii* conjectura, unde hoc venerit. Nimirum Mofes præ manibus habuit catalogum, ex quo fuæ familiæ origines dare volebat. In quo cum nomina Rubenis et Simeonis primo loco fcripta effent, ea quoque fed breviter tantum commemorat, et mox ad Levi pofteros pergit, de quibus dicere volebat. Reliquorum recenfionem omittit, quippe quæ ab inftituto fuo prorfus erat aliena. Hinc factum quoque eft, ut infcriptio illius catalogi fervata fit: *Hi funt principes familiarum Ifraeliticarum*, quanquam non omnium, fed tantum familiarum Leviticæ tribus capita recenfentur.

ſeptem et triginta. 21. Filii Jizharis erant Korah, Nepher et Sichri. 22. Filii Uſſielis Miſchael, Elzaphan et Sitri. 23. Aaron in matrimonium duxit Eliſchebam, filiam Amminadabi, ſororem Nachſchonis, quæ ei peperit, Nadabum, Abihum, Eleaſarem, et Itamarum. 24. Filii Korachi erant: Aſſir, Elkanah, Abiaſaſch: hæc ſunt quoque nomina familiarum Korachi. 25. Eleaſar filius Aaronis in matrimonio habuit filiam Phutielis, ex qua ſuſtulit Pinchaſum. Hæc ſunt capita familiarum Leviticarum ſecundum cognationes ſuas. 26. Hæc eſt proſapia illius Aaronis et Moſis, quos Jova juſſit educere Iſraelitas ex Aegypto cum ſuis agminibus. 27. Hi cum Pharaone rege Aegypti hac de re egerunt. Hic eſt ille Moſes et Aaron. 28. Igitur cum Jova Moſi in Aegypto mandaret, 29. ut ſuo nomine ad Pharaonem regem Aegypti referret omnia, quæ cum eo eſſet locutus, 30. et Moſes Jovæ reſponderet, linguam ſe habere impeditam, Pharaonem non eum eſſe auditurum: c)

c) Tres verſus extremi hujus capitis debebant novam ſectionem inchoare. Etenim non novum Dei mandatum continent, ſed repetitionem eorum, quæ verſu 10. 11. 12. dicta ſunt, inſerta illa genealogia interrupta. Cohærent igitur cum initio ſequentis capitis.

CAPUT VII

Moses ex mandato Dei Pharaonem denuo adit, coram quo baculum in serpentem et aquam in sanguinem mutat. Quibus cum fidem Pharao non haberet, quod magi Aegyptii hæc miracula imitabantur, minatur Moses plagam ranarum.

1. Jova Mosi dixit: En te Deum constitui Pharaoni, Aaron vero frater tuus erit tibi internuncius. 2. Tu ei dices omnia, quæ tibi præcepero et ille Pharaoni renunciabit, dimittendos esse Israelitas e terra ejus. 3. Equidem permittam, ut animo pertinaci resistat; hinc fiet ut multa signa et prodigia in Aegypto edam. 4. Non obtemperabit vobis Pharao, igitur convertam meam potentiam in Aegyptios, atque educam mea agmina, hoc est, populum meum Israeliticum ex Aegypto inter judicia gravissima. 5. Quod cum fecero, intelligent Aegyptii me Jovam esse. *a*) — 6. Moses et Aaron fecerunt sicuti Jova præceperat. 7. Ille vero tunc annum agebat octogesimum, hic tertium et octogesimum. — 8. Mandaverat præterea Jova Mosi et Aaroni, 9. ut ille hunc juberet baculum suum abjicere, qui in serpentem mutaretur, si Pharao miraculum ab eis posce-

a) Manifeste h. l. ad significationem nominis respicitur: Jovam esse eum, qui quod dixit etiam præstet et efficiat.

poſceret. 10. Igitur cum ambo ad Pharaonem veniſſent, fecerunt ſicuti juſſi erant a Jova. Abjecit Aaron baculum præſente rege et aulicis ejus, qui in ſerpentem fuit converſus. 11. Tum Pharao ſapientes et rerum arcanarum peritos advocavit, qui Aegyptiorum *b*) magi artibus ſuis occultis idem fecerunt. 12. Abjecerunt baculos ſuos, qui in ſerpentes convertebantur. Sed baculus Aaronis devoravit eorum baculos. 13. Hinc animus Pharaonis obfirmatus eſt, ut non obtemperaret, ſicuti Jova prædixerat. — 14. Tum Jova Moſi dixit: Animo pertinaci Pharao populum dimittere recuſat. 15. Convenite eum mane, exibit ad aquam, eique ad ripam fluminis obviam procede, et baculum, qui in ſerpentem mutatus fuit, tecum ſume, 16. et his verbis eum alloquere: Jova Ebræorum Deus me ad te miſit

b) Hebraice vocantur חַרְטֻמִּים. Erant hi quos græci ἱερογραμματεῖς vocant, imaginum hieroglyphicarum periti, qui artibus naturalibus, minime vero ope diaboli, aut malorum geniorum, illa ab Aarone patrata miracula imitabantur. Quod etiam contra eorum conſilium fuiſſet, ſi hoc jactaſſent. Volunt enim Pharaoni perſuadere, Moſis miracula non eſſe vera miracula, ſed artibus naturalibus (Taſchenſpielerey) omnia peragi. Id quod etiam Pharao ex imitatione illorum miraculorum colligit, et ſibi perſuaderi cupit, ne cogatur Iſraelitas dimittere.

ſit et jubet, ut populum ſuum dimittas ad eum in deſerto colendum. Hactenus quidem non morem geſſiſti. 17. Sed ex eo intelliges me Jovam eſſe, inquit idem Jova. Ego percutiam hoc baculo, quem manu teneo, aquam fluminis et ſtatim rubra c) evadet. 18. Tunc piſces morientur et flumen adeo foetebit, ut omnes aquam ejus bibere faſtidiant. 19. Simul juſſit Moſes ex mandato Jovæ Aaronem, manum cum baculo extendere ſuper aquas Aegypti, ſuper flumina, rivos, ſtagna, ſuper omnia aquarum receptacula, ut rubra fierent, atque omnis aqua, etiam quæ in vaſis ligneis aut lapideis ſervaretur, rubeſceret. 20. Igitur Moſes et Aaron fecerunt quemadmodum Jova præceperat. Aaron baculo ſublato aquam Nili percuſſit præſente Pharaone et aulicis ejus, et rubra evaſit. 21. Hinc piſcibus fluminis mortuis tantus ejus foetor extitit, ut Aegyptii aquam e flumine bibere non poſſent. Simul in tota Aegypto aqua rubra facta eſt. 22. Sed cum Aegyptiorum magi artibus ſuis occultis idem facerent, Pharao animo pertinaci non obtemperavit, quemadmodum Jova prædixerat.

23.

c) נֶהֶפְכוּ לְדָם *convertentur in ſanguinem.* Aſſentior illis interpretibus, qui non ſanguinem proprie ſic dictum, ſed ruborem, quem aqua contraxit, intelligunt. Quæ ſignificatio quoque propter originem verbi אדם *rubuit* a ſubſtantivo דם non eſt aliena.

23. Illinc digreſſus domum rediit, neque ad ea, quæ facta erant, attendit. 24. Aegyptii vero circa flumen fodiendo aquam ad bibendum quæſiverunt. Aquam enim Nili bibere non poterant. 25. Hæc a Jova immiſſa plaga per ſeptem dies duravit. — 26. Deinde Jova denuo juſſit ut Moſes Pharaonem adiret, eumque ſuo nomine juberet populum ſuum dimittere ut ſibi ſerviret. 27. Si recuſaret, ſe totam ejus terram ranis immiſſis eſſe afflicturum. 28. Nilum enim tantam earum copiam emiſſurum eſſe, ut in ædes, conclavia, penetralia et lectos ejus, nec non in ædes aulicorum et ſubditorum ejus, in fornaces et mactras penetrent. 29. Sic usque ad eum, ſubditos et miniſtros ejus pervaſuras eſſe.

CAPVT VIII

Ranæ ex Nilo excitatæ, culices, muſcæ.

1. Tum Jova Moſi mandavit ut præciperet Aaroni manum cum baculo extendere ſuper flumina, rivos et ſtagna, ut ranæ aſcenderent ſuper Aegyptum. 2. Quo facto tot ranæ extiterunt, ut tota Aegyptus eis obtegeretur. 3. Sed magi artibus ſuis occultis etiam ranas produxerunt. 4. Attamen Pharao Moſen et Aaronem arceſſitos rogavit, ut intercederet apud Jovam, quo ranas a ſe et populo ſuo auferret, velle ſe populum dimittere ad ſacrificandum Jovæ.

5. Mo-

5. Mofes refpondit Pharaoni, velit ipfe tempus indicare, quando pro eo, miniftris ejus et fubditis precari debeat, ut ranæ ab eo et aedibus ejus propellerentur, et tantum in flumine relinquerentur. 6. Cum ille craftinum diem nominaffet, erit ita, inquit Mofes, ficuti dixifti, ut intelligas non effe Deum Jovæ fimilem. 7. Auferentur ranæ a te et ædibus tuis ab aulicis et fubditis tuis, tantum in flumine reftabunt. 8. Poftquam igitur Mofes et Aaron a Pharaone difceffer ant, ille propter ranas ad Jovam precatus eft, quas regi immiferat. 9. Quas ejus preces Jova quoque admifit. Mortuæ funt ranæ in ædibus, atriis et agris. 10. Quibus in cumulos congeftis foetuit tota illa regio. 11. Pharao autem cum videret refpirationem fibi factam effe, mente obftinata parere renuit, ficut Jova prædixerat. — 12. Igitur fic Mofi denuo mandavit, ut juberet Aaronem extendere baculum et terram percutere, quo facto culices *a)* nafcerentur in tota Aegypto. 13. Fecerunt ita. Aaron quidem protenfo baculo percuffit terræ pulverem,

a) כִּנִּים vulgo *pediculos* vertunt, quam fenteutiam *Bochartus* in Hieroz. P. II. Lib. IV. Cap. XVIII. pluribus defendit. Sic quoque Onkelos, Syrus et Arabs verterunt. Sed præferenda videtur verfio τῶν ὁ, qui habent σκνίφας, *culices*. Quam vocem Vulgatus retinuit *cinipbes*.

rem, hinc extiterunt culices in hominibus et animalibus, omnis totius terræ pulvis in culices videbatur conversus. 14. Conati quidem sunt magi artibus suis etiam culices producere, sed frustra. Cum igitur homines et animalia per culices vexarentur, 15. magi coacti sunt fateri Pharaoni *b*), vim divinam hac in re intercedere. Hic vero animo obdurato eis non obtemperavit, quemadmodum Jova prædixerat. — 16. Igitur hic jussit Mosen postridie mane obviam procedere Pharaoni, qui ad aquam sit egressurus, eumque his verbis compellare: Jubet Jova, ut dimittas suum populum. 17. Sin minus, ille tibi, aulicis et subditis tuis muscas *c*) immittet, quæ omnes Aegyptiorum domos, totamque regionem implebunt. 18. Distinguam vero tunc, inquit, regionem Gosen, quam populus meus inhabitat. Nullæ ibi

b) Ex hac magorum confessione clarum est, quod ad Cap. 7, 11. observavimus, eos in reliquorum miraculorum imitatione Pharaoni persuadere voluisse, artibus naturalibus hæc a Mose patrari. Quoniam in hoc vim divinam agnoscunt, in superioribus eam negarunt.

c) עָרוֹב nonnulli interpretes *Hieronymum* secuti vertunt *omne genus muscarum*. Sic fere etiam *Josephus* II, 14. et *Aquila* πάμμυιαν, ex origine τοῦ ערב *miscuit*. Sed ex versu 25. apparet, speciem cujusdam animalis esse intelligendam. οἱ ό vertunt per κυνόμυιαν, *muscam caninam*, quam sententiam *Bochartus* II, 4, 14. et 15. prolixe defendit.

ibi erunt mufcæ. Ex quo poteris intelligere, me hujus terræ Deum effe. 19. Hoc difcrimen ego ftatuam inter meum et tuum populum. Cras exiftet illud miraculum. 20. Implevit vero Jova quod dixerat. Tanta mufcarum multitudo invafit ædes Pharaonis, aulicorum ejus et omnium Aegyptiorum, ut tota terra ab eis vaftaretur. 21. Tum Pharao Mofi et Aaroni ad fe evocatis dixit: abite et facrificate Deo veftro in Aegypto. 22. Refpondet Mofes: non commode hoc fieri poteft: ea enim facrificia facimus, quæ Aegyptiis abominabilia viderentur. Quæ fi eis præfentibus offerremus, verendum effet ne nos lapidarent. 23. Iter trium dierum in defertum faciemus, facrificaturi Jovæ Deo noftro, quemadmodum juffit. 24. Ad hæc Pharao refpondit: dimittam vos, facrificate Jovæ Deo veftro in deferto, modo ne longius difcedite, et pro me precamini. 25. Tum Mofes, fimulac a te difceffero, inquit, Jovam orabo ut a te, aulicis et fubditis mufcas auferat, modo ne amplius fpem meam deludas, nec mittas populum ad Jovæ facrificandum. 26. Fecit igitur Mofes quod dixerat, 27. atque Jova annuit ejus precibus et mufcas removit a Pharaone, ejus aulicis et fubditis, ne una quidem relicta. 28. Ille vero hac quoque vice animum fuum obfirmavit, neque populum dimifit.

CAPVT

CAPUT IX

Pecoris lues, ulcera, grando.

1. Tum Jova Mofen juffit rurfus adire Pharaonem atque ita cum eo agere: Sic dixit Jova Deus Ebræorum: dimitte populum meum, ut mihi ferviat. 2. Si hoc facere recufaveris eumque porro retinueris, 3. ego greges tuos in agris, equos nempe, afinos, camelos, armentum et pecus gravi lue affligam. 4. Difcrimen vero faciam inter Ifraelitarum et Aegyptiorum greges, ita ut illorum nullum prorfus moriatur. 5. Tempus quoque Jova determinat, die nempe craftino hæc evenient. 6. Poftridie Jova has minas implevit. Lues fæviit per omnes Aegyptiorum greges, de pecore autem Ifraelitarum ne unum quidem interiit. 7. Et quanquam Pharao hujus rei certior erat factus per miffos nuntios, tamen obftinavit animum fuum, neque populum dimifit. — 8. Tum Jova juffit, ut Mofes et Aaron plenis pugillis fuliginem fornacis fumerent, quam Mofes vidente Pharaone in aërem fpargeret. 9. Qua in omnem Aegyptum difperfa erumperent cum in hominibus, tum in animalibus ulcera purulenta. 10. Illi igitur fumferunt fuliginem fornacis atque præfente Pharaone Mofes eam in aërem fparfit. Quo facto ulcera tumefcentia eruperunt in hominibus et animalibus.

11. Neque minus magi his ulceribus affecti sunt, ita ut tam parum quam alii Aegyptii possent in conspectum Mosis venire. 12. Atque tamen Pharao animum suum obfirmavit, Deo sic permittente; non obtemperavit eis, quemadmodum Jova hoc Mosi prædixerat. —. 13. Quo facto Jova jussit Mosen postridie coram Pharaone comparere atque his verbis eum alloqui: sic fatur Jova Ebræorum Deus; mitte populum meum ut mihi serviat. 14. Alias jam quidem omnes plagas meas tibi infligam; nec non aulicis, et subditis tuis, ut intelligas non esse Deum mei similem in toto terrarum orbe. 15. Et jam nunc te pro potentia mea, tuumque populum ex hac terra peste auferre possem. 16. Enimvero manebis ad potentiam meam in te ostendendam, et ut nomen meum in toto hoc universo celebretur. 17. Si ulterius populum meum retinueris, nec eum dimiseris, 18. En! cras dejiciam tantam grandinem, quanta nunquam antea fuit in Aegypto, ex quo est fundata. 19. Mitte igitur qui cogant greges tuos et quæ in agris habes. Homines enim et animalia, quæ sub dio sunt, nec sub tecta collecta, grandine oppressa peribunt. 20. Alii de aulicis Pharaonis has Jovæ minas veriti servos et greges suos domum coegerunt. 21. Alii vero Jovæ dicta contemnentes reliquerunt eos in agris. 22. Tum Jova jussit Mosen, manum versus

coelum

coelum extendere, ut grandinaret in universam Aegyptum, in homines et animalia et agrorum fruges. 23. Quod cum Moses fecisset, Jova tonitrua misit micantibus per terram fulguribus. 24. Quae grando cum fulgure coruscante tam gravis et vehemens fuit, ut nunquam antea, ex quo Aegyptus habitata est, similis ei extiterit. 25. Contudit per totam Aegyptum omnia quae in dio erant, homines et animalia, omnesque agrorum fruges, arbores fregit. 26. Tantum in terra Gosen, quam Israelitae incolebant, non grandinavit. 27. Tum Pharao evocatis ad se Mosi et Aaroni dixit: Peccavi, Jova justus est, ego vero et populus meus male egimus. 28. Intercedite pro me apud Jovam, ut tonitrua et grandines desinant, dimittam vos, non amplius detinebimini. 29. Respondit Moses: cum urbe egressus fuero, Deum rogabo et cessabunt tonitrua et grandines; ut intelligas Jovam esse hujus terrae dominum. 30. Attamen bene scio, neque te, neque homines tuos Jovam revereri. — 31. Linum et hordeum grandine ista contusa fuerunt; hoc enim jam maturescebat, illud vero siliquabatur. 32. Triticum vero et zea damnum perpessa non sunt, quod erant tardiora; — 33. Digressus igitur a Pharaone Moses ante urbem manus ad Jovam expandit, et cessarunt tonitrua et grandines, nec ulterius pluvia est effusa. 34. Quod cum

Pharao videret, perrexit in peccato suo, animumque suum cum ipse, tum ejus aulici obfirmarunt. 35. Hinc pertinaciter Israelitas recusavit dimittere, quemadmodum Jova per Mosen prædixerat.

CAPVT X

Locustæ et tenebræ trium dierum.

1. Tum Jova Mosen his verbis est allocutus: adi Pharaonem. Equidem permittam, ut cum ille, tum ministri ejus animos suos obstinent. Inde vero fiet, ut miracula plura inter eos edam, 2. utque vos filiis et nepotibus vestris narrare possitis, quæ in Aegypto patraverim, et quantis eos portentis infestaverim, et intelligetis me Jovam esse. 3. Moses igitur et Aaron cum rursus convenirent Pharaonem, hæc ei dixerunt: Sic fatur Jova Ebræorum Deus: quousque recusabis temet mihi submittere? Dimitte populum meum ut me colat. 4. Quod si facere ulterius recusaveris, cras in terram tuam adducam locustas, 5. quæ ejus superficiem ita obtegent, ut prorsus conspici non possit, et quæ e grandine vobis relicta sunt consument, nec non arbores et quæ in agris germinarunt. 6. Implebunt tuas, aulicorum tuorum et subditorum domos, adeo ut patres aut majores tui nullo unquam tempore tale quid viderint. Quæ cum Moses dixisset, digressus est

est a Pharaone. 7. Tunc aulici ejus his verbis eum alloquuntur: Quousque vir ille nobis erit perniciosus? Mitte tandem homines, ut colant Jovam Deum suum. An exspectabis totius Aegypti interitum? 8. Tum Moses et Aaron revocati sunt, et Pharao, ite, inquit, colite Jovam Deum vestrum. Sed quinam sunt abituri? 9. Respondit Moses: Ibimus omnes, juvenes et senes, filii et filiae nostrae, una cum armento et pecore. Nam festum Jovae celebrandum nobis est. 10. Ad haec ille: ita vobis Jova adsit, uti ego vos et liberos vestros dimittam. Iam satis apparet vos mala intendere. 11. Minime vero. Vos viri ite et colite Jovam. Hoc erat tantum in votis vestris. Et sic a Pharaone expellebantur. 12. Tum jussit Jova Mosen extendere manum super Aegyptum, ut locustae in eam venirent, quae omnes agrorum fruges, et quae grando reliquerat, absumerent. 13. Quod cum Moses fecisset, Jova excitavit eurum; qui cum totum diem noctemque integram per illam regionem flavisset, primo mane locustas invexit. 14. Occuparunt totam Aegyptum, in omnibus ejus confiniis consederunt, tanta copia et multitudine, quanta nec unquam antea fuit, neque postea futura est. 15. Omnem terrae superficiem obtexerunt eamque obscurarunt, agrorum et arborum fruges a grandine relictas absumserunt, ut nihil neque in his neque in

illis viride supereſſet in tota Aegypto. 16. Tum propere advocavit Pharao Moſen et Aaronem; peccavi, inquit, in Jovam Deum veſtrum et in vos. 17. Ignoſcite quæſo peccato meo hac quoque vice, atque precamini Jovam Deum veſtrum, ut hanc tantam perniciem a me removeat. 18. Digreſſus Moſes a Pharaone intercesſit pro eo apud Jovam, 19. qui vento contrario a mari excitato locuſtas in mare algoſum abjecit, ita ut ne una quidem supereſſet in tota Aegypto. 20. Attamen Pharao ulterius mentem ſuam obſtinavit, Jova ſic permittente, neque Iſraelitas dimiſit. — 21. Poſtea Jova rurſus juſſit Moſen manum verſus cœlum extendere, ut tenebræ in Aegypto exiſterent denſiſſimæ. 22. Quod cum Moſes feciſſet, ortæ ſunt in univerſa Aegypto tenebræ per tres dies tantæ, 23. ut alter alterum videre non poſſet, nec quisquam loco ſuo ſurgere auderet toto illo tempore. Contra vero Iſraelitæ in ſuis ſedibus lucem habebant. 24. Tum Pharao Moſen arceſſivit eique dixit: Ite, colite Jovam, parvuli quoque veſtri vobiscum eant; pecus tantum veſtrum et armentum remaneat. 25. Ad hæc Moſes: Victimas quoque et holocauſta, quæ Jovæ Deo noſtro offeramus, concedas nobis neceſſe eſt. 26. Igitur et greges noſtri nobiscum emigrabunt, ne ungula quidem relicta. Nam ex noſtris ſumemus quæ cultus Jovæ

Jovæ Dei noſtri requirit. Nos ipſi adhuc ignoramus, qua ratione eum ſimus culturi, donec ad illum locum pervenerimus. 27. Quoniam vero Jova permiſerat, ut Pharao rurſus animo obſtinato populum dimittere recuſaret: 28. ille Moſi, apage, inquit, et cave tibi ne rurſus in conſpectum meum venias. Nam ſi hoc auſus fueris, moriere. 29. Reſpondit Moſes: Bene eſt, quod dixiſti, non videbo te amplius.

CAPUT XI

Moſes minatur Pharaoni ultimum Dei judicium, mortem nempe primogenitorum.

(1. Præmonuerat a) autem Jova Moſen, ſe unam adhuc plagam inducturum eſſe in Pharaonem et Aegyptum, tunc illum Iſraelitas omnes eſſe dimiſſurum atque adeo expulſurum. 2. Juberet igitur b) populum, viros

a) Male hoc loco capita ſunt diviſa. Totum hoc caput cum præcedenti arcte cohæret. Nam continuatur colloquium idque ultimum Moſis cum Pharaone. Sed tres verſus priores ſunt in parentheſi ponendi. Sic enim connexio verſus quarti cum ultimo præcedentis capitis facilis eſt. Alias non apparet, quomodo Moſes cum Pharaone loquatur, ſi ſecundum verſ. 29. præcedentis capitis dixerit, ſe nolle eum amplius videre.

b) cf. de hoc mandato dicta ad Cap. 3, 22.

viros et feminas ab amicis suis petere vasa aurea, et argentea. 3. Velle se *hunc in finem* favorem populo conciliare apud Aegyptios. Magnam etiam Moses auctoritatem consecutus fuerat cum apud aulicos Pharaonis, tum apud reliquos Aegyptios.) 4. Sed audi quæ Jova *tibi* dicit: Circa mediam noctem ego Aegyptum obibo, 5. et morientur omnes primogeniti a primogenito tuo, regni successore, usque ad primogenitum ancillæ, quæ molam trahit; nec non omnis pecoris primogenita. 6. Tunc clamor orietur in Aegypto tantus, quantus nec unquam antea fuit, neque postea est futurus. 7. Apud Israelitas vero ne canis quidem latrabit. Nullius neque hominis, neque animalis voces audientur, ut intelligas, quantum discrimen statuat Jova inter Aegyptios et Israelitas. 8. Tunc ad me venient tui, meque supplices rogabunt, ut ego cum populo meo egrediar. Id quod tunc quoque faciam. Atque hæc locutus, iratus a Pharaone discessit. — 9. Jova vero Mosi jam præsignificaverat, c) Pharaonem non esse obtemperaturum, hinc multa se portenta in Aegypto esse patraturum. 10. *Atque ita etiam factum est.* Quanquam Moses et Aaron miracula ista omnia coram

c) Finitur hic historia de miraculis Mosis in Aegypto patratis, et de Pharaonis obduratione. Igitur ויאמר in tempore præterito est vertendum.

ram Pharaone edidissent, tamen pertinaci animo Pharao, Jova sic permittente, Israelitas e terra sua dimittere recusavit.

CAPUT XII

Institutio agni paschalis. Exitus Israelitarum ex Aegypto.

1. Tunc Jova Mosi et Aaroni, cum adhuc essent in Aegypto, hæc edixit: 2. Hic mensis vobis sit primus mensium, a quo annum incipiatis. 3. Jubete, ut totius Israelitici cœtus singuli patres familias decimo illius mensis die singulos agnos sumant, pro sua quisque familia. 4. Quodsi familia alicujus ad agnum consumendum non sufficiat, ille et vicinus ejus, qui proxime ei adhabitat, agnum sumant, ita ut numerus capitum par sit ei comedendo. 5. Esto vero agnus ille vitii omnis expers, mas annulus, sive de ovillo, sive de caprino pecore. 6. Hunc ad quartum decimum diem illius mensis servatum universus Israelitarum cœtus mactato sub crepusculum. 7. Sanguinem vero ejus inducant ambobus postibus et superliminari ædium, in quibus comeditur. 8. Eadem illa nocte comedatur, igne assatus cum pane non fermentato et herbis amaris. 9. Non semicoctum s. crudum, nec aqua elixum comedere licet, sed igne tostum, ita ut caput, crura et ventriculus sint indi-

vulſa. 10. Nec in ſequentem diem aliquid relinquite, et ſi quid reliqui fuerit, igne illud debetis comburere. 11. Hoc habitu vero comedetis: lumbis accincti, pedibus calceati, baculos manibus tenentes, et feſtinanter agatis. Feſtum hoc eſt libertatis a) a Jova conceſſæ. 12. Etenim hac ipſa nocte obibo Aegyptum atque omnia ejus primogenita interficiam cum hominum tum animalium, atque adeo Deos Aegyptiorum pœna afficiam, ego Jova. 13. Sanguis vero ille notabit ædes, quas habitatis. Quo conſpecto vos liberos relinquam a clade illa perniciofa, quam Aegyptiis infligam. 14. Atque hujus diei memoriam colere debetis, quo feſtum mihi celebretis, quod per omnes generationes perpetuo inſtituto apud vos ſervetur. 15. Per ſeptem dies panes ſine fermento

a) Triplex eſt explicatio vocabuli פֶּסַח. *Alii* dicunt eſſe *tranſitum*. Quæ quidem ſatis antiqua eſt *Joſephi*, *Philonis*, *Hieronymi* et aliorum ſententia, ſed parum probabilis, quippe quæ ex linguis cognatis nulla ratione firmari poteſt. *Alii*, *libertatis* ſive etiam *lætitiæ* ſignificationem ei tribuunt, ex origine verbi فسح *laxavit*, quod deinde ad utramque illam notionem transfertur. *Alii* per *parcere* explicant. Quorum tamen ſententia, quod ego quidem ſciam, tantum probatur ex Eſ. 31, 7. ubi quidem contextui ſatis apta, ſed, ut fit, non minus apta eſt altera *libertatis* notio. Quæ quidem mihi præferenda videtur. cf. quæ pluribus de hoc vocabulo dicta ſunt ad *Glaſſium* p. 968.

mento edere debetis, et statim primo die removere fermentum ex ædibus vestris. *b*) Quicunque a primo usque ad septimum diem fermentatum gustaverit, is e cœtu Israelitarum auferatur. 16. Primo die sacrum conventum peragatis, itemque septimo, neque ullum illis diebus opus faciatis, præter ea quæ ad cibos parandos necessaria sunt. 17. Hanc de panibus non fermentatis *legem* observare debetis. Eo ipso enim die vos ex Aegypto eduxi; propterea perpetuo instituto apud vos hic dies a posteris vestris dicta ratione peragatur. 18. Quarto decimo die illius mensis circa vesperam incipietis azymis vesci, usque ad vesperam primi et vicesimi diei ejusdem mensis. 19. Septem dies non reperiatur fermentum in ædibus vestris. Quicunque fermentatum gustaverit, e cœtu Israelitico removeatur, sive peregrinus sit, sive indigena. 20. Ab omni fermentato omnino abstinere debetis, et azymis tantum vesci in ædibus vestris. — 21. Moses convocatis Israelitarum

b) Recte Ill. *Michaelis* mihi videtur observasse, hoc præceptum de azymis a Mose datum esse post exitum ex Aegypto. Nam ex versu 39. plane apparet, Israelitas panem suum voluisse fermento miscere, sed impeditos fuisse ab Aegyptiis. In hujus vero circumstantiæ memoriam deinde jussi sunt vesci azymis. Sed Moses hoc loco paschatos leges conjunctim enarrat. Neque in hujus mandati exsecutione apud Israelitas vers. 21 - 27. aliquid de azymis legitur.

tarum primoribus ſic eis præcepit: Sumite agnos pro numero familiarum veſtrarum et Paſcha mactate. 22. Deinde hyſſopi faſciculum ſanguini, quem in pelve excepiſtis, intingite atque obducite eum ſuperliminari et ambobus poſtibus, nec quisquam veſtrum ædibus egrediatur usque ad craſtinum. 23. Jova enim ad plectendos Aegyptios obibit. Quodſi viderit ſanguinem in ſuperliminari et poſtibus, libertatem ædibus veſtris concedet, ita ut eas plaga perniciosa non pervadat. 24. Propterea perpetuum hoc ſit inſtitutum apud poſteros veſtros, 25. ita ut hunc cultum ei in perpetuum præſtetis, quando in terram veneritis, quam vobis Jova dare promiſit. 26. Quodſi tunc liberi veſtri vos de ratione hujus inſtituti interrogabunt, 27. reſpondere eis debetis, ſacrificium hoc eſſe libertatis in honorem Jovæ, qui Iſraelitas, in Aegypto tunc commorantes, liberos dimiſerit et a periculo iſto ſervaverit, cum Aegyptios plecteret. — *His mandatis acceptis* populus ſupplex honorem exhibuit, 28. atque diligenter obſervavit omnia, quæ Moſes et Aaron edixerant. — 29. Tunc media nocte Jova occidit omnia totius Aegypti primogenita; a Pharaonis primogenito regni herede, usque ad primogenitum captivi carceri incluſi, nec non omnia animalium primogenita. 30. Pharao igitur hac ipſa

nocte,

nocte, aulici ejus et omnes Aegyptii surrexerunt (ingens enim clamor per totam Aegyptum sublatus est, quippe nulla domus funeris expers fuit) 31. atque evocatis Mosi et Aaroni dixit: egredimini e terra mea, vos cum populo vestro. Colite Jovam quemadmodum optastis. 32. Pecus quoque vestrum et armentum abducite, prouti postulastis, ite modo et bene mihi precamini. 33. Urgebant adeo Aegyptii populum, ut exitum acceleraret, omnes enim mortem verebantur. 34. Ille igitur massam nondum fermentatam in mactris humeris extulit pannis involutam. 35. Petierat quoque populus ab Aegyptiis vasa argentea atque aurea et vestes. 36. Et Jova favorem Aegyptiorum ei conciliarat, ut darent rogata, quæ sic eis ablata sunt. — 37. Emigrarunt vero Israelitæ e Ramsese Succotham, circiter sexcenta millia peditum præter parvulos. 38. Præterea una cum illis magna mixtæ turbæ multitudo proficiscebatur, pecoris vero et armenti ingens copia. 39. Ex massa vero, quam ex Aegypto deportaverant, panes coxerunt sine fermento. Nam cum ab Aegyptiis urgerentur, nec mora dabatur, massam illam fermento miscere non poterant, nec omnino viaticum sibi parare. 40. Commorati autem

sunt

ſunt in Aegypto *c*) quadringentos et triginta annos. 41. Quibus peractis univerſus Jovæ populus nocte illa commemorata Aegypto emigravit. 42. Illa nox, qua ſingulari Dei cura ex Aegypto educti ſunt, ſacra eſſe debet Jovæ, ſumma cum cura peragenda ab Iſraelitis eorumque poſteris. 43. Porro Jova Moſi et Aaroni hæc de paſchate præcepta dederat: Peregrinus illud non comedat. 44. Servus autem emtus, ſi circumciſus fuerit, eo veſcatur. 45. Minime vero advena, aut mercenarius. 46. In una domo comedatur, nihil de carne foras efferre fas ſit, nec ullum de oſſibus ejus frangere. 47. Totus Iſraelitarum cœtus illud faciat. 48. Si quis peregrinus apud vos vivat, velitque *una* Paſcha in honorem Jovæ celebrare, omnes, quæ in familia ejus ſunt, mares circumcidantur, tunc poteſt admitti, idem jus habeat, quod indigena. Præputiato vero de eo comedere non licet. 49. Ritus obſervandi iidem ſunt cum indigenæ, tum peregrino inter vos commoranti. 50. Fecerunt Iſraelitæ omnia, quæ Moſes et Aaron eis præceperant. — 51. Illo igitur die Jova Iſraelitas ex Aegypto cum ſuis copiis eduxit. —

CAPUT

c) De diſſenſu Codicis Sam. et verſionis græcæ a lectione textus hebræi recepta vid. Ill. *Michaelis* in Biblioth. Orient. P. XII. p. 22. ſeqq.

CAPUT XIII

Consecratio primogenitorum. Israelitæ non recta via in Palæstinam contendunt, sed per devia versus sinum Arabicum ducuntur.

1. Tum quoque Jova Mosi præcepit, ut sibi omnia primogenita consecraret. 2. Omne quod primum e matre nascitur apud Israelitas, sive de hominibus, sive de animalibus, suum esse. — 3. Populum vero Moses adhortatus est, ut memores essent ejus diei, quo ex Aegypto e dura illa servitute essent egressi, magna vi eos Jovam inde eduxisse; abstinerent ab omni fermento. 4. Hoc die mense Abib egressi estis, inquiebat, 5. Quando igitur Jova vos duxerit in terram Cananitarum, Chittæorum, Amorræorum, Chivvæorum et Jebusitarum, quam jurejurando interposito majoribus vestris promisit, terram optimam et fertilissimam, eodem illo mense hunc cultum ei debetis præstare. 6. Nimirum per septem dies panes azymos comedetis, quorum ultimo festum Jovæ celebretis. 7. Azymis vescimini per septem dies, neque fermentatum, neque fermentum his diebus in tota terra vestra reperiatur. 8. Liberis autem vestris exponere debetis, ista omnia eo die sic peragi, in memoriam ejus, quod Jova fecerit, cum ex Aegypto egrederemini. 9. Signum

gnum ſit vobis *hoc feſtum* in manibus veſtris et inter oculos memoriale, ut de lege divina perpetuo loquamini; manu enim potenti Jova vos ex Aegypto eduxit. 10. Igitur ſervate hoc inſtitutum ſuo tempore quotannis. 11. Et quando Jova vos in terram Cananitarum jurejurando majoribus veſtris promiſſam introduxerit, 12. offerre debetis Jovæ omnia primogenita, etiam pecorum; primogenita maſcula Jovæ ſacra ſunto. 13. Aſini primogenitum agno redimite, ſi nolueritis redimere, cervicem ei frangitote. At primogenitos hominum, filios veſtros utique debetis redimere. 14. Quodſi deinde aliquando liberi veſtri vos interrogabunt, cur ita faciatis? docete eos, Jovam vos ex Aegypto ex ergaſtulo magna vi eduxiſſe, 15. et cum Pharao pertinaciter recuſaſſet vos dimittere, Jovam interfeciſſe omnia Aegypti primogenita cum hominum, tum animalium; propterea vos Jovæ mactare omnia maſcula, quæ primum e matre naſcuntur, filios vero veſtros primogenitos redimere. 16. Sic in manu veſtra et in fronte inſcriptum ſemper ſit, Jovam vos magna vi ex Aegypto eduxiſſe. — 17. Poſtquam Pharao populum dimiſerat, Deus eum non recta via in Palæſtinam duxit; quanquam ea propinqua eſſet, (novit enim futurum eſſe, ut populum pœniteat *exitus ex Aegypto*, quando viderent bellum cum Cananitis

nitis ineundum, eumque propterea eo esse rediturum,) 18. sed longiore circuitu per desertum ad sinum Arabicum. Totum vero agmen Israelitarum in quinque partes divisum erat, cum ex Aegypto egrederentur. 19. Extulit quoque Moses secum ossa Josephi. Is enim fratres suos jurejurando obligaverat, ut hoc facerent, quando Deus eis subveniret, de quo certissime erat persuasus. — 20. E Succotho egressi castrametati sunt Ethami ad extremum deserti. 21. Jova vero eos præcedebat in nube itineris duce. Noctu illa nubes eis prælucebat, ita ut diu noctuque iter facere possent. 22. Non discedebat ab eis interdiu. Noctu vero splendens populum præcedebat.

CAPUT XIV

Pharao cum exercitu persequitur Israelitas, qui usque ad sinum Arabicum pervenerant; quem aquis divisis transeunt, Aegyptii vero eos sequentes aquis obruti pereunt.

1. Tum Moses ex voluntate Dei 2. jussit, ut Israelitæ reverterentur et castra ponerent e regione Pihachiroth inter Migdolum et mare ante Baalzephon in parte mari opposita, 3. tunc enim Pharaonem arbitraturum esse, (sic Jova Mosi prædixerat) Israelitas a via aberrasse, et a deserto conclusos teneri, 4. hinc eum pro animi sui pertinacia (quam Jova

frangere noluit) Israelitas esse persecuturum. Tum vero Jovæ, id quod Pharaoni et ejus exercitui facturus esset, summe gloriosum futurum esse ipsis Aegyptiis fatentibus. Fecerunt igitur Israelitæ, quæ jussi erant. 5. Quo facto regi Aegypti indicatum est populum fugere *a*) et simul ejus et aulicorum suorum animi mutati sunt. Omnes ægre ferebant dimissum a se esse populum e servitute. 6. Igitur currum suum instrui jussit et exercitum eduxit. 7. Imprimis sexcentos currus lectissimos secum duxit, omnem equitatum, omnesque exercitus duces. 8. Sic Pharao, quem Jova animo suo pertinaci reliquit, persecutus est Israelitas, qui tamen *b*) potenter vindicati

a) Iter trium dierum sibi expetierat Moses Cap. 8, 23. ad sacrificandum in deserto. Quibus exactis sperabat Pharao populum esse reversurum. Igitur cum audiret, eum ad sinum Arabicum pervenisse, intelligebat quo consilio discessisset.

b) In textu est: *qui exierant* ביד רמה *manu elata*. Equidem arbitror phrasin explicari posse ex alia sæpe obvia, qua Deus dicitur eduxisse Israelitas בְּיָד חֲזָקָה וּבִזְרֹעַ נְטוּיָה *manu forti et brachio exserto*. In illa tropus sumtus est ab eo, qui plagis inflictis alterum cogit, ut aliquid faciat, et manum denuo tollit, nisi faciat quod jubetur. Sic Deus varias plagas jam inflixerat Pharaoni et manum denuo sustulerat primogenitis percutiendis. — Alii vertunt: *intrepide*, *sine metu*. Onkelos: *capite retecto*, h. e. palam.

dicati exierant, 9. eosque affecutus eſt cum equitatu ſuo et curribus et reliquo exercitu, caſtrametantes e regione maris juxta Pihachiroth prope Baalzephon. 10. Pharaone igitur appropinquante, cum Iſraelitæ viderent Aegyptios ſibi a tergo imminere, vehementer perterriti conclamarunt ad Jovam. 11. Moſi vero dixerunt: num nulla fuerunt in Aegypto ſepulcra, ut nos ad mortem in deſertum abduceres? Cur igitur nos ex Aegypto eduxiſti? 12. Nonne id ipſum fuit, quod tibi reſpondimus, rogantes ut nos ſervire Aegyptiis ſineres, præſtare eis ſervire, quam mori in deſerto. 13. Quibus Moſes: nolite metuere, inquit, firmi modo ſubſiſtite et ſpectate ſalutem, quam Jova vobis hodie præſtabit: nam quos jam videtis Aegyptios, eos nunquam in poſterum eſtis viſuri. 14. Jova pro vobis pugnabit, vos eſtote quieti. 15. Tum Jova Moſen his verbis eſt allocutus: quid clamas ad me? jube ut Iſraelitæ proficiſcantur. 16. Tu vero baculum extende verſus mare, tunc findetur et Iſraelitæ ſicco pede tranſibunt. 17. Ego vero permittam, ut Aegyptii animis obfirmatis vos ſequantur, et magnum honorem mihi comparabo de Pharaone et exercitu ejus, de curribus et equitibus. 18. Ex quo tandem Aegyptii poterunt intelligere, me Jovam eſſe. 19. Tum angelus Dei, qui Iſraelitarum caſtra præcedebat, receſſit poſt eos, ſimili-

ter nubes ex eorum conspectu eis a tergo substitit, 20. inter castra Aegyptiorum et Israelitarum. Fuit autem nubes ab una parte tenebricosa, ab altera lucida *c*) per totam noctem, ita ut neutrum agmen propius posset accedere. 21. Cum vero Moses manum suam versus mare extenderet, Jova Euro vehementi mare tota nocte repressit, ita ut fundo maris exsiccato et aqua scissa 22. Israelitæ mare sicco pede transire possent et a dextra et sinistra pro muro quasi haberent. 23. Aegyptii vero eos persequentes secuti sunt, Pharao nempe cum equis et curribus et equitibus suis ad imum maris. 24. Tum Jova circa vigiliam matutinam prospexit e nube ignea *d*) et perturbavit Aegyptiorum agmen. 25. Rotæ curruum frangebantur, nec nisi admodum difficulter pedem poterant promovere. Tunc Aegyptii clamabant, fugiamus! nam Jova pugnat pro Israelitis contra nos. 26. Jova vero jussit Mosen extendere manum versus mare, ut aqua in Aegyptios, in currus et equites eorum rediret. 27. Quod cum Moses

c) *et* obscura *et* lucida. Scilicet *illud* versus Aegyptios, *hoc* versus Israelitas.

d) h. e. tempestatem excitavit cum tonitru et fulmine, qua currus et equi perturbati, rotæ curruum fractæ sunt, ita ut non nisi admodum difficulter pedem possent promovere. Sic Ps. 77, 18. seqq. ista Aegyptiorum clades explicatur.

Moses fecisset, mare sub tempus matutinum fluxu suo rediit et Aegyptii fugientes ei occurrebant, Jova eos in medio mari excutiente. 28. Aquis hac ratione reductis, obruti sunt currus, equites totusque Pharaonis exercitus, ita ut ne unus quidem ex eo superesset. 29. Israelitæ vero sicco pede mare transierunt ab aqua quasi muro ab dextra et sinistra tecti. 30. Sic Jova eos liberavit ab Aegyptiis, quos in littore maris videbant mortuos. 31. Atque etiam ex facto illo eximio Jovæ in Aegyptios eum reveriti sunt et fidem habuerunt ei ejusque ministro Mosi.

CAPUT XV

Canticum Israelitarum post illam liberationem. Eorum stationes Maræ et Elimæ.

1. Tunc Moses et Israelitæ hoc carmen in honorem Jovæ dixere: Jovam cano, nam magna præstitit. Equum et equitem in mare dejecit. 2. Deum canam ob defensionem mihi præstitam. *a*) Saluti mihi fuit. Ille Deus meus, hunc celebrabo. Deus patrius,

a) Verba textus sunt: עָזִּי וְזִמְרָת יָהּ *Robur meum et canticum Jova*, quæ dicta videntur per Hendiad. *roboris mei canticum.* In voce וזמרת excidit Jod per scribarum errorem propter Jod sequens, uti in aliis, e. c. Ps. 118, 14. Es. 12, 2. Exprimunt illud Jod Chaldæus, Vulgatus, et Arabs Erpenii.

þatrius, hunc laudibus extollam. 3. Jova fuit bellator, is qui Jova nominatur. 4. Currus Pharaonis et exercitum ejus in mare projecit, duces ejus lectissimi mari Arabiæ sunt immersi. 5. Fluctibus obruti in fundum tanquam lapis subsiderunt. 6. Dextra tua, o Jova, insignem virtutem ostendit, dextra tua, o Jova, hostem prostravit. 7. Immensa tua potentia evertisti adversarios tuos, ab ardente ira tua consumti sunt ut stipula. 8. Halitu tuo *b*) coacervatæ sunt aquæ, steterunt in cumulum *erecti* fluctus, in medio mari undæ concreverunt. 9. Dixit hostis: persequar, assequar, prædam dividam, jam vota mea explebuntur: stringam gladium, manu mea perdentur. — — 10. Vento tuo flabas, tum mare eos texit, fundum petierunt ut plumbum in aquis profundis. — 11. Quis tui similis est, o Jova, inter Deos? quis ut tu tanta sanctitate est conspicuus? Laudibus illustris, qui mira præstat! 12. Manum tuam extendebas, tum terra eos absorpsit. 13. Ducis pro benignitate populum, quem tibi vindicasti, ducis eum pro potentia tua ad sedem tuam sanctam. — 14. Audient hoc gentes et contremiscent, timor invadet Philistæos. 15. Principes Edomitarum perturbabuntur, duces Moabitarum terrore corripientur, metu dissoluti erunt omnes Cana-

b) hebr. בְּרוּחַ אַפֶּיךָ h. e. vento a te excitato.

Cananææ incolæ. 16. Invadet eos timor et tremor, obmutefcent ut lapis ad tantam tuam virtutem! Tum perget tuus populus, o Jova, tum perget populus, quem tibi vindicafti. 17. Duces eum et ftabilies in montibus illis tuæ poffeffionis, in locis tuæ habitationi a te deftinatis, tibi facris, a te ipfo ad hoc adaptatis. 18. Jova regnabit in omnem æternitatem. 19. Nam cum Pharaonis equi et currus et equites mare effent ingreffi, reduxit in eos Jova maris undas, et Ifraelitæ in imo maris exficcato tranfierunt. — — 20. Maria quoque prophetiffa, Aaronis foror, tympanum manu tenens, fubfequentibus mulieribus omnibus cum tympanis et in choris, 21. alternatim viris *e*) refpondebat: Jovam canam, nam magna præftitit, equum et equitem in mare dejecit. — 22. Tum Ifraelitæ juffu Mofis a mari rubro proficifcentes defertum Schur ingreffi funt. In quo cum iter trium dierum confeciffent, nec aquam inveniffent, 23. Maram venerunt, fed ibi aquam, quoniam amara erat, bibere non poterant, (inde etiam locus ille Mara vocatus eft) 24. ideo murmurabant adverfus Mofen, quid bibemus, inquientes. 25. Eo igitur ad Jovam precante, hic ei monftravit lignum quoddam. Quo in aquam abjecto aqua dulcis facta eft. — Ibi leges et

e) לָהֶם.

præcepta eis *Jova* dedit, et num *d*) obedire vellent ex eis quæſivit. 26. Si mihi, ait, obtemperaveritis, et feceritis quæ mihi placent, ſi morem geſſeritis meis præceptis, meaque ſtatuta obſervaveritis, morbis, quos Aegyptiis inflixi, vos non afficiam. Jova ſum, qui vobis mederi poteſt. 27. Tum Elimam pervenerunt. Ibi duodecim fontes erant et ſeptuaginta palmæ. Ad iſtos fontes caſtra poſuerunt.

CAPUT XVI

Deus Iſraelitis in deſerto Sin murmurantibus coturnices dat et Mannam.

1. Ab Elima profecti ſunt Iſraelitæ in deſertum Sin, quod eſt inter Elimam et Sinai, quinto decimo die ſecundi menſis, ex quo Aegypto eſſent egreſſi. 2. Ibi omnes Moſen et Aaronem incuſabant, 3. quod eos in hoc deſertum duxiſſent, in quo omnibus eſſet fame pereundum: optare ſe, ut in Aegypto a Jova eſſent

d) Non ſatis conſtat, quænam leges illæ fuerint. De toto legum Moſaicarum ſyſtemate ſermo eſſe non poteſt, quæ deinceps populo latæ ſunt ad montem Sinai. Igitur ego verba intelligo tantum de ea adhortatione ad obedientiam Deo præſtandam, quæ ſequitur, et שם נסהו explico ex ſequenti ויאמר *quæſivit ex eis, num hoc facere vellent* etc. Si verba de legum quarundam promulgatione accipiuntur, ſenſus verſ. 26. obſcurus eſt et imperfectus.

eſſent interfecti, ubi ollis carnium adſediſſent, et panem ad ſatietatem comediſſent. 4. Ad hæc Jova Moſi indicavit: velle ſe populo de cœlo panem dare, cujus certam quoque die portionem colligeret; ut vero ei occaſionem ſuppeditaret *a*) demonſtrandi ſuam erga leges divinas obedientiam, 5. ſexto die præpararent id quod intuliſſent. Duplum enim futurum eſſe ejus, quod quotidie colligerent. 6. Igitur Moſes et Aaron retulerunt ad Iſraelitas: veſpere eos cognituros eſſe, Jovam ipſos ex Aegypto eduxiſſe, 7. et mane eos majeſtatem Jovæ *b*) eſſe viſuros, qui fremitus eorum in ſe audierit. Nos enim qui ſumus, inquiebant, ut in nos frematis? 8. Dabit vobis Jova, addebat Moſes, veſpere carnem et mane panem ad ſatietatem. Audivit enim querelas veſtras, quas contra eum protuliſtis; quid nos

a) Verba לְמַעַן אֲנַסֶּנּוּ pertinent ad ſequentia, in quibus jubentur Iſraelitæ ſervare et parare reliqua ad diem ſeptimum. *Tentatio* vero illa dicitur reſpectu populi, non reſpectu Dei, qui illo experimento non opus habebat. Propterea aliis verbis ſententiam enuntiavi.

b) כְּבוֹד יְהוָה *Manna* intelligitur, qua Deus majeſtatem ſuam populo oſtendit. Sic Num. 14, 21. 23. miracula vocantur, quæ Deus in gratiam Iſraelitarum fecit. Verſu 10. כָּבוֹד in alio ſenſu dicitur, de nube illa viſibili ſymbolo præſentiæ divinæ.

ſumus? non contra nos, ſed contra Jovam eſtis conqueſti. 9. Tum Moſes Aaroni mandavit, ut juberet univerſum Iſraelitarum cœtum coram Jova comparere, quorum fremitus audierit. 10. Quod cum Aaron eis præciperet, atque hi ſeſe converterent verſus ſolitudinem, apparuit Jovæ majeſtas in nube, 11. et Moſen his verbis affatur: 12. Audivi querelas Iſraelitarum, dic eis: circa veſperam carnem comedetis et mane ſatiabimini pane, ut cognoſcatis me Jovam eſſe Deum veſtrum. 13. Veſpere igitur tanta coturnicum multitudo advolavit, ut caſtra obtegerent, et mane ros tegebat omnem caſtrorum ſuperficiem. 14. Qui cum aſcendiſſet, conſpiciebatur in ſuperficie deſerti parvum quiddam valde minutum, parvum inſtar pruinæ ſuper ſolo. 15. Quod cum Iſraelitæ vidiſſent, alter alteri dicunt: hæc eſt manna, neſciebant enim quid eſſet. c) Tum

c) Verba Iſraelitarum מָן הוּא antiquiores interpretes omnes interrogative vertunt, *quid hoc?* quos recentiores plerique ſequuntur. Sed alii objiciunt, מָן neque hebraicum eſſe, neque in lingua Chaldaica et Syriaca de *re* interrogare, ſed de *perſona*. Igitur habent מָן pro nomine illius rei, quæ eo ipſo nomine in lingua Arabica quoque vocatur et ad alias linguas et regiones tranſiit. Mannam enim Iſraelitis ignotam fuiſſe, parum probabile exiſtimant, cum ſit in

Tum Moses eis dixit: hic est ille panis, quem Deus vobis dedit ad comedendum, 16. et de quo vobis præcipit, ut quisque tantum colligat, quantum ad victum

in Aegypto res notissima; propter similitudinem vero Israelitas judicasse, id quod viderent Mannam esse ordinariam. Quæ sententia mihi quoque perquam probabilis videtur et cum Mosis responsione bene potest conciliari, quæ populi errorem corrigit, dum dicit: panem hunc esse, quem Deus eis promiserit. Quod ad alteram quæstionem attinet, num cibus ille quo Deus Israelitas per tot annos aluit, *Manna illa naturalis* fuerit? quanquam ego in illo virorum doctissimorum dissensu non audeam pro certo aliquid affirmare, tamen etiam nolim diffiteri, mihi magis probabilem eorum sententiam videri, qui Israelitarum mannam diversam a vulgari arbitrantur. Quanquam enim illa cum hac aliquam habuerit similitudinem, tamen plura sunt, in quibus ab ea fuit diversa. Nimirum altero die quo collecta fuit, fœtuit et vermes in ea nati, septimo quoque die non est inventa, per totum annum in omnibus locis, per quæ Israelitæ iter faciebant, tanta copia, quæ tot hominum millibus sufficeret, collecta est, ut alia taceam. Quodsi igitur in his, qui illam sententiam defendunt, miraculum agnoscere coguntur, non video, cur negemus, cibum illum Israelitarum præter nomen cum vulgari manna nihil commune habuisse. Miracula non minuuntur, quod tamen est consilium eorum, qui pro illa sententia pugnant, sed augentur potius, dum mannæ vulgaris tota natura, ut ita dicam, mutatur. cf. *Clericus* in Comment. ad h. l. et *Niebuhr* in Descript. Arab. p. 145.

victum opus habeat. Gomerem in singula capita, pro numero eorum qui in tentorio una vivunt, debetis colligere. 17. Igitur sic fecerunt Israelitæ, collegerunt alius plus, alius minus: *d*) 18. Deinde metiti sunt ad Gomerem, ut ei qui multum collegisset non redundaret, nec ei qui minus collegisset deesset. Quisque quantum ad victum necessarium erat collectum referebat. 19. Interdixerat autem Moses, ne quid ex eo relinquerent in crastinum; 20. et cum tamen quidam contra Mosis voluntatem in crastinum partem servassent, vermes in ea enati sunt et fœtuit. Reprehensi propterea a Mose. 21. Collegerunt vero singulis matutinis quantum cujusque ad victum opus erat. Sole vero calescente liquefiebat. 22. Sexto autem die duplicem portionem colligere debebant, duos gomeres in singulos. Venerunt igitur principes populi et indicarunt factum esse, *quod præcepisset.* 23. Tum *Moses* ulterius eis monstravit, Jovam præcipere Sabbatum sive sacram quietem cras esse debere. Quod torrere vellent,

d) In his non miraculum fingendum est, quasi quisque tantum Gomerem collegisset, sive multum, sive parum collegerat. Sed alter alteri dabat, quod ei ad mensuram deerat, ut nemo plus quam Gomerem pro sua portione acciperet. De istis Judæorum ineptiis videri potest *Buxtorfius* in Dissert. de Manna, Cap. IV.

lent, torrerent; quod coquere, coquerent; quæ ſupereſſent, ſervarent in craſtinum. 24. Cum igitur ex præcepto Moſis partem reliquiſſent in ſequentem diem, non fœtuit, neque vermes in ea nati ſunt. 25. Hanc hodie edite, inquit Moſes, hic enim dies ſabbatum eſt Jovæ ſacrum, quo illud non in agro invenietis. 26. Sex diebus colligere debetis, ſeptimo autem, quod eſt ſabbatum, non exiſtet. 27. Et cum tamen quidam de populo illo die exiiſſent, nihil invenerunt. 28. Hos propterea Moſes juſſu Dei his verbis redarguit: quo usque recuſabitis legibus et præceptis meis obedire? 29. Jova ſabbatum inſtituit, propterea ſexto die victum bidui vobis præbet. Maneto quisque domi, nec egrediatur die ſeptimo. 30. Igitur feriati ſunt eo die. 31. Vocarunt vero Iſraelitæ cibum illum Mannam. Similis erat ſemini Coriandri, colore albo, guſtu autem placentæ ex melle. 32. Tum quoque Moſes dixit: Jovam velle, ut Gomer hoc *cibo* impleretur et ad poſteros conſervaretur, ut viderent, quo cibo eos aluiſſet in deſerto eductos ex Aegypto. 33. Atque propterea Aaron mandavit, ut vaſi Gomerem mannæ immitteret, idque in adyto reponeret *e*) in poſterorum memo-

e) hebr. *coram Jova depone*, h. e. in adyto. Sic enim in ſequenti verſu explicatur per עֵדוּת h. e. arca, in qua tabulæ

memoriam. 34. Igitur Aaron fecit, quemadmodum Mofes juſſerat, atque hujusmodi vaſculum in arca ſacra repoſuit. 35. Hac Manna veſcebantur Iſraelitæ per quadraginta annos, donec in terram habitatam ad terminos Cananææ pervenerunt. Gomer decima pars eſt Ephæ.

CAPUT XVII

Moſes populo ob aquæ inopiam altercanti ex petra aquam elicit. Joſua cum Amalekitis feliciter pugnat, Moſis precibus adjutus.

1. Ex deſerto Sin, ſicuti Jova juſſerat, Iſraelitæ profecti caſtra poſuerunt in Rephidim. Hic aqua eis defecit. 2. Propterea rixabantur cum Moſe aquam ab eo flagitantes. Moſes eos admonuit, ne ſecum contenderent, nec Jovam tentarent. 3. Sed cum ſiti laborarent, Moſen incuſabant, quod eos ex Aegypto eduxiſſet, jam ſibi, liberis ſuis et pecori ſiti eſſe pereundum. 4. Tum Moſes Jovam precatus, quid faciam huic populo, inquit, parum abeſt quin me

bulæ legis repoſitæ erant. Ceterum facile intelligitur, Moſen hoc loco temporis ordinem non ſervare. Tunc enim nondum neque tentorium, neque arca fuit. Sed complectitur Moſes hoc loco omnia, quæ de Manna memoriæ prodere voluit, uti ſupra fecit in hiſtoria de agno paſchali. Cap. XII, 15.

me lapident. 5. Cui Jova, antecede populum assumtis quibusdam de principibus, et baculum, quo Nilum percussisti, manu feras. 6. Ego stabo in conspectu tuo in petra in Horebo, et ex percussa a te petra manabit aqua ad populi potionem. Moses igitur fecit id quod Jova jusserat præsentibus Israelitarum principibus. 7. Locum vero istum vocavit Massam et Meribam, propter istam Israelitarum altercationem, et quod de Jovæ inter eos præsentia dubitarant. — 8. Ibi quoque Amalekitæ aggressi sunt Israelitas. 9. Sed Môses jussit Josuam delectum instituere virorum *fortissimorum* et prælium committere Amalekitis, se postridie in vertice collis adesse, et baculum illum divinum manu tenere velle. 10. Josua igitur, quemadmodum jussus erat a Mose, prælium Amalekitis commisit. Moses, Aaron et Chur verticem collis ascenderant. 11. Ibi quando Moses manus attollebat, vincebant Israelitæ, et quando eas remittebat, Amalekitæ. 12. Sed cum ei molestum esset, manus hac ratione erectas habere, lapidem ei supposuerunt, in quo sederet. Aaron vero et Chur, alter ab hac, alter ab altera parte sustentarunt manus ejus, quæ sic immotæ usque ad occasum solis manserunt. 13. Josua vero Amalekitas debellavit. 14. Tunc Jova jussit, ut Moses hoc in perpetuam rei memoriam literis mandaret, Josuæ

vero

vero diceret, se Amalekitas penitus esse extirpaturum. 15. Deinde Moses aram exstruxit, quam *Jova vexillum meum* vocavit. 16. Dixit enim: quia manus (scil. Amalekitarum) contra thronum Jovæ *a*) sublatæ fuerunt, bellum contra Amalekitas perpetuum esse debet.

CAPUT XVIII

Jethro socer Mosis eum cum duobus ejus filiis et uxore invisit. De judicibus populo præficiendis consilium dat, quod etiam ille exsequitur.

1. Jethro autem sacerdos Midianiticus Mosis socer cum

a) Verba textus כִּי־יָד עַל־כֵּס יָהּ perquam obscura sunt. Codex Sam. pro כֵּס יָהּ legit כסא. Sed hæc lectio nihil lucis affert. Οἱ ὁ habent: ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμεῖ Κύριος ἐπὶ Ἀμαλὴκ, quasi legissent: בְּיָד כְּסוּיָה נִלְחָם יְהוָֹה. Vulgatus: *quia manus solii Domini et bellum Domini erit contra Amalek*, omisso עַל. Syrus: *ecce manus contra sedem. Bellum Domini in Amalek* etc. omisso יָהּ. Missis aliorum explicationibus *Clerici* placet: quia manus *ejus* sc. Amalek fuit contra thronum Dei. — Thronus Dei erat tunc apud Israelitas, quorum rex erat. Idem *Clericus* non contemnendam conjecturam affert: pro כֵּס legi posse נֵס ut ad nomen altari impositum Moses respiciat, quod plerumque facere solent, qui rei cuipiam nomen dederunt, uti ex aliis exemplis constat, v. c. Genes. 16, 13.

eum audiſſet, quæ Deus pro Moſe et pro Iſraele ejus populo feciſſet, quomodo nempe eum ex Aegypto eduxiſſet, 2. venit cum Zippora, Moſis conjuge, quam remiſerat, 3. et duobus ejus filiis, quorum alterum Gerſchomum vocarat, quod peregrinus eſſet in terra aliena, 4. alterum Elieſerum, (quod Deus patrius ei auxilio fuiſſet et liberaſſet eum a gladio Pharaonis), 5. venit, inquam, cum his ad Moſen in deſertum, ubi caſtra poſuerant prope montem Dei. 6. Cumque eum de adventu ſuo certiorem feciſſet, 7. Moſes ei obviam ivit, ſubmiſſe ſalutavit et oſculo excepit. Deinde cum ſeſe mutuo de valetudine eſſent percontati, tabernaculum intrarunt. 8. Hic Moſes ſocero ſuo narravit, quæ Jova Pharaoni et Aegyptiis Iſraelitarum cauſa feciſſet, moleſtias quas in itinere ſuſtinuiſſent et quomodo a Jova eſſent ſervati. 9. Jethro autem de his tantis Jovæ beneficiis in populum Iſraeliticum gaviſus eſt: 10. et dixit: laudetur Jova, qui vos ab Aegyptiis et Pharaone liberavit. 11. Jam quidem certiſſime ſum perſuaſus, Jovam omnibus diis eſſe majorem. Nam in eo ipſo, in quo illi Iſraelitas longe ſuperabant, magnum ſeſe exhibuit. a) 12. Deinde quoque Jethro,

a) Verba textus כִּי בַדָּבָר אֲשֶׁר זָדוּ עֲלֵיהֶם breviter dicta ſunt, ad quæ neceſſario quædam ſunt ſupplenda. Equidem

thro, Mosis socer, holocausta et alia sacrificia Deo obtulit, et Aaron, nec non seniores populi Israelitici, epulis sacrificalibus interfuerunt. 13. Postridie Moses sedit ad jus dicendum populo, qui propterea ei a mane usque ad vesperam adstabat. 14. Quod cum socer Mosis videret, interrogavit eum, quid ageret cum populo? cur solus sederet et populus eum toto die circumsisteret. 15. Respondit Moses socero suo: populum ad se venire, ut Deum consuleret. 16. Si causam habent, eam ad me deferunt; quam deinde ex legibus et statutis Dei decido. 17. Ad hæc ille, non possum probare, inquit, quod facis. 18. Fatigas cum te ipsum, tum populum. Hic modus *judicii ferendi* difficilior est, quam ut eum solus sustinere possis. 19. Audi me, consilium tibi dabo: et Deus tibi favebit. Sis tu interpres populi apud Deum, defer eorum causas ad Deum. 20. Explica eis statuta et leges, doce eos quid agere, quomodo se gerere debeant. 21. Præterea vero elige tibi ex universo populo viros prudentes, religiosos, fideles, avaritiæ inimicos, hos constitue principes *singularum divisionum*, millenarum, centenarum, quinquagenarum et denarum. 22. Hi jus dicant populo. Res graviores ad te deferant, leviores vero ipsi decidánt. Sic

dem גָּדוֹל aut הִגְדִּיל ex antecedentibus repeto et sub דבר equitatum intelligo, quo Aegyptii inprimis valebant.

Sic te ſublevabunt et tecum onus ſuſtinebunt. 23. Si hoc feceris, tum Deus tibi mandata ſua dare poteſt, tum tu *eis exſequendis* par eris: et populus quoque ſalvus et incolumis ad locum ſuum perveniet. 24. Moſes obtemperavit ſocero ſuo, fecitque quod dixerat. 25. Elegit viros prudentes ex omnibus *tribubus* Iſraeliticis, quos principes populi conſtituit: alios quidem qui mille, alios qui centum, alios qui quinquaginta, alios tandem qui decem *de plebe hominibus* præeſſent. 26. Hi perpetui debebant eſſe populi judices. Res difficiliores deferrent ad Moſen, leviores ipſi componerent. 27. Quo facto dimiſit Moſes ſocerum ſuum, qui in patriam ſuam rediit.

CAPUT XIX

Cum populus ad montem Sinai veniſſet, Moſe internuncio rogatur, num Jovæ legibus parere velit? Quod cum promiſiſſet, jubetur ſeſe luſtrare ad tertium diem ex Jova ipſo has leges auditurus. Tertio die deſcendit Jova cum inſigni majeſtate in montem, ad quem populo propius accedere interdicitur. Moſes tantum et Aaron jubentur montem aſcendere.

1. Initio menſis tertii, ex quo Iſraelitæ Aegypto egreſſi erant, venerunt in deſertum Sinai. 2. Etenim e Rephidim profecti illud deſertum ingreſſi ſunt, et caſtra e regione montis poſuerunt. 3. Hic Moſes montem aſcendit ad Deum, qui ex monte cum eo

hunc in modum eſt locutus: hæc dicito poſteris Jacobi, hæc renuntiabis Iſraelitis: 4. Vos vidiſtis quæ Aegyptiis fecerim, et quomodo vos geſtarim quaſi in alis aquilinis, et jam quidem ad *locum mihi ſacrum a)* perduxi. 5. Quodſi mihi obtemperaveritis et foedus meum conſervaveritis, tractabo vos ut populum præ omnibus aliis (nam meus eſt totus terrarum orbis) mihi peculiarem in modum proprium. 6. Vos regnum conſtituetis, cujus ſubditi ſacerdotum jura habeant, populus eritis ſanctus. Hæc dicere debes Iſraelitis. 7. Moſes igitur convocatis populi ſenioribus renunciavit omnia, quæ Jova præceperat. 8. Illi vero una voce promiſerunt ſe facturos eſſe omnia, quæ Jova juberet. Tum Moſes hanc populi ſententiam ad Jovam retulit. 9. Qui deinde ei ulterius indicavit, velle ſe ad eum in denſa nube venire, ut populus audiret quando cum eo colloqueretur, et deinceps ſemper ei fidem haberet. Cum igitur Moſes ad Jovam retuliſſet quæ populus dixiſſet, 10. hic juſſit Moſen præcipere populo, ut ſeſe in hunc et ſequentem diem luſtraret et veſtes lavaret, 11. et ſic in tertium diem parati eſſent. Nam hoc tertio die velle ſe vidente univerſo populo in montem Sinai deſcendere. 12. Populo vero cancellos faceret circum *montem*, et ſevere

a) in textu eſt: *ad me.*

vere interdiceret, ne quis montem afcenderet, aut ejus extremum attingeret; qui hoc fecerit, fupplicio effe afficiendum. 13. Nec tamen ejusmodi transgrefforem manu effe tangendum, *b*) fed lapidibus obruendum, aut telis confodiendum: five animal, five homo fuerit, fupplicio afficeretur. Sed quando fonus audiretur, quidam *c*) montem afcenderent. — 14. Cum igitur Mofes de monte defcendiffet, edixit ut populus fefe luftraret et veftes lavaret, 15. et fic inftructi effent ad diem tertium, abftinerent etiam fe a mulieribus. 16. Tertio igitur die fummo mane tonitrua et fulgura extiterunt. Denfa nubes in montem fefe demifit, et fonus tubæ vehementiffimus audiebatur. Qua de re totus populus in caftris contremifcebat. 17. Tum Mofes populum e caftris Deo obviam eduxit et ad radicem montis collocavit. 18. Mons vero ille Sinai totus fumabat, quoniam Jova in eum in igne defcenderat. Fumum inftar fornacis ardentis emittebat, et vehementer contremifcebat. 19. Ille vero tubæ fonus continuo et vehementer audiebatur. Mofes loquebatur, et Deus ei per tonitrua refpondebat. 20. Cum igitur

b) fc. ut vi adhibita ejiceretur e cancellis.

c) הַמָּה fortaffe principes populi, aut quidam ex iis tanquam legati populi. cf. Cap. 24, 1. feqq.

igitur Jova in summum montis Sinai verticem descendisset, Mosen eodem evocavit. Qui cum ascendisset, 21. jussit Jova ut iterum descenderet et populo injungeret, ne *factos cancellos* perrumperet ad Jovam propius visendum et hinc magna clade afficeretur, 22. utque sacerdotes Jovam accessuri lustrati essent, ne eos prosterneret. 23. Respondit Moses Jovæ: non potest populus montem Sinai ascendere. Jussisti enim cancellis eum cingere et sic eum separari. 24. Sed Jova iterum eum jussit descendere et cum Aarone redire. Populum vero et sacerdotes moneret, ne terminos transgrederentur, quo minus a Jova profligarentur. 25. Moses igitur descendit ad populum, eique omnia renunciavit.

CAPVT XX

Decem præcepta Deus ipse ex monte Sinai ad populum eloquitur. Qui valde perterritus Mosen legum divinarum interpretem sibi expetit. Adduntur leges nonnullæ de ara exstruenda.

1. Tum Deus hæc præcepta hunc in modum est elocutus: 2. Ego Jova sum Deus tuus, qui te ex ergastulo eduxi. 3. Ne alios Deos præter me colas. 4. Ne facias tibi sculptam imaginem, aut simulacrum ullius rei, sive sit in cœlo, sive in terra, sive in aqua, sub terra. 5. Non ea adores, neque colas.

colas. Ego enim ſum Jova Deus tuus, Deus ſocii impatiens, qui parentum culpam etiam in liberis mei oſoribus ad tertiam et quartam usque generationem punit. 6. Benignum vero me præbeo mei amantibus et præcepta mea ſervantibus ad milleſimam usque ſtirpem. 7. Ne enuncies nomen Jovæ Dei tui in mendacii affeverationem. Nam non impunitum ſinet eſſe Jova eum, qui hoc fecerit. 8. Memor ſis ſabbati, ut ſancte illud peragas. 9. Per ſex dies labores et negotia tua cures. 10. Septimo autem die ſabbatum eſt Jovæ Dei tui, quo ab omni laboro debes abſtinere, neque ſolum tu, ſed etiam filius tuus et filia, ſervus, ancilla, jumentum tuum, et peregrinus, qui apud te commoratur. 11. Etenim ſex diebus Jova fecit coelum et terram, mare et quæ in eo ſunt, et feriatus eſt die ſeptimo, propterea Jova hunc diem fauſtum eſſe vult et ſacrum. 12. Honora patrem tuum et matrem tuam, ut diu vivas in terra, quam Jova Deus tuus tibi dat. 13. Ne cædem committas. Ne adulteres. Ne fureris. Ne falſum teſtimonium perhibeas in alterum. 14. Alterius domum ne concupiſcas. Neque uxorem alterius, neque ſervum et ancillam, aut bovem, aut aſinum, nec quicquam quod eſt alterius, concupiſcas. — 15. Univerſus autem populus videbat et audiebat tonitrua et fulgura et ſonum tubæ et montem fumantem; hinc

perterriti receſſere et e longinquo ſubſtitere, 16. Moſen rogantes, ut hic cum eis loqueretur, velle ſe obedire, non Deus, ne morerentur. 17. Reſpondit eis Moſes: ne timeatis, nam ad explorandam obedientiam veſtram venit Deus, ut eum ſemper revereamini et a peccando abſterreamini. 18. Attamen populus procul ſubſtitit. Moſes vero acceſſit ad denſam caliginem, in qua Deus erat. 19. Qui cum eo hunc in modum eſt locutus: Sic dicere debes Iſraelitis: vos vidiſtis me e cœlo ad vos eſſe locutum. 20. Ne igitur faciatis Deos argenteos et aureos, quos præter me colatis. 21. Aram ceſpiticiam paretis, in qua holocauſta et euchariſtica ſacrificia ex pecore aut armento mihi offeratis. In omnibus locis, quæ cultui mihi exhibendo deſtinabo, preces invocantium exaudiam et me eis benignum præbebo. 22. Quodſi aram lapideam exſtruitis, non hoc fiat ex lapidibus quadratis. Nam ferramento adhibito eam profanaretis. 23. Neque in ſcala aſcendatis aram mihi ſacram, ne partes corporis verendæ retegantur.

CAPUT

CAPUT XXI

Leges civiles variæ, de servis manumittendis, de homicidio, de verberibus libero homini aut servo inflictis, de bove petulco, de pecude in foveam incidente.

1. Præterea has leges eis debes promulgare. 2. Si quis emerit servum hebræum, sex annos serviat, septimo anno gratis manumittatur. 3. Si cælebs venit, cælebs etiam manumittendus est; sin maritus, uxor una cum eo dimittenda est. 4. Si dominus ei uxorem dederit, ex qua filios aut filias procreaverit, uxor et liberi ejus manent domino, ipse solus manumittatur. 5. Quodsi hujusmodi servus propter amorem erga dominum suum, aut erga uxorem et liberos non vult manumitti; 6. adducat eum dominus ejus ad magistratum, eique januæ aut posti admoto subula aurem perforet, et sic maneat ejus servus, quamdiu vivit. 7. Si quis filiam suam vendiderit in servitutem, ea non debet manumitti *a*) ut servi. 8. Si displicuerit domino suo, qui

a) scilicet septimo anno. Sed Ill. *Michaelis* in Jure Mosaico P. II. p. 371. observat, hanc legem post quadraginta annos mitigatam esse, et ancillis idem jus quod servi habebant concessum. cf. Deut. 15, 17.

qui eam sibi *b*) desponsavit, curet eam redimendam. Non habet potestatem vendendi eam genti peregrinæ, quoniam fidem datam ei fefellit. 9. Si filio suo eam destinarit, eodem jure cum ea agat, quo cum filia. 10. Si aliam ei duxerit, victum, vestitum et congressum maritalem minuere non debet. 11. Si hæc tria ei non præstiterit, gratis, pretio non soluto manumitti debet. — 12. Qui alium percusserit ut moriatur, supplicio est afficiendus. 13. Qui vero alterius sanguinem non sitierit, *c*) sed casu eum occi-

b) In textu hebræo est varia lectio a Masorethis quoque observata. Ex lectione marginali legendum est אֲשֶׁר לוֹ יְעָדָהּ ex textuali vero אֲשֶׁר לֹא יְעָדָהּ. Codex Sam. Aquila, Theodotion, Syrus et Arabs Erpenii textualem legerunt. Marginalem vero *οἱ ό*, Vulgatus, Onkelos et Arabs in Polyglottis, quæ etiam præferenda videtur propter ultima verba בְּבִגְדוֹ בָהּ *quod fidem datam ei fallit*; igitur promiserat ei matrimonium.

c) Verbum צדה idem vulgo esse putatur cum צוד *venari*, *insidiari*, neque dissentiunt h. l. Syrus, Onkelos, et Vulgatus. Sed in dubium vocavit illam significationem *Schultensius* de defectibus p. 89. §. 99. et Arab. صدا conferri vult, quod de *rubigine ferri* proprie dicitur et deinde ad *animum malignum* transferatur. Sed Ill. *Michaelis* in Syntagmate Commentt. P. I. p. 50. idem quidem verbum, sed ex alia ejus significatione, nempe *sitiendi*, confert, substantivo

occiderit, indicabo tibi locum quo confugiat *d*). 14. At qui de induſtria doloſe alium interfecerit, is vel ab ara mea ad ſupplicium trahatur. 15. Qui patrem aut matrem percuſſerit, moriatur. 16. Qui furatus fuerit hominem, ſive vendiderit eum, ſive apud ipſum inveniatur, capitis poenam luat. 17. Qui patri aut matri maledixerit, moriatur. 18. Si quis alterum orta contentione lapide aut pugno percuſſerit, nec tamen ille mortuus fuerit, ſed tantum in lecto decubuerit, 19. ſi ſurrexerit et baculo innixus foras prodierit, percuſſor ſit impunis, tantum cubatum et medicationem alteri præſtet. 20. Si quis ſervum ſuum, aut ancillam baculo percuſſerit, ut in ipſa caſtigatione moriatur, poenam luat. 21. Sed ſi unum aut alterum diem ſuperſtes fuerit, non poenam dabit, nam ſua pecunia eum ſibi acquiſivit. 22. Si qui pugnis inter ſe contendant et vulneraverint mulierem gravidam, ut hæc abortiat, nec aliud damnum inſequatur, mulctam ſolvant ad æſtimationem mariti mulieris coram arbitris

tivo nempe *ſanguis* ſubintellecto. Quam ſignificationem præferendam puto, quoniam illam *rubiginis* notionem صدأ habet tertia radicali hamzata, cum qua igitur noſtrum tertiæ He quieſcentis minus accurate confertur.

d) De urbibus aſyli ſpecialiores leges ſunt Num. 35, 6. Deut. 19, 6.

tris constitutis. 23. Sin damnum *aliud* evenerit, reddant vitam pro vita. 24. Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede. 25. Adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore. 26. Si quis servi sui aut ancillæ oculum percusserit, eumque læserit, manumitti debet pro oculo. 27. Item si quis servi aut ancillæ dentem decusserit, pro dente manumitti debet. 28. Si bos cornu ferierit virum aut foeminam et mors insequatur, bos lapidetur, nec de carne ejus edatur, dominus autem bovis sit impunis. 29. Quodsi bos antea petulcus fuerit, idque domino indicatum fuerit, nec tamen custodierit, si virum aut foeminam interfecerit, bos lapidibus obruatur et dominus ejus quoque moriatur. 30. Si mulcta ei imponatur, solvat eam pro redimenda vita, quantacunque fuerit. 31. Si filium, aut filiam ferierit, ex eodem jure agatur. 32. Si servum ferierit, aut ancillam, solvantur domino triginta sicli et bos lapidetur. 33. Si quis foveam vel aperuerit, vel effoderit, neque eam obtexerit, et eo deciderit bos aut asinus, 34. qui foveam fecerit, pretium solvat domino occisi animalis, ipsum vero animal, quod periit, sibi habeat. 35. Si bos alicujus ferierit bovem alterius, ut moriatur, vendatur bos vivus et pretium ejus dividatur, nec non bos mortuus. 36. At si notum fuerit

rit

rit bovem petulcum esse, nec dominus eum custodierit, restituat alium, mortuum vero ipse habeat. 37. Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem eumque mactaverit, aut vendiderit, quinque boves pro uno reddat et quatuor oves pro una.

CAPUT XXII

De fure percusso, damno illato, incendio, deposito, mutuo. De idololatria exstirpanda, de peregrino benigne habendo, de foenore non severe exigendo, de magistratu, primitiis et carnibus vetitis.

1. Si fur in ipso delicto deprehensus et percussus fuerit ut moriatur, *percussor* homicidii reus non est. 2. Nisi orto jam sole; tunc cædes ei imputabitur. Poterat enim *reus* ad solutionem a judice condemnari; aut si non haberet quod solveret, vendi poterat in compensationem rei ablatæ. 3. Si furtum deprehensum fuerit apud eum, sive bos sit, sive asinus, aut ovis adhuc vivens, duplum reddat. — 4. Si quis immisso pecore depaverit agrum, aut vineam alterius, damnum compenset ex optimo fundi sui aut vineæ. 5. Si ignis ad spinas comburendas incensus, manipulum, segetem, aut alios agri fructus consumserit, detrimentum præstet, qui incendii illati culpam habet. — 6. Si quis apud alterum pecuniam, aut supellectilem deposuerit, et ex ædibus ejus

ejus furto ablatum fuerit, duplum reddat fur, fi deprehenfus fuerit. 7. Sin minus, dominus illius domus coram magiftratu jurare debet, fe res alterius non intervertiffe. 8. Omnis doli mali, five defraudationis accufatio, five de bove, five de afino, five de agno, five de vefte, five de alia qua re perdita quæftio fit, ad magiftratum deferatur, a quo pars condemnata alteri parti duplum reddat. — 9. Si quis alterius curæ commiferit afinum, aut bovem, aut ovem, aut aliud jumentum, idque aut mortuum fuerit, aut læfum, aut abactum nemine vidente: 10. jusjurandum litem dirimat et alter juret, fe non manum immififfe rebus alterius. In quo et poffeffori eft acquiefcendum, nec debitor damnum præftet. 11. Si furto ei ablatum fuerit ex ædibus fuis, folvat alteri. 12. Si a feris animalibus difcerptum, probet teftibus allatis. Raptum non eft reftituendum. 13. Si quis ab altero mercede conduxerit *jumentum*, idque læfum aut mortuum fuerit abfente poffeffore, damnum præftet *conductor*. 14. Quodfi adfuit poffeffor, damnum ei non reftituetur. Nam fi mercede conductum eft, hæc cafum fortuitum compenfat. — 15. Si quis virginem non defponfatam pellexerit et cum ea concubuerit, dote foluta eam fibi in matrimonium comparet. 16. Sin pater ejus recufarit eam in matrimonium dare, folvat eam pecuniæ fummam, quæ doti

vir-

virginis æquipollet. — 17. Saga ſupplicio eſt afficienda. 18. Qui rem habuerit cum animali, moriatur — 19. Qui alii Deo quam Jovæ ſacrificat, ſacer eſto. — 20. Peregrinum ne affligatis, aut vexetis. Nam vos quoque peregrini in Aegypto fuiſtis. 21. Nullam viduam aut pupillum premito. 22. Quodſi preſſeritis, ego eorum clamorem ad me ſublatum audiam, 23. et in ira mea vos gladio interficiam, et fient uxores veſtræ viduæ et liberi veſtri pupilli. — 24. Si pecuniam mutuaveritis alicui de populo meo pauperi inter vos: non agetis cum eo ut foeneratores, nullam ei uſuram imponetis. 25. Si veſtem ſuperiorem *a*) alterius in pignus acceperitis, reddere eam debetis ante ſolis occaſum. 26. Etenim unum eſt tegumentum, quod habet. Quo corpus operiat, ſub quo cubet? Si clamaverit hac de re ad me, eum exaudiam, nam benignus ſum. 27. Magiſtratui ne maledicito, nec principem populi veſtri execremini. 28. Decimas et primitias offerre ne tardetis. Primogenitum veſtrum filium mihi dare debetis. 29. Idem etiam facietis cum primogenito armen-

a) שַׂלְמָה et שִׂמְלָה ſunt ſynonyma. Veſtis eſt ſuperior, ſed pannus tantum, cui corpus involvunt, quo pauperes inprimis noctu utuntur pro tegumento. vid. *Shaw* Itinet. p. 196. *Niebuhr* deſcriptio Ar. p. 64. *Michaelis* in J. M. P. III. p. 65.

menti et pecoris. Septem dies maneat apud matrem, octavo vero mihi dare illud debetis. 30. Homines mihi consecrati esse debetis. Igitur vos abstinere debetis a carne rapta in agro, ad canes eam projicite.

CAPUT XXIII

De delationibus, de humanitate in juvandis aliis, de feriis septimi anni et septimi diei, de tribus festis majoribus, de sacrificiis quaedam. Promissio de felici occupatione Cananaea sub conditione obedientiae, et de delendis Cananitis.

1. Rumorem falsum ne divulgetis, nec societatem ineatis cum injusto ut testes sitis in damnum alterius. 2. Ne sequamini multos ad mala patranda. Igitur in causa criminali, cum multi falso testantur, vos non idem facere debetis, ut judicium falsum feratur. 3. Litem pauperis ne ornetis. — 4. Si vobis occurrat bos inimici vestri, aut asinus errans, eum reducetis illi. 5. Si videritis asinum inimici vestri oneri suo succubuisse, et volueritis eum auxilio destituere, quominus vincula ei relaxetis, *cavete ne hoc faciatis*, laxate ei vincula cum inimico vestro a). 6. Jus

a) In hoc loco perquam difficili diu haesi, donec tandem inciderem in *Sypkens* Observatt. Miscell. ad selecta loca V. T. (leguntur in Sylloge Dispp. *Schultensff.* et *Schroederi* P. II. p.

Jus pauperis ne pervertatis. 7. Fugite mendacium. Infontem et juftum ne interficiatis, ego enim injuftum non abfolvam. 8. Munera ne accipiatis: excoecant enim videntes et pervertunt caufam juftorum. 9. Peregrinum ne prematis. Noftis enim quomodo affecti fint peregrini, cum ipfi tales fueritis in Aegypto. — 10. Per fex annos agros veftros conferatis eorumque percipiatis proventus. 11. Septimo autem anno fint vervacta, et quæ *protruferint*, abfumant populares veftri pauperes, et reliqua feræ agreftes. Idem etiam facere debetis cum vineis veftris et olivetis. — 12. Sex diebus negotia veftra cura-

p. 925.) qui lucem optatam ex fignificatione verbi עזב *vincula laxavit* accendiffe videtur, ex qua notiones illæ *dimittendi* et *relinquendi* in L. Hebræa fæpius obviæ derivandæ funt. חדל vero eft *auxilio aliquem deftituere;* quod verbum activum de voluntate explicandum effe contextus docet et cum præcedente תִרְאֶה connectendum. Neque ellipfis τῦ *cave* in breviloquentia legis dura videbitur. Illuftris *Michaelis* elegantem fuper h. l. attulit conjecturam in Jure Mof. P. I. p. 54. dum ex dictione proverbiali legem explicat, in qua עזב in duplici fenfu dictum fuerit, primo pro relinquere rem domino fuo, deinde pro relinquere eam cum domino fuo. Sed haud fcio an Vir Illuftris ipfe prætulerit explicationem ex ufu loquendi probatam.

U

curabitis. Septimo autem debetis feriari: ut et boves et asini vestri requiescant, et servi et peregrini respirent. — 13. Omnia quæ vobis præcipio, diligenter observate. Nomina Deorum peregrinorum ne commemoretis, neque ore vestro pronuncietis. 14. Tribus vicibus mihi in anno festum celebretis. 15. Festum azymorum, quo per septem dies pane non fermentato vescemini, quemadmodum vobis præcepi, dicto tempore nempe mense Abib: eo enim Aegypto exiistis. Neque vacui coram me comparete. 16. Festum messis, quo primitias frugum, quibus agros consevistis, *offeratis*. Et festum collectionis sub finem anni, postquam fructus agrorum collegistis. 17. Ter quotannis sistant se omnes mares coram me domino Jova. 18. In sacrificiis vestris fermentum ne adhibeatis, neque adipem victimæ mihi mactandæ servate in diem sequentem. 19. Primitias fructuum præcocium terræ vestræ inferre debetis in ædem Jovæ dei vestri. Ne coquatis hoedum in lacte matris suæ *b*). — 20. Mitto ante vos legatum, qui

b) Repetita hæc lex legitur infra Cap. 34, 26. et Devt. 14, 21. De sensu ejus et consilio prolixe egerunt *Bochartus* in Hieroz. P. I. Lib. II. Cap. LII. p. 631. et *Spencerus* de legibus Hebr. rit. Lib. II. Cap. IX. p. 333. edit. Tubing. Ille quidem eorum accedit sententiæ, qui verba legis in sua

qui vos in itinere tueatur, vosque perducat ad locum

a

sua propria significatione accipiunt, ita tamen ut lex ipsa usum quendam tropologicum habeat et ab omni crudelitate abstinere jubeat. *Spencerus* vero existimat superstitionem quandam gentilem interdici. Nimirum auctores sunt ipsi Judæi, ethnicos in iis sacris, quæ post messem celebrare solebant, hoedum in lacte matris coxisse et deinde ritibus magicis adhibitis aspersisse arbores, agros et hortos, et credidisse eos hoc modo feraciores sequenti anno futuros esse. — Tandem Ill. *Michaelis* alium longe sensum, et diversam ab illis hujus legis rationem indicavit in Jur. Mos. P. IV. p. 203. nempe interdici Judæis assare carnem butyro adhibito. *Lac matris hoedi* ei est butyrum ex lacte paratum, quoniam butyrum primitus lac est. Speciem vero quam Moses nominavit, valere etiam de genere ideoque de lacte vaccæ. *Rationem* legis esse politicam: cavere nempe voluisse legislatorem, ne Israelitæ unquam in Aegyptum reverterentur; prudentiæ igitur fuisse legislatoriæ populum assuefieri usui olei, cujus Palæstina erat feracissima, quo vero Aegyptus carebat. — Agnosco insignem Viri Illustris rerum civilium peritiam. Sed miror Mosen, qui alias in legibus ferendis ea perspicuitate utitur, quam sapiens legislator semper solet adhibere, legem ex sententia *Michaelis* gravissimam verbis adeo obscuris concepisse. — Ego quidem fateor, me assentiri *Spencero*, quoniam parum probabile videtur, fuisse qui hoc cibo delectarentur, cujus apparatus vix potest intelligi ut appetitum excitet. cf. *Clericus* ad h. l.; qui ex antiquitatibus græcis illam superstitionem illustravit.

a me destinatum. 21. Hunc revereamini, huic obtemperetis, hunc ne irritetis. Non ignoscet peccatis vestris. Idem est qui ego. *c*) 22. Quodsi ei morem gesseritis, et feceritis quæ jussero, ego quoque inimicus ero inimicis vestris et adversabor adversariis vestris. 23. Igitur vos præcedet legatus meus, qui vos ducet ad Amoritas, Chittæos, Pheresitas, Cananæos, Chivvæos et Jebusitas, quos ego exscindam. 24. Horum vero Deos ne

c) Hic locus insignis est, ex quo, uti mihi quidem videtur, plane apparet, legatum, sive angelum Dei, quem ut ducem populi Deus promittit, angelum esse increatum, non creatum, multo minus Mosen, aut Josuam. Nam primo verba: *non ignoscet peccatis tuis*, angelo creato, aut homini non conveniunt, deinde quæ sequuntur: *nomen meum in eo est*, non possunt explicari: aget nomine meo f. ex mandato, aut potestate a me accepta, tunc enim aliud verbum esset adhibitum, יעשה aut ידבר aut simile: tandem ex collatione nostri loci cum Cap. 32, 34. clare hoc intelligitur. Ibi enim Deus, populo propter idololatriam iratus, negat se amplius ducem populi futurum esse, sed angelum qui populum ducat; sed populus et Moses hoc omni modo deprecantur. Igitur hic angelus ab illo, de quo in nostro loco sermo est, longe diversus fuit. Idem est qui Mosi apparuit Cap. 3, 2. et ibi quoque ita agit et loquitur, ut ipse Deus.

ne adoretis aut colatis, neque mores eorum imitemini. Sed destruere et frangere debetis eorum imagines. 25. Me tantum Jovam Deum vestrum coletis, et sic curabo ut cibo et potu abundetis, morbos quoque a vobis depellam. 26. Nulla erit inter vos, quæ abortiat aut sterilis sit. Numerum annorum vestrorum complebo. 27. Mei terrorem vobis præmittam. Perturbabo omnes gentes ad quas pervenietis, hostesque vestros vobis necandos tradam. 28. Mittam ante vos crabrones *d*) qui expellant Chivvæos, Cananitas et Chittæos. 29. Non uno anno eos expellam ne terra desolata feræ agrestes nimis auctæ vos infestent. 30. Paullatim eos expellam, donec foetificetis et terram occupetis. 31. Terminos vobis constitui a sinu Arabico usque ad mare mediterraneum, atque a deserto usque ad Euphratem. Quando vobis tradidero hujus terræ incolas, debetis eos ejicere, 32. nequaquam vero cum eis, aut eorum diis foedus inire. 33. Omnino in terra vestra

d) Idem promittitur Devt. 7, 20. Neque dubitandum est, quin re vera evenerit, quanquam in historia terræ expugnatæ non claris verbis narratur. Propter quod scripturæ sacræ silentium nonnulli interpretes hæc verba improprie de terrore divinitus immisso explicare voluerunt, bene refutati a *Bocharto* in Hieroz. II, 4, 13. p. 534.

veſtra non habitent, ne vos ad peccandum ſeducant, ut eorum deos colatis, quod vobis futurum eſſet perniciofum.

CAPVT XXIV

Moſes a Deo e monte dimiſſus refert ad populum leges Dei. Quibus cum unanimi conſenſu obedientiam promittit, literis eas conſignat et foedus ſolemni ritu adhibito nomine Dei cum populo pangit. Quibus confectis redit ad Deum in montem, in cujus faſtigio Iſraelitæ ſymbolum viſibile præſentiæ divinæ conſpiciunt.

1. Moſen autem Jova juſſit, *deinde a)* cum Aarone, Nadabo et Abihu et ſeptuaginta aliis de magiſtratu Iſraelitarum aſcendere, qui e longinquo *Jovam* ſupplices adorarent. 2. Moſi tantum propius ad Jovam accedere liceret, illis vero non, et de populo nemini. 3. Cum Moſes ad populum veniſſet atque ei enarraſſet omnes leges et ſtatuta Jovæ, una voce omnes reſponderunt, velle ſe facere omnia, quæ Deus dixiſſet. 4. Tum Moſes leges illas literis conſignavit et poſtridie mane ſub monte aram exſtruxit et cip-

a) Hoc *deinde* ſupplendum eſſe, contextus hiſtoriæ docet. Cap. 20, 18. clare dicitur Moſen ad Deum acceſſiſſe, a quo leges accepit ad populum referendas; quæ ſerie non interrupta narrantur usque ad initium hujus capitis. Jam cum dimitteretur Moſes a Deo ad populum, dicit ei quid facere deberet, cum iterum aſcenderet.

cippos duodecim pro numero duodecim tribuum Iſraeliticarum. 5. Deinde miſit famulos populi, qui holocauſta offerrent et ſacrificia eucharistica ex juvencis facerent. 6. Ipſe vero dimidium ſanguinis in crateribus excepit, alterum dimidium ſparſit ſuper altari. 7. Quo facto prælegit audientibus omnibus librum illum foederis, atque omnes iterum promiſerunt, velle ſe in omnibus Jovæ obtemperare. 8. Tum Moſes ſanguine illo populum conſperſit, et dixit: hic eſt ſanguis, quo effuſo foedus ſancitur, quod Jova vobiscum pepigit ſuper his legibus. 9. Quibus peractis Moſes, Aaron, Nadab et Abihu et ſeptuaginta de ſenioribus populi montem aſcenderunt. 10. Ibi viderunt Deum Iſraelis. Sub pedibus ejus apparebat tanquam laterculus Sapphiri et ut ipſum cœlum nitens. 11. Sic principes populi Deum videbant ſine vitæ ſuæ periculo *b*) et jucunde tempus ibi

b) Verba textus ad literam ſic habent: *et ad principes Iſraelitarum non miſit manum ſuam, viderunt Deum, ederunt et biberunt.* Quorum verborum duplex eſt explicatio. Altera, quæ eſt interpretis Chaldæi, phraſin *mittere manum ad aliquem* intelligit de damno et læſione qua aliquis afficitur. Jam cum Deus ipſe dicat: *nemo me videbit et vivet*, putant hoc indicari, ſeniores Iſraelitarum non læſos, aut fulmine tactos eſſe a Deo, quanquam cum viderent, et propterea

ibi transfigebant. 12. Tum Jova Mosen jussit montem ascendere, velle se ei dare lapideas tabulas et legem et statuta, quæ consignasset, ut ea *populum* doceret. 13. Igitur Moses et Josua ejus famulus montem Dei conscenderunt, 14. postquam senioribus illis præceperant, ut ibi manerent donec ad eos redirent; habere se Aaronem et Hurem, hos consuleret, qui causam haberet. 15. Cum Moses montem conscenderat, hunc nubes texit, 16. et mansit splendor Jovæ in illo Sina monte per sex dies nube obtecto. Septimo die Moses evocatus ad interiorem nubem. 17. Ille vero Jovæ splendor in vertice montis aspectu similis erat igni ardenti, quem et omnes Israelitæ videbant. 18. Moses mediam istam nubem in monte ingressus mansit ibi quadraginta dies totidemque noctes.

pterea signa quoque lætitiæ præ se tulisse, edisse ibi et bibisse. Altera explicatio est eorum, qui illam phrasin de majori revelationis gradu accipiunt, quo Seniores illi non dignati fuerint sicuti Moses, et propterea quoque cibo et potu indiguerint, quo Moses per quadraginta dies potuit carere. Vid. *Fagius* in Crit. Angl.

CAPUT

CAPUT XXV

Deus jubet Mosen sanctuarium sibi exstruere ex donariis Israelitarum hunc in finem collatis. Cujus sanctuarii partes in exemplari Mosi exhibito describuntur. Arca, Cherubi, mensa cum vectibus suis, panibus et vasis aureis, candelabrum cum lucernis suis.

1. Tum Jova cum Mose hunc in modum locutus est: 2. Dic Israelitis, ut mihi conferant donaria. Ab omnibus, qui sponte hoc faciant, hæc donaria accipietis. 3. Sunt vero sequentia, quæ pro donario conferri debent: aurum, argentum, æs. 4. *Fila* cærulea, purpurea, coccinea, byssus, pili caprini, 5. pelles arietum rubræ, pelles phocarum et ligna acaciæ. 6. Oleum candelabro, aromata, et unguentum unctorium et ad suffimentum odoratum. 7. Onyches, et gemmæ cælaturæ idoneæ pro pallio et pectorali. 8. Mihi enim sanctuarium faciant, quo inter eos habitem. 9. Idque omne secundum illud exemplar, quod tibi ostendam cum de ipso tabernaculo, tum de ejus supellectile. — 10. Fiat igitur arca ex lignis acaciæ. Cujus longitudo sit duorum cubitorum et dimidii, latitudo unius cubiti et dimidii, tantundem ejus altitudo. 11. Hanc auro puro intus et extus induces et corona aurea undique cinges. 12. Tum fundes quatuor annulos aureos, quos quatuor ejus angulis in utroque latere binos

applicabis. 13. Porro vectes ex acaciæ ligno facies, quos auro obductos 14. immittes in annulos istos ad latera arcæ, quorum ope ea portetur. 15. In his annulis vectes illi semper hæreant, nec ex eis extrahantur. 16. In hac arca depones legem quam tibi dabo. 17. Tum porro facies operculum ex auro puro, cujus longitudo sit duorum cubitorum et dimidii, latitudo sesqui cubitalis. 18. Duos præterea Cherubos aureos facies. Alterum ab hoc, alterum ab altero operculi extremo, quocum opus solidum efficiant. 19. Hos igitur Cherubos ex ipso operculo fabricabis in ejus partibus extremis. 20. Alas duas expandant desuper, quibus operculum tegant, facie ad se invicem et in ipsum operculum conversa. 21. Hoc vero arcæ superimpones, in qua legem, quam tibi dabo, depones. 22. Hinc ego tibi comparebo, et de illo operculo inter duos cherubos, qui super arca legis sunt, tecum loquar ea omnia, quæ tibi ad Israelitas præcipiam. — 23. Præterea facies mensam ex acaciæ ligno, longitudine duorum cubitorum, latitudine unius, altitudine unius et dimidii. 24. Hanc auro puro teges et limbum aureum undique ei circumduces, 25. nec non marginem palmarum per ambitum. Ille limbus aureus huic margini sit conjunctus. 26. Tum porro quatuor annulos aureos facies, eosque ad quatuor angulos quatuor ejus pedum applicabis.

cabis. 27. E regione marginis ſint illi annuli, pro receptaculis vectium ad portandam menſam. 28. Quos vectes ex acaciæ ligno fabricatos auro teges, ut eorum ope menſa bajuletur. 29. Facies quoque ejus ſcutellas, lances, pateras et cyathos, quibus libetur, quæ omnia ex auro puro conflabis. 30. Huic menſæ impones panes mihi ſacros. — 31. Porro facies candelabrum ex auro puro, idque ſolidum *a*); ſcapus ejus, calamus, calices, globuli et flores unum efficiant. 32. Sex calami exeant ex ejus lateribus, trini ex utroque latere. 33. Singuli calami habeant tres calices ad inſtar nuclei amygdalæ, globos et flores, atque hunc in modum facies ſex illos calamos e candelabro prodeuntes. 34. In ipſo candelabro quatuor ſint calices formam nucis amygdalinæ habentes cum globis et floribus. 35. Nempe ſinguli globi ſub binis calamis prodeant. Tres igitur globi ſint ſex calamis ex ipſo candelabro ductis. 36. Globi et calami *e ſcapo* prodeuntes unum opus ſolidum ex auro puro conſtituant. 37. Inſuper facies ſeptem lucernas, quas ita impones, ut verſus partem anteriorem luceant. 38. Forcipes quoque ſ. emunctoria cum vaſculis ſuis ex auro puro fiant. 39. Ad hæc vaſa omnia conficienda inſumatur talentum auri optimi. 40. Vi-

a) h. e. non ex pluribus partibus compoſitum, uti mox explicatur.

40. Vide ut omnia ad exemplar facias, quod tibi in monte eſt monſtratum.

CAPUT XXVI

Tabernaculum cum quatuor ſuis ſtragulis. Aſſeres conjuncti ad ſuſtentanda iſta ſtragula. Partes tabernaculi diſtinctæ per ſiparia.

1. Tabernaculum autem facies ex decem aulæis, quæ ex byſſinis filis retortis cæruleis, coccineis, purpureis, inſertis cherubis opere polymito texantur. 2. Singulorum aulæorum longitudo ſit duodetriginta cubitorum, latitudo quatuor. Unam menſuram omnia habeant. 3. Quina inter ſe ſint conjuncta. 4. Tum facies ligulas cæruleas in ora primi aulæi, quod ultimum eſt illius commiſſuræ, et ſic facies quoque in ora aulæi extremi ſecundæ commiſſuræ. 5. Quinquaginta ligulæ ſint in uno aulæo, et totidem in ora alterius, quod eſt priori junctum, ita ut illæ ligulæ ſibi invicem reſpondeant. 6. Porro facies quinquaginta uncos aureos, quibus aulæa illa connectas, ut hac ratione unum tabernaculum exiſtat. 7. Tum facies undecim ſtragulas e pilis caprinis, quas ſuper tabernaculo *expandas*. 8. Singulæ illæ ſtragulæ habeant trigenos cubitos in longitudine, et quinos in latitudine, una eademque menſura ſit omnium undecim. 9. Quarum ſtragularum quin-

quinque feorfim et fex feorfim conjunges, fextam vero in parte anteriori tabernaculi reduplicabis. 10. In ora utraque harum partium junctarum facies quinquaginta ligulas, 11. totidemque uncos æneos, quos ligulis illis immittas, et fic tentorium junctum unum efficiatur. 12. Refiduum vero harum ftragularum tentorii, nempe dimidium ftragulæ redundantis, fit in parte pofteriori tabernaculi, 13. et duo cubiti ab utraque parte de ftragularum longitudine redundantes ab utroque latere tabernaculi fuperfint ad illud tegendum. 14. Tandem tegumentum fuper hoc tabernaculo facies ex pellibus arietum rubris, et infuper aliud ex pellibus phocarum. — 15. Porro facies afferes pro tabernaculo ex acaciæ lignis, qui erecti ftent. 16. Singuli in longitudinem denum cubitorum, in latitudinem fesqui cubitalem. 17. Singuli duos cardines habeant fibi mutuo cohærentes, et fic omnes tabernaculi afferes fint fabricati. 18. Quorum afferum viginti fint ad partem tabernaculi meridianam. 19. Quibus viginti bafes argenteas fubjicies, binas fingulis afferibus pro duobus fuis cardinibus. 20. In altera parte tabernaculi verfus feptentrionem etiam fint viginti afferes 21. cum quadraginta bafibus argenteis, binæ fingulis afferibus fubjiciendæ. 22. Pro extrema tabernaculi parte occidentali facies fex afferes 23. et præ-

præterea duos pro utroque tabernaculi angelo, 24. qui vero sint gemini cum in imo tum in summo et annulo invicem juncti. Sic ambo illi asseres sint pro ambobus angulis. 25. Sic erunt octo asseres et sedecim bases argenteæ, binæ singulis asseribus subjiciendæ. 26. Præterea facies repagula ex acacia. Quinque pro asseribus lateris primi, 27. et totidem pro asseribus lateris secundi; tandem etiam quinque pro asseribus lateris tabernaculi extremi occidentalis. 28. Repagulum medianum per medios asseres trajectum ab uno extremo ad alterum usque pertingat. 29. Asseres et repagula auro obduces, annulos vero, qui repagula capiant, aureos. 30. Sic eriges tabernaculum secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum fuit — 31. Porro velum facies ex filis cæruleis, purpureis, coccineis et bysso retorta, cheruborum figuris opere polymito intertextis, 32. quod adpendes quatuor columnis ex acaciæ lignis auro obductis; earum uncini aurei sint, bases argenteæ, 33. et repones sub illis uncis. (*de quibus antea dictum est vers. 6.*) Intra illum velo assignatum locum inferes arcam legis. Sic velum hoc separet sanctuarium ab *adyto* sanctissimo. 34. In hoc operculum arcæ legis impones. 35. Mensam vero extra velum colloces ad latus tabernaculi septentrionale et candela-

delabrum e regione menſæ ad latus meridianum. 36. Porro facies ſiparium ad introitum tabernaculi ex filis cæruleis, purpureis, coccineis et byſſo retorta, opus phrygionicum. 37. Cui ſuſpendendo facies quinque columnas ex acaciæ ligno auro obductas. Uncini earum aurei ſint. Baſes vero quinque æneæ.

CAPUT XXVII

Ara ſacrificiorum, atrium tentorii, oleum pro candelabro.

1. Aram ex lignis acaciæ quinque cubitos longam et totidem latam facies, ut ſit forma quadrata; altitudo ſit trium cubitorum. 2. Eminentias *a*) facies

a) Hebraice קְרָנוֹת *cornua* vocantur. Quam vocem *Spencerus*, *Witſius*, *Clericus*, alii, proprie accipientes in angulis altaris revera *cornuum* figuras extitiſſe volunt. Ab his in alia omnia abit Ill. *Michaelis*, qui hæc קרנות cum *angulis* idem prorſus fuiſſe arbitratur. Quod miror a Viro Eruditiſſimo cum gravi adeo inſcitiæ reprehenſione alterius ſententiæ defendi, cum clare admodum hi ab illis diſtinguantur עָשִׂיתָ קַרְנֹתָיו עַל אַרְבַּע פִּנֹּתָיו *facies cornua ejus in quatuor ejus angulis.* — Sed hæc verba ultima omittit Vir Celeb. in verſione ſua, quæ habet: Seine vier Ecken ſollen mit ihm in eins gearbeitet und nicht von ihm

cies ad quatuor ejus angulos. Quæ eminentiæ ex ſolido factæ ſint. Ipſa vero ara ære tecta. 3. Ollæ ejus ad cinerem excipiendum, palæ, pateræ, fuſcinæ et batilla, omnia ejus vaſa ænea ſint. 4. Præterea facies opus reticulatum æneum, quod in quatuor ſuis angulis quatuor æneos annulos habeat. 5. Idque inferius ſubambitu aræ in ejus medio applicabis. 6. Vectes item pro hac ara facies ex acacia ære tectos, 7. qui annulis immiſſi ad duo aræ latera hæreant, quando portatur. 8. Cava ſit ex tabulis modo conſtructa, quemadmodum tibi in monte monſtratum eſt. — 9. Atrium tabernaculi velis ex byſſo contorta fabricatis cingatur. Quæ vela in latere meridionali centum cubitos longa ſint. 10. Columnas habeant

ihm abzuſondern ſeyn, quæ reſpondent verbis textus ſequentibus מִמֶּנּוּ תִּהְיֶיןָ קַרְנֹתָיו et bis eorum ſenſum explicant, nam de ſeparatione nihil in textu extat, quanquam ea neceſſaria eſt, ſi קרנות cum ipſo altari ejusque angulis ex ſolido facta ſunt. — Equidem non aſſentior illis, qui *cornuum* figuras in aræ angulis extitiſſe putant, cujus ſententiæ argumenta non ſatis firma allata videntur; nec tamen קרנות cum פנות prorſus ſynonyma eſſe arbitror, ſed in quatuor angulis quatuor eminentias extitiſſe. Quod verba textus, quantum ego quidem intelligo, clare dicunt, atque uſum etiam harum eminentiarum fuiſſe, a ſcriptoribus hebraicarum antiquitatum dudum eſt obſervatum.

habeant viginti, totidemque bafes ex ære, columnarum vero unci et velorum perticæ fint argenteæ. 11. Similiter in latere feptentrionali, vela centum cubitorum in longitudine, viginti columnæ, totidemque bafes æneæ, unci et velorum perticæ argenteæ. 12. Latitudo atrii in latere occidentali fit quinquaginta cubitorum cum decem columnis totidemque bafibus. 13. Latitudo atrii verfus orientem quinquaginta cubitorum. 14. Ab una parte habeat vela quindecim cubitos longa, cum tribus columnis et tribus bafibus. 15. Similiter etiam ab altera parte; quindecim cubitorum vela cum tribus columnis et tribus bafibus. 16. In introitu autem atrii fit fiparium viginti cubitorum ex filis cæruleis, purpureis, coccineis et byffo contorta, opus phrygionicum, cum quatuor columnis et quatuor bafibus. 17. Sic omnes undique atrii columnæ habeant perticas et uncos argenteos, bafes æneas. 18. Longitudo atrii fit centum cubitorum, latitudo quinquaginta, altitudo velorum ex byffo contorta fit quinque cubitorum, bafes fint æneæ, 19. nec non omnis tabernaculi fupellex; clavi quoque tum tabernaculi, tum atrii ænei fint. — 20. Tum præcipe Ifraelitis, ut tibi afferant oleum ex olivis expreffum, purum, pro candelabro, ad lucernas perpetuo alendas, 21. quas in tabernaculo conventus extra fiparium, quod eft verfus *arcam* legis, Aaron et filii ejus inftruent a

vespera usque ad tempus matutinum coram Jova. Tributum hoc sit ab Israëlitis in posterum perpetuo solvendum.

CAPUT XXVIII

Vestes sacerdotales Aaronis et filiorum ejus. a)

1. Aaronem vero, fratrem tuum, ejusque filios, Nadabum, Abihum, Eleasarem et Ithamarum, ex Israelitis secernere debes, ut mihi sint sacerdotes. 2. Atque Aaroni fratri tuo cures conficiendas vestes sacras, splendidas et ornatas. 3. Loquere igitur cum viris peritis, quos sapientia instruxi eximia, ut Aaroni vestes faciant, quibus ad sacerdotium meum initietur. 4. Vestes vero, quas facere debent, sunt hæ: Pectorale, Ephod, b) pallium, tunica adstrictior, cidaris et cingulum. Quibus sacris vestibus pro Aarone fratre tuo ejusque filiis sacerdoti-

a) Non defuit diligentia interpretum in hujus capitis difficultatibus explicandis. Data opera tamen hoc egit *Jo. Braunius*, qui amplissimum scripsit commentarium, cui titulum fecit: *Vestitus sacerdotum hebræorum.* Amstel. 1680. Ad quem lectores nostros inprimis remittimus, si harum vestium et singularum partium accuratiorem legere velint descriptionem et videre earum delineationem eleganter æri incisam. Nobis quidem per brevitatem, cui in notulis nostris studendum est, non licet verba et res pluribus illustrare.

b) Placuit vocabulum hebraicum retinere, cum in lingua latina non sit, quod descriptioni ejus omni ex parte respondeat

dotibus meis, conficiendis 5. adhibeant aurum, fila hyacinthina, purpurea, coccinea et byssina. 6. Ephodum quidem faciant ex auro, hyacintho, purpura, cocco et bysso contorta opere polymito. 7. Duo humeralia habeat, quibus in duobus extremis suis jungatur, 8. et textura *anteriori* parti *e*) oppo-

e) In textu hebræo est: וְחֵשֶׁב אֲפֻדָּתוֹ. Plerique interpretes vertunt חשב per *cingulum* aut *balteum*, ex auctoritate Chaldæi interpretis et Syri, qui habent הֶמְיָן. Hinc putant partem posteriorem Ephodi cingulo aut vitta quadam cum anteriori esse constrictam. Sed recte, uti arbitror, de hac significatione dubitavit *Clericus*, quoniam verbum חשב et substantiva ab eo derivata in hac pericopa semper de opere polymito dicuntur. אֲפֻדָּה vero ei est pars posterior Ephodi, quæ dorsum tegebat, quæ, uti anterior אֵפוֹד dicta, ex eadem materia facta esse debebat. — Aliam horum vocabulorum sane difficilium explicationem dedit *Hubigantius*. Qui quidem quoad חשב assentitur *Clerico*, sed אפדה de *limbo* explicat, qui alias diverso subtemine soleat fabricari, hic vero ejusdem texturæ esse deberet. Confert ad illam *limbi* significationem probandam Arab. أُفُنْ quod *terminum* s. *finem* rei indicat. (*Giggejus* p. 166.) Sed quoniam nimis quæsita mihi videtur hæc explicatio, illam præferendam putavi. Cur vero Chaldæus et Syrus חֵשֶׁב in septem his locis, in quibus de Ephodo adhi-

opposita ex eadem materia sit, ex auro, hyacintho, purpura, cocco, et bysso retorta. 9. Tum duabus gemmis onychibus incides nomina Israelitarum. 10. Sex nomina uni, totidem alteri pro ratione ætatis eorum. 11. Ex artificio opificis gemmarii, cælatura sigillari cælabis in his duabus gemmis nomina filiorum Israelis, easque aureis fundis includes. 12. Has duas gemmas impones humeralibus Ephodi, ut sint in memoriam Israelitarum, atque Aaron sic ferat eorum nomina super duobus humeris coram Jova in recordationem. 13. Præter has palas aureas 14. facies quoque duas catenulas ex auro puro æquales opere tortili, quas palis illis inferes. — — 15. Facies quoque pectorale judicii opere polymito, sicuti Ephodum ex auro, hyacintho, cocco et bysso retorta. 16. Quadratum sit et duplicatum longitudine et latitudine palmari. 17. Idque complebis quatuor gemmarum ordinibus. d) Primus ordo habeat Sardium, Topasum, Sma-

adhibetur, nempe infra vers. 27. 28. Cap. 29, 5. 39, 20. 21. Levit. 8, 7. tam constanter per הֶמְיָן *cingulum* vertant, divinare non possum. Num literis transpositis חֵבֶשׁ legerint? At septies hunc errorem admissum esse, parum probabile est. Versio græca et Vulgata sibi non constant.

d) Verissime observat Ill. *Michaelis* in notis ad vers. germ. cum

Smaragdum. 18. Secundus Carbunculum, Sapphirum, Jahalomum. 19. Tertius Ligyrium, Achatem, Amethyſtum. 20. Quartus Chryſolithum, Onychem et Jaſpidem: hæ gemmæ palis aureis includantur. 21. Sint vero numero duodecim, ſecundum nomina filiorum Iſraelis. Singulis vero gemmis ſingula nomina duodecim tribuum inſculpes, arte ea qua fit in ſigillis. 22. Pro hoc pectorali facies duas

cum harum gemmarum nomina hebraica linguæ cognatæ prorſus ignorent, incerta etiam eſſe, quæ eis ſubſtituantur. Antiquorum interpretum diſſenſus ſatis probat, eos tantum divinaſſe, hinc eorum verſiones æque incertæ ſunt, ac recentiorum interpretum explicationes ex originatione tantum petitæ. Ne tamen lectores peregrinis nominibus, ſi ea in verſione retinuiſſem, nimis offenderentur, poſui ea quæ verſio græca hebræis nominibus ſubſtituit, excepto ſexto Jahalomi. Quod quidem complures interpretes de adamante explicant, ſed falſo, uti recte notavit Ill. *Michaelis*, ex ratione, quæ quæſtionem prorſus decidit. Quoniam nempe adamas ſculpturam propter duritiem ſuam non admittit, non poteſt locum habere lapis hic omnium pretioſiſſimus in numero reliquorum, quibus ſingulis ſingularum tribuum nomina debebant inſculpi. Qui varias interpretum conjecturas, originationes, verſiones legere velit, adeat *Braunium* in libro laudato de Veſtitu ſacerdott. hebr. Lib. II. Cap. VIII. p. 627. ſeqq. *Lud. de Dieu* in Crit. S. ad h. l. *Hillerum* in Syntagmatt. hermenevt. p. 1. ſeqq.

duas catenas æquales opere tortili ex auro puro,
23. et præterea duos annulos aureos, quos duo-
bus pectoralis extremis annectes, 24. atque his
duas illas catenas aureas tortiles immittes in extre-
mitatibus pectoralis. 25. Extremitates vero harum
catenarum inferes palis illis duabus ſuperhumerali-
bus Ephodi in parte anteriori. 26. Porro facies
duos annulos aureos, quos addes duobus pectoralis
extremitatibus in ora quæ ad ipſum Ephodum ver-
git inferius. 27. Præterea duos *alios* annulos au-
reos facies, quos duobus ſuperhumeralibus Ephodi
inferius addes ex anteriore parte, in eo loco, ubi
illa duas Ephodi partes jungunt in ſuperiori ejus
textura, 28. et adſtringatur pectorale annulis ſuis,
annulis Ephodi funiculo hyacinthino, ut maneat ſu-
per Ephodo polymito neque ab eo dimoveatur.
29. Et ſic ferat Aaron nomina filiorum Iſraelis in
pectorali illo judicii ſuper pectore ſuo, quando ſan-
ctuarium ingreditur in perpetuam coram Jova re-
cordationem. 30. Et pones in pectorali judicii
Urim et Tummim, *c*) quæ ſint ſuper pectore Aaro-
nis,

c) De *Urim* et *Tummim* tot ſunt virorum doctorum ſententiæ, ut illa ipſa eorum diſſenſio abunde probet, quam difficile ſit hujus rei rationem et uſum explicare. Catalogum eorum, qui de ea re ſcripſerunt, ſatis prolixum dedit *Fabricius* in

nis, quando in conspectum Dei venit, et gestet semper illud *pectorale* judicii Israelitarum super pectore suo

* in Bibliogr. antiquaria p. 502. edit. recent. Cui addi possunt *Simonis* prælectt. in Relandi Antiqq. hebr. germanice editæ a *Mursinna* V. C. Halæ 1769. Ego quidem quanquam malim τὸ ἐπέχειν eligere, si dicendum est quæ maxime probabilis sententia videatur, eam putem esse eorum, qui ipsos illos lapides pretiosos hoc nomine Urim et Tummim insigniri putant. Verba quidem textus admittunt hanc explicationem. Nempe in hoc versu præcipitur, lapides illos debere esse lucidissimos et perfectissimos, cum in antecedentibus tantum descripti essent secundum nomina sua et ordinem, quo in pectorali essent collocandi. Maxime favent, ex meo quidem sensu, huic sententiæ loca parallela, in quibus Moses promiscue utitur nomine τῶν *Urim* et *Tummim* et lapidum pretiosorum. Sic Exodi 39, 8. seqq. ubi tota illa structura pectoralis quæ fuerit repetitur, nulla injicitur mentio τῶν Urim et Tummim, et Levit. 8, 8. loquitur Moses de Urim et Tummim et silet de lapidibus. Quidni videatur sub Urim et Tummim ipsos lapides intelligi, cum Moses alterum pro altero substituat? Quod ad modum attinet, quo Deus per hæc Urim et Tummim responsa dederit, existimant, qui illam sententiam defendunt, Deum summo pontifici, Ephodo et hoc pectorali ornato, suam voluntatem revelasse eodem modo quo prophetis, ut ille non minus atque hi de veritate responsi divini certus esse posset. Vid. *Braunius* l. c. p. 768. seqq. qui pluribus hanc sententiam ornavit.

suo in conspectu Jovæ. — 31. Pallium vero subter Ephodo *induendum* totum sit cæruleum, 32. habeatque in summo suo medio foramen, quod limbo circumdetur, texto ad modum loricæ, ne rumpatur. 33. In fimbria ejus circumquaque facies mala punica cærulea, purpurea, coccinea, et inter ea tintinnabula aurea 34. alternatim interponito. 35. Hoc indutus sit Aaron, si ministerio fungitur, ut audiatur sonitus ejus, quando sanctuarium Jovæ ingreditur, et quando ex eo egreditur, ne moriatur. — 36. Porro facies laminam ex auro puro, cui insculpes cælatura sigillari: Jovæ sacrum, 37. eamque funiculo cæruleo parti anteriori cidaris applicabis. 38. Gestare vero debet Aaron *hanc laminam* in fronte, ut pœnam peccati luat, si quod commissum fuerit ab Israelitis in rebus consecratis et omnino in omnibus oblationibus sacris. Semper igitur sit hæc lamina in fronte Aaronis ad favorem Jovæ eis conciliandum. — 39. Tunicam autem ex bysso texes et cidarim byssinam, cingulum vero facies opere phrygionico. — 40. Filiis quoque Aaronis facies tunicas et cingula et tiaras splendidas et ornatas. 41. His vestibus indues Aaronem fratrem tuum ejusque filios. Unges eos, et tradita muneris potestate, mihi in sacerdotium consecrabis. 42. Tandem eis facies linea femoralia, quibus partes corpo-

ris

ris verendas tegant; a lumbis ad femora tendant. 43. His Aaron et filii ejus fint amicti, quando tentorium conventus ingrediuntur, aut quando ad aram facrorum caufa accedunt, ne culpa admiffa moriantur. Hoc inftitutum perpetui ufus fit apud eos eorumque pofteros.

CAPUT XXIX

Præcipiuntur ritus in facerdotum confecratione obfervandi et facrificium quotidianum. Deus promittit, fe in hoc fanctuario gratiofe affuturum effe Ifraelitis.

1. Ceremoniæ vero, quibus eos mihi ad facerdotium confecrabis, fint fequentes: Sume juvencum, duos arietes, vitii omnis expertes, 2. porro panes fine fermento, placentas et lagana fine fermento. Illas oleo mixtas, hæc oleo infufa, quæ ex fimilagine parabis. 3. Hæc in caniftro pofita afferes, itemque taurum et duos arietes adduces *ad altare.* 4. Tum Aaronem et filios ejus ante oftium tabernaculi aqua lavabis. 5. Deinde illum veftibus indues, nempe tunica inferiori, tunica Ephodi, *a*) Ephodo ipfo et pectorali; atque fic textura illa polymita Ephodi *b*) amicies. 6. Impones quoque capiti ejus cidarim, cui facrum diadema inferes. 7. Tandem oleo

a) h. e. pallio illo cæruleo, de quo verf. 31. Cap. præced.
b) cf. notam *c*) ad cap. præcedens.

oleo unctorio super caput ejus effuso eum inunges. 8. Tum quoque filios ejus adduces, quos tunicis amicies, 9. et balteis (Aaronem æque ac ejus filios) constringes et tiaras alligabis; hac ratione jus sacerdotii in perpetuum eis conferatur, atque hujus muneris potestas solenni ritu tradatur. c) 10. Quo facto capiti juvenci ad tabernaculum conventus adducti Aaron et filii ejus manus imponent. 11. Tum vero juvencum coram Jova, hoc est, ad ostium tabernaculi mactabis. 12. Parte sanguinis digito tuo eminentias altaris intinges, omnem vero sanguinem ad basin altaris effundes. 13. Adipem omnem, intestina tegentem, lobum majorem hepatis, ambos renes et adipem eis adhærentem adolebis in altari. 14. Carnem juvenci, pellem et fimum ejus igne combures extra castra. Sacrificium hoc est piaculare. — 15. Tum alterum arietem adhibebis. Cujus capiti Aaron et filii ejus manus imponent. 16. Deinde eum mactabis et sanguine ejus altare undique consperges, 17. tum arietem in frusta concides, lavabis intestina et crura, et super frustis ejus et capite pones. 18. Tandem adolebis totum arietem super altari. Hoc solidum est sacrificium Jovæ sacrum eique acceptum,

c) hebr. est: et *implebis manum Aaronis et filiorum ejus*. Phrasis solennis est de collatione muneris. Adfuit Cap. 28, 41., ubi per consecrationem ad sacerdotium explicatur.

ptum, *d*) oblatio igne absumenda. 19. Quo facto alterum adhibebis arietem. Cujus capiti Aaron et filii ejus manus imponent, 20. ac deinde eum mactabis et aliquantum de sanguine ejus illines lobo dextræ auris Aaronis et filiorum ejus, nec non pollici manus dextræ et pollici pedis dextri, reliquo vero sanguine altare undique consperges. 21. Tum de sanguine eo super altari *consperso*, et de oleo unctorio sumes et asperges eo Aaronem et vestes ejus, nec non filios ejus eorumque vestes. 22. Tum adipem hujus arietis, nimirum caudam crassam, omentum, lobum minorem hepatis, ambos renes et adipem eis adhærentem, atque armum dextrum, (est enim aries consecrationis) 23. ex canistro vero azymorum coram Deo depositorum, panem unum et placentam et laganam unam, 24. omnia ista, inquam, impones manibus Aaronis et filiorum ejus, ut hæc agitando mihi offerant. 25. Deinde ea ex eorum manibus recipies et adolebis in altari super holocausto, in odorem placaminis coram me. Est enim oblatio igne absumenda. 26. Pectus autem hujus arietis, qua Aaron ad munus suum consecratur, agitando mihi offeres, tum tibi in partem cedet. 27. Sic consecrabis pectus et armum mihi agitando oblata ex arietibus illis initiationis Aaronis et filiorum ejus,

28.

d) cf. notam ad Genes. 8, 21.

28. ut eis ex jure competant perpetuo de omnibus Ifraelitis. Ex omnibus eorum victimis falutaribus hæc eorum oblatio fit mihi facra. — 29. Veftes Aaronis facræ cedent ejus filiis poft eum, ut in iis ungantur et ad munus fuum initientur. 30. Per feptem dies eas induat is, qui ex filiis ejus ei in facerdotio fuccedit, quando tabernaculum conventus ingreditur ad munus fuum capeffendum. 31. Aries confecrationis in loco facro coquatur, 32. eamque ut et panes e caniftro comedant Aaron et filii ejus ante oftium tabernaculi. 33. Ipfi vefcentur ea victima, qua expiati et ad munus fuum confecrati funt, non peregrini, quia facra eft. 34. Si quid de carne ejus aut de panibus reliqui fuerit in fequentem diem, igne comburatur; non fas eft illud comedere, eft enim facrum. 35. Hæ funt ceremoniæ obfervandæ in initiatione Aaronis et filiorum ejus. Per feptem dies eos muneris fui poteftate inftrues. 36. Quotidie juvencum ut facrificium expiatorium offeres, quo aram emundes, dum fuper ea expiabis, ungendo quoque eam confecrabis. 37. Septem dies durabit illa aræ expiatio et confecratio. Eft enim res omnium maxime facra, et quicunque eam attigerit, fanctus effe debet. — 38. Hac in ara fingulis diebus, binis agnis anniculis facies. 39. Altero quidem mane, altero circa vefpe-

vesperam. 40. Priori agno adhibeto decimam partem *Ephæ* similaginis mistæ cum quarta parte hini olei contusi; et pro libamine vini quarta pars hini. 41. Altero agno, circa vesperam offerendo facies, ut in oblatione matutina, eodemque libamine. Quæ grata mihi erit victima et oblatio igne absumenda. 42. Hoc erit holocaustum perpetuum per omnes ætates ante ostium tabernaculi mihi offerendum. Ibi vos conveniam et vobiscum loquar. 43. Ibi me Israelitis manifestabo atque majestatis meæ præsentia consecrabitur. 44. Hoc conventus tabernaculum et altare mihi sacra sint, nec non Aaron et filii ejus sacerdotes mei. 45. Sic habitabo inter Israelitas eorumque ero Deus. 46. Quod cum fecero, intelligent me Jovam eorum Deum esse, qui eos ex Aegypto eduxerit. Sic fatur Jova eorum Deus.

CAPUT XXX

De ara suffitus, de semisiclo in numeratione populi ab omnibus in usum sacrarii solvendo, de labro æneo in usum sacerdotum, de præparatione olei unctorii et suffitus sacri.

1. Item facies aram suffitus ex acaciæ lignis, 2. cujus longitudo et latitudo esto cubitalis, in forma quadrata, altitudo bicubitalis. Eminentiæ ejus *a*) ex integra materia constent. 3. Auro puro eam obduces,

a) cf. notam ad Cap. 27, 2.

duces, cum partem ejus superiorem, tum latera et eminentias. Corona quoque aurea eam cinges. 4. Sub qua in utroque latere binos annulos aureos addes, per quos vectes, quibus bajuletur, transjiciantur. 5. Qui vectes etiam ex acacia fabricentur et auro tegantur. 6. Hanc aram collocabis ante siparium, quod arcam legis tegit, e regione operculi, quod super illa arca est, unde tibi responsa dabo. 7. In ea adolebit Aaron suffitum aromatum singulis matutinis, quando lucernas aptat, 8. et quando circa vesperam eas accendit. Hic suffiendi ritus semper a vobis et posteris vestris servetur in mei honorem. 9. Alienum suffimentum super ea accendere non licet, neque holocausta, neque ferta, neque libamina fundere. 10. Semel quotannis eam expiabit Aaron in eminentiis ejus per sanguinem sacrificii piacularis. Quod itidem posteris vestris tradetur. Mihi, Jovæ, hoc sacrosanctum erit. — 11. Porro Jova Mosi dixit: 12. Quando censum inibis Israelitarum, quisque pro vitæ suæ redemtione mihi pretium solvat, ne in eo censu peragendo clade afficiantur. 13. Solvent vero omnes qui in censum veniunt, dimidium siclum, sicli nempe sacri, qui valet viginti geras. Quod sicli dimidium mihi solvitur. 14. Dabunt illud omnes qui censorum numero habentur, nempe qui vicesimum ætatis annum

excef-

excesserint. 15. Dives non plus, nec pauper minus dimidio siclo conferet ad hanc oblationem, quam mihi facere debetis pro vita vestra redimenda. 16. Quam pecuniam expiatoriam ab Israelitis solvendam insumes in usum tabernaculi. Ego vero propter hanc oblationem vitæ eorum propitius ero. — — 17. Porro Jova Mosi dixit: 18. Facito labrum æneum cum operculo æneo, *b*) idque intra tabernaculum

b) Vocabulum hebraicum כַּנּוֹ a plerisque interpretibus per *basin* aut *scapum* explicatur. Sed Dagesch forte innuit radicem mediæ geminatæ, non mediæ quiescentis. Igitur recte, uti arbitror, *Lud. de Dieu* in Crit. S. ad h. l. ex lingua arabica confert כנן *texit*. Hinc substantivum כֵּן *tegmen*, s. *operculum*, non solum huic loco, sed etiam aliis est aptissimum. Quod paucis quidem *Lud. de Dieu* l. c. pluribus vero *Clemens* probavit in Differt. de *labro æneo* (Grœningæ 1732.) Cap. III. Nam præter argumentum illud grammaticum alia quoque pro hac sententia afferri possunt non contemnenda. Usus quidem, cui hoc labrum destinatum fuit, necessarium fecit, ut operculo esset obtectum. Nam quis non intelligit, aquam facile potuisse inquinari, cum vas sub dio, non in loco tecto esset collocatum? Deinde Moses, quoties hujus labri mentionem injicit, inprimis in initiatione ejus et consecratione, 30, 28. 31; 9. 35, 16. 38, 6. etc. semper et τῶ כן meminit. Jam vero non apparet, cur hoc fecerit, si כן *basin* vel *scapum* notat,

culum conventus et inter altare ponito et aqua impleto. 19. Ex eo Aaron et filii ejus manus et pedes lavabunt. 20. Idque facient, quando tabernaculum conventus ingrediuntur, aut quando ad aram accedunt ad ministrandum et sacrificia adolenda. 21. Semper hoc agant manibus pedibusque lotis, ne morte puniantur. Lex hæc sit ab eis et posteris eorum per omnes ætates servanda. — 22. Porro Jova Mosi dixit: 23. Sume aromata præstantissima, myrrhæ optimæ quingentos *siclos*, cinnamomi dimidium, ducentos quinquaginta, totidemque calami odorati. 24. Casiæ quingentos (pro siclo sancto) et hinem olivi olei. 25. Ex his facies oleum sacræ unctionis secundum artem unguentariorum. 26. Hoc sacro unguento unges tabernaculum conventus, arcam legis, 27. mensam et vasa ejus, candelabrum et vasa ejus, aram suffitus, 28. aram holocaustorum et vasa ejus, et labrum cum operculo suo. 29. Quo facto ea consecrabis. Sacrosancta sint; quicunque ea tetigerit, sanctus sit. 30. Aaronem quoque et filios ejus unges et ut sacerdotes meos consecrabis. 31. Israelitis vero præcipe, ut hoc unguentum inposterum mihi sacratum habeant. 32. Nec ullum

notat, unamque cum labro partem effecerit. Quodsi separata et distincta ejus pars fuit, utique necesse erat, ut utriusque faceret mentionem.

ullum alium hominem *præter sacerdotes* eo perfundant, nec eadem compositione *sibi* unguenta faciant, sacram eam ducant. 33. Qui simile unguentum fecerit, aut peregrino de eo dederit, is exscindatur de populo suo. — 34. Porro Jova Mosi dixit: Sume aromata, stactem, onychem, galbanum, et thus mundum, singula æquali pondere. 35. Ex his facies suffimentum ex arte unguentariorum, adhibito sale puro et sancto. 36. Hujus pulveris bene contusi partem repones arcæ legis ex adverso in tentorio conventus, unde tibi responsa dabo. 37. Ex hujus suffimenti, quod vobis sanctissimum habeatur, compositione aliud vobis non facietis. Mihi hoc sacratum ducatis. 38. Qui simile composuerit ad communem usum, is exscindatur e populo suo.

CAPUT XXXI.

Deus Mosi nominatim indicat opifices, quos his rebus perficiendis necessaria sapientia instruxerit. Interdicit tamen laborem sabbato suscipiendum, tandemque legis tabulas Mosi tradit.

1. 2. Destinavi autem nominatim, pergebat Jova ad Mosen, *his rebus perficiendis* Bezaleelem, filium Uri, nepotem Churi, e tribu Juda. 3. Hunc eximia sapientia, prudentia et intelligentia instruxi ad omnis generis opificia. 4. In artificiosa textura, in auro,

argento et ære tractando, 5. in lapidibus cælandis et ligandis, in lignis fabricandis et omnino in omni opificio. 6. Cui addidi Oholiabum filium Achimafachi e tribu Danis. Atque reliquis quoque artificibus peritiam contuli, ad ea, quæ tibi præcepi, perficienda. 7. *Nempe* tabernaculum conventus, arcam legis, ejusque operculum et omnem tabernaculi supellectilem. 8. Mensam et quæ ad eam pertinent, candelabrum aureum et omnia vasa ejus, aram suffitus 9. et aram holocausti cum omnibus instrumentis suis, labrum cum operculo suo. 10. Vestes stragulas a) et

a) Hebraice vocantur בִּגְדֵי הַשְּׂרָד sub quibus nonnulli interpretes easdem sacras vestes sacerdotales Aaronis et filiorum ejus intelligunt, quæ in verbis proxime sequentibus nominantur. Versiones antiquæ in h. l. et duobus aliis 35, 19. 39, 1. 41. in quibus hoc vocabulum שְׂרָד occurrit, videntur legisse שרת. Quam lectionem etiam exhibet Codex Samaritanus in h. l. nec tamen in duobus reliquis. Fortasse vero voces similes confuderunt. Judæi vertunt quidem per vestes ministerii, sed non de vestibus sacerdotalibus explicant, sed de velis s. stragulis, quibus arca, mensa, candelabrum et reliqua vasa sacra involvebantur, quando tabernaculum in alium locum erat transferendum. De quibus præcipitur Num. 4, 6. seqq. Quæ sententia mihi quoque probatur, quanquam illustrationem vocis rarioris ex linguis cognatis desidero. Arab.

سرد

et veſtes ſacras Aaronis et filiorum ejus ſacerdotales. 11. Oleum unctorium et ſuffimentum aromaticum ad uſum ſacrum. Omnia perficient ſicuti tibi præcepi. — 12. Tu vero, addebat Jova, 13. dic Iſraelitis meo nomine: Attamen mea ſabbata obſervate, *b*) hæc enim ſignum eſſe debent meæ vobiscum conjunctionis, ex quo intelligatur, me vosmet mihi conſecraſſe. 14. Igitur ſervate ſabbatum, ut ſancte illud peragatis. Quicunque illud profanarit, moriatur. Quicunque in eo opus fecerit, e populo ſuo exſcindatur. 15. Sex dies laboribus deſtinati ſunt, ſeptimus ſabbatum eſt, feriatio Jovæ ſacra. Quicunque die ſabbati opus fecerit, morte luat. 16. Propterea Iſraelitæ ſabbatum rite peragant, et hujus diei inſtitutum etiam poſteri eorum in perpetuum

سمك *conſeruit*, *contexuit*, non quidem prorſus alienum videtur, ſed tamen dubito, an idem ſit cum noſtro.

b) Non de quovis labore ſermo eſt, ſed de laboribus in rebus his ſacris perficiendis die ſeptimo. Poterant enim Iſraelitæ exiſtimare labores, quos rebus Deo ſacris impenderent, licitos eſſe. Sed his quoque Deus vult abſtineri die ſabbati. Quo nexu neglecto plane non apparet, cur Deus in fine deſcriptionis ſacrarii ſibi exſtruendi præceptum repetat de ſabbato diligenter obſervando. — אַךְ interdum per *verumtamen* explicandum eſſe, alia loca probant, v. c. Geneſ. 34, 15. 2 Sam. 3, 13. 2 Reg. 23, 26.

petuum obſervent. 17. Signum hoc ſit meæ cum Iſraelitis conjunctionis ſempiternum. Sex diebus cælum et terram produxi, ſeptimo ceſſavi et requievi. — 18. Finito hoc cum Moſe colloquio tradidit ei *Jova* duas legis tabulas, digito divino inſcriptas.

CAPUT XXXII

Moſe per tot dies abſente populus ab Aarone poſtulat, ut imaginem Dei fingat, ſub qua eum colat. Ille vitulum aureum fundit, cujus ſacra celebrat. Moſes hac de re certior factus a Deo redit e monte in caſtra, tabulas legis præ ira frangit, vitulum comminuit, Aaronem objurgat, per Levitas de populo pœnas ſumit, et pro eo apud Deum intercedit.

1. Interea populus cum videret Moſen poſt tot dies a monte non redire, Aaronem convenit, et flagitavit ut Deum ſibi faceret, qui ipſum præcederet, neſcire ſe quid evenerit Moſi, a quo ex Aegypto educti eſſent. 2. Aaron juſſit eos evellere mulieribus ſuis, filiis et filiabus inaures aureas, et ad eum conferre. 3. Quod cum omnes feciſſent, 4. *Aaron* ſumſit *aurum*, quod ab eis acceperat, et formavit illud cælo, poſtquam vitulum fuſum *ex eo* fecerat. De quo illi *exultabundi* dixere : hic eſt Deus veſter, Iſraelitæ, qui vos ex Aegypto eduxit. 5. Quod cum Aaron videret, exſtruxit quoque ei

aram

aram, atque in sequentem diem festum Jovæ celebrandum indixit. 6. Postridie igitur mane holocausta et eucharistica sacrificant, atque commessationibus et compotationibus peractis ad saltationes solennes sese convertunt. — 7. Tum Jova Mosi dixit: age descende, nam populus tuus, quem ex Aegypto eduxisti, graviter peccavit. 8. Repente a via recesserunt, quam eis sequendam præceperam, fusum vitulum sibi fecerunt, hunc adorant, huic sacrificant, de hoc gloriantur, hunc esse Deum, qui eos ex Aegypto eduxerit. 9. Video hunc populum esse pertinacissimum. 10. Sine me, et ardente ira mea eos consumam et ex te magnam gentem faciam orituram. 11. Ad hæc Moses enixe precatus est Jovam: Cur irasceris populo tuo, quem ex Aegypto tanta vi, tanta potentia eduxisti? 12. Cur dicant Aegyptii, factum hoc esse in ejus perniciem, ut eum in montibus interficeres et e terrarum orbe tolleres? Contine iræ tuæ fervorem et abstine a pœnis populo tuo infligendis. 13. Recordare Abrahami, Isaaci et Israelis, cultorum tuorum, quibus tu interposito jurejurando promisisti, eorum posteros augere sicuti stellas, eisque terram designatam in perpetuam possessionem distribuere. 14. *Ad has Mosis preces* Jova se abstinuit ab illa, quam populo suo minatus fuerat, pœna. 15. Ille igitur de monte descendit duas legis

tabulas secum ferens, ex geminis lateribus hinc inde conscriptas. (16. Erant vero illæ tabulæ opus ipsius Dei, scriptura eis erat divinitus insculpta.) 17. Josua, cum audiret populi clamores, dixit Mosi: belli clamorem in castris audio. 18. Non hic est, inquit ille, clamor adhortantium ad pugnam, neque clamor succumbentium, cantantium vocem audio. 19. Cum igitur propius ad castra venisset, vidit vitulum et choros. Hic ira correptus Moses abjecit e manu tabulas, ut ad radices montis frangerentur. 20. Deinde sumsit vitulum, quem fecerant, combussit a) *quæ comburi poterant*, reliqua in pulverem contudit, et sic omnia in aquam sparsa Israelitis dedit

a) Verba textus habent: *et combussit igne, et contrivit donec comminutum esset;* de quibus multa disputata sunt ab interpretibus. Alii de modo et ratione rei narratæ tantum quæsiverunt, alii fidem ejus suspectam habuerunt, quoniam constat, aurum non comburi, neque in cinerem redigi posse. — Placet solutio dubii, quam Ill. *Michaelis* dedit: *Igne combussit Moses*, quæ comburi poterant. Nam perquam probabile videtur, vitulum non ex auro solido conflatam fuisse, sed figuram ligneam auro obductam. Majori auri pondere opus fuisset, quam quod ex inauribus potuisset colligi. — Igitur Moses *combussit* de vitulo aureo, quæ comburi poterant, nempe lignum. Deinde *aurum* comminuit et contrivit in partes tenuissimas. Quod fieri posse, constat inter omnes.

dedit bibenda. 21. Aaroni vero dixit Moſes: quid tibi fecit populus hicce, ut tanto ſceleri eum obnoxium faceres? 22. Cui ille, noli iraſci, domine, inquit, noſti hujus populi perverſitatem. 23. Dixerunt mihi: fac nobis Deum, qui nos præcedat. Neſcimus enim quid viro illi, Moſi, qui nos ex Aegypto eduxit, acciderit. 24. Tum juſſi, ut aurum, quod haberent, ad me conferrent: ex quo, cum in ignem abjeciſſem, extitit hicce vitulus. 25. Cum autem Moſes populum paſſim diſſolutum videret, quia juſſu Aaronis feſtum celebrabat, et facile cædi poſſe, ſi quis eum aggrederetur; *b*) 26. ſubſtitit in porta caſtro-

b) Locus eſt perquam difficilis. *Vidit Moſes populum* כִּי פָּרֻעַ הוּא ad quæ omnes interpretes ſubſtantivum ſupplent, quoniam פרע per *nudatum*, aut *ſpoliatum* vertunt, ut intelligatur, quanam re populus dicatur nudatus, aut ſpoliatus. Igitur alii *inaures* ſupplent. Inepte. Nam hanc jacturam Moſes profecto parum curavit. Alii *gratiam* et *præſidium* Dei, alii *legem* intelligunt. Equidem malim verbum פרע de *populo diſſoluto* ad ferias iſtas celebrandas explicare; quod ſequentibus bene convenit כִּי פְרָעֹה אַהֲרֹן nam verſu quinto narratum eſt feſtum hoc juſſu Aaronis eſſe celebratum. לְשִׁמְצָה בְּקָמֵיהֶם Verbum שמץ ἅπαξ λεγ. ex linguis cognatis illuſtrandum, poteſt cum شمص *percutere*, *verberare*, conferri. (quod non ex-

tat

castrorum et proclamavit: qui eum Jova facit, ad me accedat. Et convenerunt ad eum omnes Levitæ. 27. Quibus dixit: Jubet Jova, ut succincto gladio castra iteratis vicibus transeatis, et occidatis fratres et amicos et cognatos. 28. Fecerunt Levitæ, uti Moses jusserat, et ceciderunt de populo eo die circiter tria millia. 29. Præterea Moses *Levitis* dixerat: Initiate vos hodie ad cultum Jovæ, si vel filius, aut frater esset, vosque hoc beneficio dignos præstate. — 30. Postridie Moses populo demonstrat, quantum scelus commisissent: propterea se velle jam montem ascendere ad Jovam, si forte veniam peccati posset impetrare. 31. Igitur cum ad Jovam rediisset, grave peccatum, inquit, populus commisit, fecit sibi Deum aureum. 32. Quodsi ei condonaveris, *felicem me existimabo*, sin minus, dele me ex catalogo *viventium*, quem consignasti. 33. Respondit Jova Mosi: qui in me peccaverit, eum delebo. 34. Jam quidem perduc populum, quo te jussero. Præcedet te meus angelus. Quando autem tempus meum pœnarum venerit, puniam eorum

tat in *Golio*, sed in *Giggejo* et *Castelli*.) Nam in sequenti versu, cujus hic rationem reddit, sermo est de cæde, quam Levitæ in illis feriantibus et bacchantibus patrare debebant, qui ne per Mosis quidem præsentiam poterant revocari ab illis feriis. Tabernacula enim ingressi non sunt Levitæ.

rum peccata. 35. Intulerat vero jam cladem populo Jova propter vitulum, quem Aaron ex ejus voluntate fecerat. *c*)

CAPUT XXXIII

Deus minatur, non ipsum, sed angelum ducem populi in posterum futurum esse. Quod Moses precibus avertere studet, et tandem a Deo impetrat. Optat Deum videre.

1. Dixit igitur Jova ad Mosen: age, perge cum populo, quem ex Aegypto eduxisti; in terram illam bonam lacte et melle abundantem, quam jurejurando interposito Abrahamo, Isaaco et Jacobo promisi eorum posteris me daturum esse. 2. Mittam ante te angelum, *a*) qui expellet Cananitas, Amoritas, Chittæos, Pheresitas, Chivvæos et Jebusitas. 3. Ipse vero non proficiscar inter vos, homines enim estis pertinacissimi, ne in ipso itinere vos consumam. 4. Cum vero populus triste hoc nuncium audiret, luxerunt et a vestitu ornatiori abstinuerunt. 5. Tum Jova

c) Sine dubio morte repentina multi sublati sunt. Nonnulli interpretes hanc cladem non diversam esse volunt ab ea, de qua antea narratum est. — Prius עשה in posteriore membro de voluntate populi est explicandum.

a) cf. Cap. 23, 21. nota *c*).

Jova Mosen jussit populo dicere: homines estis contumacissimi, parum abest quin in vos irruam et vos deleam. Jam quidem deponite ornatum vestrum, usque dum videro, quid vobis faciam. 6. Exuerunt igitur Israelitæ sese vestibus suis ornatioribus juxta montem Horebum. — 7. Deinde Moses tentorium extra castra, procul ab eis tetendit, idque tentorium conventus vocavit. Igitur qui Jovam volebant consulere, ad illud tentorium extra castra egrediebantur. 8. Et quando Moses se eo conferebat, assurgebant omnes et stabant ante tabernacula sua spectantes post eum donec eo venisset. 9. Tunc enim nubes se demittebat, et subsistebat in introitu tentorii, et loquebatur cum Mose. 10. Omnes vero videbant illam nubem ante tentorium, et supplices eam, quisque e tabernaculo suo, venerati sunt. 11. Loquebatur autem Jova cum Mose oretenus, ut solet præsens cum præsente. Quando ad castra redibat, tamen famulus ejus Josua, filius Nunis, qui ei ministrabat, a tentorio non discedebat. — 12. Tunc Moses Jovæ dixit: Tu quidem me jussisti populum ducere, sed mihi non indicasti, quem mecum sis missurus: et tamen mihi declarasti, te præ aliis mihi favere et bene velle. 13. Si me gratia tua dignaris, indica mihi, quæ sit tua circa

ea hunc populum (qui certe tuus est) voluntas. *b*) Sic enim intelligam, te mihi favere. 14. Respondit Jova: ipse præsens me tibi ducem præbebo. 15. Tum Moses, nisi tu ipse nobis præsens sis, inquit, ne nos inde abduxeris. 16. Ex quo enim cognosci poterit, te mihi et populo tuo favere? nonne ex eo, si nobiscum iveris? quæ mea et populi tui, præ omnibus aliis totius terrarum orbis populis, singularis erit prærogativa. 17. Respondit Jova Mosi: in eo quoque tibi concedam, nam multum apud me gratia vales, et tibi præ aliis faveo. 18. Tum hic ostende, quæso, inquit, mihi majestatem tuam. *c*) 19. Ego, inquit ille, transmittam omnem bonitatem meam ante te, atque exclamabo: Jova est ante

te,

b) Ordinem verborum perspicuitatis causa mutavi. Pertinent hæc ad intercessionem Mosis pro populo, quod ex responsione Dei apparet.

c) Postquam Moses precibus suis hoc a Deo impetraverat, ut vellet in posterum quoque, uti hactenus, ipse dux populi esse, jam paullo audacior factus, pro se orat, optatque gloriam f. majestatem Dei videre. Hactenus Moses Deum tantum in symbolo nubis aut ignis viderat, jam specialiorem adhuc Dei revelationem non audire, sed videre volebat. Qualem Dei visionem Moses cogitarit, nemo dixerit. כבוד majestatem Dei invisibilem alias etiam indicat, qualis est in summa sua beatitudine, et qua se exhibet angelis et beatis, de qua nos in hac vita nihil intelligimus.

te, *d*) (nam cui faveo, huic impenſe faveo, et quem amo, hunc valde amo.) 20. Me ipſum vero videre non potes. Homo enim, dum vivit, me videre non poteſt. 21. Eſt locus apud me, addebat Jova, ubi in petra ſtabis. 22. Quando tunc majeſtas mea tranſibit, ducam te in fiſſuram petræ, et tegam te manu mea donec tranſiero. 23. Qua deinde remota videbis me a tergo, facies vero mea videri non poteſt.

CAPUT XXXIV

Jubetur Moſes novas parare legis tabulas et montem denuo aſcendere. Videt ibi Deum, ſed a tergo. Repetuntur leges nonnullæ populo inprimis injungendæ. Facies Moſis lucet ex illo cum Deo colloquio, quam propterea tegit, ſi ad populum loquitur.

1. Porro Jova Moſi dixit: Incide duas tabulas lapideas prioribus ſimiles, quibus eadem verba inſcribam, quæ fuerunt in prioribus, quas fregiſti: 2. et paratus eſto in diem craſtinum, quo montem Sinai mane aſcendes, meque in ejus vertice præſtolare. 3. Nemo vero tecum aſcendat, nec quisquam in toto monte conſpiciatur; nec pecus aut armentum circa montem paſcat. 4. Igitur Moſes paravit duas lapideas tabulas

d) בְּשֵׁם יְהוָה לְפָנֶיךָ Beth h. l. eſt Beth nominativi, ut Cap. 33, 19. et ſæpe. vid. *Glaſſius* p. 31. et 586.

las prioribus similes, et postridie mane montem Sinai ascendit, quemadmodum Jova jusserat, secum ferens duas tabulas lapideas. 5. Tum Jova in nube descendit, et juxta eum substitit atque exclamavit: Jova adest: 6. et cum Jova ante eum transiret, clamavit: Jova, Jova, Deus misericors et benignus est, longanimis, insigni gratia et veritate. 7. Benignum se exhibet ad millesimam ætatem, condonat iniquitatem, defectionem et peccatum. Non prorsus perdit impium *a*), punit patrum peccata in filiis et nepotibus ad tertiam et quartam usque ætatem. 8. Tum Moses confestim supplex humi procubuit, 9. et dixit: Si quid gratia apud te valeo, Domine, rogo, ut nos comiteris. Quanquam enim hic populus pertinacissimus est, tamen tu peccatis et delictis

a) Plerique interpretes verba textus נַקֵּה לֹא יְנַקֶּה vertere solent: *non impune dimittit impium.* Recte quidem quoad sententiam atque etiam verbi נקה significationem, sed non satis apte quoad contextum, aut reliqua Dei attributa h. l. laudata. Celebratur enim Dei benignitas variis phrasibus, quæ se inprimis manifestat remittendis peccatis. Quibus non satis convenire videtur comminatio justitiæ divinæ in impios. Sed נקה etiam significat *vastare, perdere,* v. Zach. 5, 3. quæ notio misericordiam Dei egregie pingens contextui aptissima videtur. Ita *Lud. de Dieu* in Crit. S. ad h. l. ubi ex significatione primaria verbi נקה *vacuum esse* diversas ejus significationes bene derivavit.

ctis nostris condonabis, nosque ut tuum populum tractabis. 10. Ad hæc Jova: promitto, *b*) me mira patraturum esse coram hoc populo, qualia non exstiterunt in ulla gente totius terrarum orbis, et universus hic populus, in quo tu versaris, facta mea stupenda videbit, quæ tua gratia facturus sum. 11. Observa vero, quæ tibi hodie præcipio: Expello ante te Amoritas, Cananitas, Chittæos, Pheresitas, Chivvæos et Jebusitas. 12. Cave tibi ne fœdus cum incolis hujus terræ, quam occupabis, ineas, quod tibi futurum esset perniciosum. 13. Aras eorum destruere, statuas frangere, lucos exscindere debebis. 14. Alios enim Deos nequaquam adoretis. Ego Jova socium ferre non possum, Deus sum zelotypus. 15. Ne fœdus pangatis cum incolis hujus terræ. Verendum enim est, ne ad Deos eorum colendos seducamini iisque sacrificetis, aut ad epulas eorum sacrificales invitati de eis comedatis, 16. aut filias eorum vestris filiis uxores ducatis, quæ idola sua colentes filios quoque vestros ad eandem idololatriam seducant. 17. Fusam Dei imaginem ne vobis faciatis. 18. Festum azymorum celebrate, ita ut per septem dies azymis vescamini, quem-

b) Ad verbum est: *ecce ego fœdus pango coram omni populo.* Sed statim explicatur, in quo futurum sit illud בְּרִית.

quemadmodum vobis præcepi, et quidem tempore constituto, mense Abib; quo mense ex Aegypto exiistis. 19. Omnia primogenita mea sunt, etiam de gregibus vestris, armenti et pecoris primogenita mihi dabitis. 20. Asini vero primogenitum agno debetis redimere. Quod, si facere nolitis, cervicem ei frangite. Filios vestros primogenitos redimetis, neque vacui coram me comparebitis. 21. Per sex dies laborabitis, septimo feriemini, etiam messis et sementis tempore. 22. Festum septimanarum celebrabitis in primitiis messis triticeæ et festum collectionis *frugum autumnalium* vergente anno. 23. Ter quotannis compareant omnes mares coram me, domino Jova Deo Israelitarum. 24. Nam ejectis ante vos gentibus terminos vestros amplificabo, nec quisquam desiderabit terram vestram aggredi, quando ter quotannis vos Jovæ Deo vestro sistetis. 25. In sacrificiis mactandis fermentum ne adhibeatis, neque in crastinum diem servetur aliquid de sacrificio paschali. 26. Primitias frugum conferre debetis ad locum mihi sacrum. Ne coquatis hœdum in lacte matris suæ. c) 27. Deinde jussit Jova Mosen has leges literis consignare, quoniam sub harum conditione illas ei et Israelitis dedisset promissiones. 28. Exegit autem Moses illic apud Jovam quadraginta

c) cf. notam ad Cap. 23, 19.

ginta dies totidemque noctes sine cibo et potu, atque tabulis illis inscriptæ erant conditiones harum promissionum, nempe decem præcepta. 29. Cum vero e monte descenderet (habebat vero secum duas legis tabulas) nesciebat faciem suam radiare ex illo cum Deo colloquio. 30. Quod cum Aaron et Israelitæ viderent, veriti sunt propius ad eum accedere. 31. Sed revocati a Mose redierunt Aaron et principes cœtus, et locutus est cum iis. 32. Deinde accesserunt etiam reliqui Israelitæ, quibus injunxit has leges, quas a Jova in monte Sinai acceperat. 33. Quando Moses ad eos loquebatur, velamen faciei suæ imposuit. *d*) 34. Sed quando Deum

d) Hunc et duos sequentes versus multi interpretes non satis accurate vertunt. Nimirum offendunt in verbo וַיְכַל quod vertunt: *cum absolvisset loqui cum Israelitis, posuit velamen super facie sua*, atque hinc colligunt Mosen tantum in familiari consuetudine, non quando nomine Dei cum populo loquebatur, velamen faciei imposuisse. Sed sic primo manifeste contradicunt apostolo Paullo, qui dum 2 Cor. 3, 13. ministros Nov. Test. cum Mose comparat, diserte dicit, illos *non instituere* ut Mosen etc. Si igitur Moses, ut doctor populi velamine sese velavit, necesse est, ut populo etiam sic exposuerit; deinde tempus velatæ faciei clare indicatur versu 34. et 35. עַד צֵאתוֹ et עַד בֹּאוֹ, et tandem scopus sumti velaminis hoc requirit, qui fuit ut im-

Deum accedebat, locuturus cum eo, depofuit velamen, usque dum exiret et referret ad Ifraelitas, quæ a Jova juffus effet. 35. Tunc enim velamine illo iterum faciem fuam contexit, quoniam Ifraelitæ fplendorem ejus, quo cutis radiabat, non poterant fuftinere, usque dum rediret ad Jovam cum eo locuturus. e)

CAPUT

imbecillitati et terrori Ifraelitarum confuleret. Non obftant verba verfus 33. extrema, dummodo regula obfervetur: Ex duobus membris per Vau copulatis pofterius habitum et conditionem prioris indicat, et latine per ablativum abfolutum verti poteft: Sic h. l. *impofito velamine abfolvit Mofes loqui.* Alia hujus regulæ exempla funt: Nehem. 11, 6. Jef. 39, 1. Ezech. 4, 6. Verbum vero כלה explicandum h. l. eft ex Reg. III. apud *Glaffium* de Verbo p. 188. verba completiva interdum inchoative fumi atque initium et continuationem complecti. Rarior h. l. eft conftructio fequente Mem, frequentior fequente Lamed. Illa indicat plenariam rei perfectionem, ita ut ab opere defiftas. v. c. Jof. 19, 51. Job. 33, 21. Plura vide in *Venemæ* Differtatt. S. Lib. I. Cap. VII. p. m. 142. feqq.

e) Hic verfus ex more Hebræorum narrandi idem dicit, quod præcedens, cum levi fententiæ variatione. Ad verbum ita habet: *Cum viderent Ifraelitæ faciem Mofis radiantem, iterum texit eam velamine, donec ingrederetur ad colloquendum cum eo,* fc. Jova.

CAPVT XXXV

Moses refert ad populum voluntatem Dei de observanda feriatione die septimo et de donariis ad sanctuarium ei exstruendum.

1. Cum vero Moses omnes populi Israelitici legatos convocasset, hunc in modum ad eos verba fecit: hæc sunt quæ Jova vobis præcipit. 2. Sex diebus res vestras curate, septimus vero vobis sanctus sit. Sabbatum est Jovæ sacrum. Quicunque in eo laborarit, moriatur. 3. Neque ignem accendere debetis a) in ædibus vestris die sabbati. 4. Porro Moses his Israelitarum legatis dixit: 5. Jova jubet ut sibi donaria conferatis. Quicunque hoc sua sponte facere vult, potest hujusmodi donaria afferre: Aurum, argentum, æs. 6. *fila* cærulea, purpurea, coccinea, byssum, et *pilos* caprinos, 7. pelles arietum rubras, pelles phocarum, et acaciæ ligna, 8. oleum pro candelabro, et aromata ad unguentum et ad suffimentum, 9. onychas, gemmas insitivas pro Ephodo et pectorali. 10. Qui sunt vero inter vos periti artifices, veniant et perficiant, quæ Jova præcepit: 11. Tabernaculum cum suo tentorio, tegumento, uncinis, asseribus, repagulis, columnis et basibus. 12. Arcam cum vectibus suis, operculum et siparium, quo tegatur. 13. Mensam cum suis vectibus et vasa ejus omnia, item-

que

a) scilicet, ad cibos parandos.

que panes appofititios. 14. Candelabrum cum vafis fuis et lucernis, nec non oleum ejusdem. 15. Altare fuffitus et vectes ejus, oleum unctorium, fuffimentum et fiparium oftii ipfius tabernaculi. 16. Altare victimarum cum opere fuo reticulato, vectibus et reliquis vafis fuis, itemque labrum cum operculo fuo. *b*) 17. Aulæa atrii, columnas et bafes, itemque fiparium ad introitum atrii. 18. Clavos tabernaculi et atrii, nec non funes ejus. 19. Veftes ftragulas *c*) ad minifterium rerum facrarum, et veftes facras Aaronis facerdotis, itemque veftes filiorum ejus — 20. Cum difceffiffent Ifraelitarum legati a Mofe, 21. venerunt omnes, qui animi fui liberalitate incitati erant, et fponte offerebant donaria Jovæ ad perficiendum tabernaculum conventus et ad fupellectilem ejus et ad veftes facras neceffaria. 22. Viri et fœminæ fua fponte afferebant fibulas, inaures et annulos, globulos et alia pretiofa aurea tanquam donaria Jovæ. 23. Qui *lanam* cæruleam, purpuream, coccineam, *pilos* caprinos, aut pelles arietum rubras, aut pelles phocarum habebant, eas obtulerunt. 24. Alii argentum et æs tanquam munera Deo confecrarunt, alii acaciæ ligna ad ufum operis perficiendi. 25. Mulieres

b) cf. Cap. 30, 17. not. *b*)

c) cf. Cap. 31, 10. not. *a*)

lieres peritæ nerunt *lanam* cæruleam, purpuream, coccineam, et byssum. 26. Aliæ hujus artis gnaræ nerunt pilos caprinos. 27. Principes obtulerunt gemmas, onychas et gemmas insitivas ad Ephodum et pectorale, 28. aromata ad oleum et candelabrum, ad unguentum et suffimentum. 29. Et omnes omnino viri et fœminæ animis suis excitati ad offerenda ea quæ inservire possent rebus jussu Dei perficiendis, obtulerunt ea ut spontanea donaria Jovæ. 30. Simul Moses Israelitis indicavit: Jovam destinasse *his rebus perficiendis* Bezaleelem, filium Uri, nepotem Churi, e tribu Juda, 31. hunc insigni sapientia, prudentia et intelligentia instruxisse ad omnis generis opificia, 32. ad artificiosam texturam, ad aurum, argentum et æs scienter tractandum, 33. ad gemmas cælandas et inserendas, ad ligna fabricanda, et ad omnia alia opificia. 34. Præterea posse eum alios quoque his in rebus instituere. Socium ejus esse debere Oholiabum, filium Achisamachi, e tribu Danis. 35. His sapientiam et peritiam impertiisse ad perficienda opera fabrilia, polymita, acu picta, in *lana* cærulea, purpurea, coccinea, in bysso et textorio opificio, et ad alia opera texturæ polymitæ.

CAPUT

CAPUT XXXVI

Aggrediuntur artifices labores suas. Populus liberaliter confert donaria plura quam opus est. Descriptio tentorii ipsius cum suis tegumentis, asseribus, aulæis.

1. Aggressi igitur sunt Bezaleel et Oholiabus aliique periti artifices, quos Deus sapientia et intelligentia instruxerat, omnia illa opera sacri ministerii ex præscripto Jovæ, 2. postquam eos Moses ad se evocaverat, 3. ut auferrent donaria, quæ Israelitæ in usum sacri ministerii obtulissent. Sed cum quotidie plura ultro offerrent, 4. opifices, seposito quo fungebantur labore, Mosen conveniunt, 5. eique indicant, plus a populo conferri, quam necessarium esset ad opera a Jova imperata perficienda. 6. Tum Moses proclamari per castra jussit: ne quis deinceps aut vir aut femina plura laborarent ad sacram oblationem. Sic prohibebatur populus ab ulteriori oblatione. 7. Copia vero rerum congestarum sat magna erat et abundans ad omnia opera perficienda. — 8. Artifices igitur illius operis periti, fecerunt decem tabernaculi aulæa ex bysso contorta et filis cæruleis, purpureis, coccineis, intertextis Cherubis opere polymito. 9. Singulorum aulæorum longitudo fuit duodetriginta cubitorum, latitudo quatuor, una erat omnium mensura. 10. Quina inter se con-

connectebantur. 11. Ligulæ cæruleæ addebantur oræ illius aulæi, quod ultimum erat illius commissuræ, et sic quoque in ora extremi aulæi secundæ commissuræ. 12. Quarum ligularum erant quinquagenæ in utroque aulæo sibi mutuo respondentes. 13. Præterea quinquaginta unci aurei, quibus aulæa illa connectebantur, ut hac ratione tabernaculum unum fieret. — 14. Deinde faciebant *illi artifices* stragula undecim ex pilis caprinis super tabernaculo *expandenda*. 15. Singula in longitudinem trigenum cubitorum et quaternum in latitudinem. Una erat mensura omnium. 16. Quorum quinque seorsim et sex seorsim conjungebant. 17. In ora utraque partium junctarum faciebant quinquaginta ligulas, 18. totidemque uncos æneos, quibus tentorium conjungebant, ut unum aliquod existeret. 19. Præterea fecerunt tegumentum ex pellibus arietum rubris, atque aliud ex pellibus phocarum. — 20. Porro fecerunt asseres tabernaculi ex acaciæ lignis, qui erecti stabant. 21. Singulos in longitudinem denum cubitorum in latitudinem fesquicubitales. 22. Singuli duos cardines habebant sibi mutuo cohærentes, et sic omnes tabernaculi asseres erant fabricati. 23. Quorum asserum viginti erant ad partem tabernaculi meridianam. 24. Quibus quadraginta bases argenteæ erant subjectæ, binæ singulis asseribus, pro duobus suis car-

cardinibus. 25. In altera tabernaculi parte feptentrionali etiam erant viginti afferes, 26. cum quadraginta bafibus argenteis, quarum binæ fingulis afferibus fubjiciebantur. 27. In latere vero occidentali erant fex afferes, 28. et præterea duo pro utroque tabernaculi angulo, 29. qui gemini erant, tum in imo, tum in fummo et annulo invicem juncti, et fic ambo facti erant pro ambobus angulis. 30. Sic erant octo afferes et fedecim bafes argenteæ, binæ fingulis afferibus fubjectæ. 31. Item fecerunt repagula ex acacia, quinque pro afferibus tabernaculi in latere primo, 32. et totidem in latere fecundo, tandem etiam quinque in latere occidentali. 33. Repagulum medianum per medios afferes trajectum ab uno extremo ad alterum usque pertingebat. 34. Afferes et repagula auro obducebantur; annuli vero, qui repagula capiebant, aurei. 35. Siparium fecerunt e lana cærulea, purpurea, coccinea et byffo retorta, opere polymito Cherubis intertextis. 36. Et quatuor columnas fipario fufpendendo ex acaciæ lignis, auro tectas, cum uncinis aureis et bafibus argenteis. 37. *Aliud* fiparium fecerunt pro introitu tabernaculi e lana cærulea, purpurea, coccinea et byffo retorta, opere phrygionico. 38. Cujus columnæ erant quinque, cum uncinis fuis. Capita earum et perticæ erant inaurata, bafes vero quinque æneæ.

CAPUT XXXVII

Arca legis, candelabrum, mensa, ara suffitus, oleum unguentarium, et suffimentum.

1. Arcam fecit Bezaleel ex lignis acaciae, duorum cubitorum et dimidii in longitudinem, unius cubiti et dimidii in latitudinem, tantundem in altitudinem. 2. Hanc auro puro intus et extra texit et corona aurea undique cinxit. 3. Porro fudit pro ea quatuor annulos aureos in quatuor ejus angulis, ita ut in utroque latere essent bini. 4. Item fecit vectes ex acaciae lignis, quos auro obduxit, 5. et immisit annulis illis ad latera arcae, quibus bajulari posset. 6. Porro fecit operculum ex auro puro, cujus longitudo fuit duorum cubitorum et dimidii, latitudo sesquicubitalis, 7. et duos Cherubos aureos opere solido in duobus extremis operculi. 8. Alter erat ab hac, alter ab illa parte extrema ex ipso operculo ductus. 9. Expandebant vero Cherubi illi duas alas super operculum, facie ad se invicem et in ipsum operculum conversa. — 10. Porro mensam fecit ex acaciae ligno, longitudine duorum cubitorum, latitudine unius, altitudine unius et dimidii. 11. Hanc auro puro texit et limbo aureo undique cinxit. 12. Marginem quoque ei dedit palmarem per ambitum. Limbus vero ille margini erat conjunctus. 13. Tum porro quatuor annulos aureos fudit, quos quatuor

angulis

angulis quatuor ejus pedum applicavit. 14. E regione marginis erant illi annuli pro receptaculis vectium ad portandam mensam. 15. Vectes erant ex acaciæ ligno fabricati et auro tecti, quorum ope mensa bajularetur. 16. Præterea fecit quoque vasa illius mensæ, scutellas, lances, pateras et cyathos ad vinum infundendum, ex auro puro. — 17. Item fecit candelabrum ex auro puro, idque solidum. Scapus ejus, calamus, calices, globuli et flores unum efficiebant. 18. Sex calami exibant ex ejus lateribus, trini ex utroque latere. 19. Singuli calami habebant tres calices ad instar nuclei amygdalæ, globos et flores, atque hunc in modum facti erant omnes sex illi calami, qui e candelabro prodibant. 20. In ipso candelabro quatuor erant calices formam nucis amygdalinæ habentes cum globis et floribus. 21. Singuli globi sub binis calamis prodibant. Tres igitur globos habebant sex illi calami singuli, qui ex ipso candelabro ducti erant. 22. Globi et calami unum opus solidum ex auro puro constituebant. 23. Insuper fecit septem lucernas et forcipes cum vasculis suis ex auro puro. 24. Atque totum hunc apparatum fecit ex talento auri optimi. 25. Aram suffitus fecit ex acaciæ lignis. Longitudo et latitudo ejus erat cubitalis, altitudo bicubitalis. Eminentiæ ex integra materia factæ erant. 26. Te-

xit eam auro puro, cum partem superiorem, tum latera et eminentias, præterea cinxit eam corona aurea. 27. Sub qua in utroque latere binos annulos aureos addidit, qui exciperent vectes, quibus ara bajularetur. 28. Quos vectes etiam ex acaciæ lignis fabricavit et auro texit — 29. Item paravit oleum unctorium sanctum et suffitum aromaticum purum ex arte unguentaria.

CAPUT XXXVIII

Ara holocaustorum, labrum æneum et atrium. Summa auri, argenti et æris collati.

1. Aram holocaustorum fecit ex acaciæ lignis, quinque cubitos longam et totidem latam in forma quadrata, altitudo fuit trium cubitorum. 2. Eminentias ei fecit ad quatuor ejus angulos a) ex materia solida. Aram ipsam ære texit. 3. Vasa ejus, nimirum ollas, palas, pateras, fuscinas, et batilla, hæc omnia fecit ænea. 4. Præterea fecit huic aræ opus reticulatum æneum, quod inferius ab ambitu ejus usque ad medium pertingebat. 5. Deinde fudit quatuor annulos in quatuor angulis operis illius reticulati, qui vectes exciperent, 6. etiam ex acacia fabricatos et ære obductos, 7. quos per annulos illos ad latera aræ trajecit, ut iis portaretur. Cava erat

a) cf. Cap. 27, 2. not. a).

erat ex tabulis æneis tantum constructa. — 8. Porro fecit labrum æneum et operculum ejus æneum cum figuris elegantibus, quæ ornabant ostium tabernaculi conventus *b*). — 9. Atrium in parte meridionali

b) Complures interpretes posterius membrum hujus versus longe aliter vertunt. *Fecit labrum æneum* במראת הצבאת אשר צבאו פתח אהל מועד *ex speculis mulierum turmatim convenientium ad tabernaculum conventus.* Quæ explicatio, quanquam est quoque antiquiorum interpretum, tamen adeo difficilis est et dura, ut mirum videri possit eam sese probasse tot viris doctis, nisi experientia doceret uno errore admisso sequi deinde plures. Jam vero versiones antiquæ unanimi consensu verba textus de speculis mulierum explicarant. In quo eas fortasse errasse, cum nemini in mentem venisset, specula illa quovis modo defendebantur. Sed tam solide hanc explicationem refutavit *Clemens* in Disp. supra citata ad Cap. 30, 17. ut eo lecto non putem futurum esse, qui specula et mulieres textui hebræo perperam illatas esse neget. Argumenta potiora hæc sunt: Nihil in textu legitur de mulieribus. Tabernaculum nondum erat exstructum, quomodo igitur ad illud poterant convenire? Non legitur כמראת sed במראת. Frigidissima est tavtologia in verbis: *mulieres convenientes, quæ conveniebant.* Repugnat scopo Mosis in h. l. qui non est enarrare oblationes Israelitarum ad fabricam tabernaculi, quod jam fecerat Cap. 35, 20. sed formam et structuram tabernaculi et singularum ejus partium ab artificibus factam

dionali velis ex byſſo contorta centum cubitorum clauſit, 10. quæ columnas habebant viginti, totidemque baſes ex ære, unci vero columnarum et velorum perticæ erant ex argento. 11. Similiter in latere ſeptentrionali vela erant centum cubitorum in longitudinem, viginti columnæ totidemque baſes æneæ, unci et velorum perticæ argenteæ. 12. Latitudo atrii in latere occidentali erant quinquaginta cubitorum cum decem columnis totidemque baſibus, unci et velorum perticæ erant argenteæ. 13. Pars orientalis quinquaginta cubitorum, 14. ab una parte habebat vela quindecim cubitos longa cum tribus columnis et tribus baſibus. 15. Similiter etiam ab altera parte (et ſic ab utraque parte introitus atrii) vela quindecim cubitos longa cum tribus columnis et tribus baſibus. 16. Omnia atrii vela erant ex byſſo contorta fabricata. 17. Baſes columnarum erant æneæ, unci et perticæ argenteæ; capitella columna-

factam deſcribere. Porro מַרְאֹת *ſpecula* ſignificare gratis ſumitur; notat *ſpecies*, *imagines*, et tandem צָבָא non ſolum ſignificat *turmatim convenire*, ſed etiam ut צָבָה *ornare*. Igitur מַרְאֹת הַצֹּבְאֹת ſunt *imagines ornantes*, ſ. *elegantes*, quæ nimirum expreſſæ erant ad figuras, quibus ornatum erat aulæum, Cheruborum aliarumque figurarum, de quo Cap. 36, 35. cf. *Pfaffius* in Præfat. ad Spencerum p. 12. et *Simonis* prælectt. ad Relandi Antiquitt. hebr. p. 56.

lumnarum erant argento tecta, perticæ vero earum erant argenteæ: 18. Siparium vero ad introitum atrii erat opus phrygionicum ex lana cærulea, purpurea, coccinea et byſſo retorta viginti cubitos longum, altitudine vero quinque cubitorum, quæ eadem erat latitudo ſingulorum velorum atrii. 19. Columnæ quatuor cum baſibus quatuor æneis, unci erant argentei, capitella columnarum argento tectæ, perticæ vero argenteæ. 20. Clavi omnes tabernaculi et atrii erant ænei. — — 21. Hæc eſt ſumma *metallorum impenſorum* ad tabernaculum legis, quæ juſſu Moſis numerata ſunt per Levitas curante Ithamare filio Aaronis ſacerdote. 22. Nimirum Bezaleel, filius Uri, nepos Churi e tribu Judæ, fecerat omnia quæ Jova Moſi præceperat. 23. Una cum Oholiabo, filio Achiſamachi e tribu Danis, fabro, textore polymitario et phrygione in lana cærulea, purpurea, coccinea et byſſo. 24. Tota igitur ſumma auri ad partes ſanctuarii conficiendas inſumti et donarii loco oblati, fuit undetriginta talentorum et ſiclorum ſacrorum ſeptingentorum et triginta. 25. Argenti ex cenſu populi centum talenta et ſicli ſacri mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque. 26. Dimidium ſicli ſacri viritim, hoc eſt, de omnibus qui in cenſum veniebant, nempe omnes qui vigeſimum ætatis annum exceſſerant; quorum numerus fuit ſex-

centa

centa et tria millia quingenti quinquaginta. 27. Cujus argenti centum talenta insumebantur ad fundendas bases *columnarum* sanctuarii et ad bases siparii. Singula talenta pro singulis basibus. 28. Ex mille septingentis et septuaginta quinque siclis fecit uncinos columnarum, texit eorum capitella et perticis instruxit. 29. Aeris oblati fuerunt septuaginta talenta et duo millia siclorum et quadringenti. 30. Ex quibus fecit bases *columnarum* portæ tabernaculi, altare æneum, cum opere reticulato et omnia ejus instrumenta. 31. Omnes bases columnarum atrii et introitus ejus, nec non clavos omnes tabernaculi et atrii.

CAPUT XXXIX

Vestes sacerdotales Aaronis et filiorum ejus. Cum omnes sacrarii partes perfectæ essent, deferuntur ad Mosen, qui eas probat et bene precatur artificibus.

1. Ex *lana* cærulea, purpurea et coccinea fecit vestes stragulas ad usus sacros, itemque vestes sacras Aaronis, quemadmodum Jova Mosi præceperat. 2. Ephodum nempe ex auro, hyacintho, purpura, cocco, et bysso retorta. 3. Aurum vero diduxit in bracteolas, quibus in fila concisis hæc intertexuit hyacintho, purpuræ, cocco et bysso retortæ opere polymito. 4. Humeralia fecit, quibus Ephodus in duo-

duobus extremis suis jungeretur, 5. et textura *anteriori* amictui opposita, sicuti illa ex eadem materia facta erat, ex auro, hyacintho, purpura, cocco et bysso retorta, quemadmodum Jova Mosi praeceperat. 6. Duos onychas palis aureis inclusit, cælatura sigillari scalptos nominibus filiorum Israelis, 7. eosque imposuit humeralibus Ephodi in memoriam Israelitarum, quemadmodum Jova Mosi præceperat. 8. Fecit quoque pectorale opere polymito sicut Ephodum ex auro, hyacintho, purpura, cocco et bysso retorta, 9. quadratum et duplicatum longitudine et latitudine palmari. 10. Tum implevit illud quatuor gemmarum ordinibus. Primus ordo tenebat Sardium, Topasum, Smaragdum. 11. Secundus Carbunculum, Sapphirum, Jahalomum. 12. Tertius Ligurium, Achatem, Amethystum. 13. Quartus Chrysolithum, Onychem et Jaspidem. Quæ gemmæ singulæ palis aureis erant inclusæ, 14. eisque numero duodecim insculpta erant nomina duodecim tribuum Israeliticarum, arte ea qua fit in sigillis. 15. Hinc pectorali fecerunt *duas* catenas æquales opere tortili ex auro puro, 16. præterea duas palas aureas et duos annulos aureos, quos duobus extremis pectoralis annectebant. 17. Duas illas catenas immittebant illis duobus annulis. 18. Extrema vero istarum catenarum inserebant palis illis, quas applicabant

bant ſuperhumeralibus Ephodi in parte anteriori. 19. Præterea fecerunt duos alios annulos aureos, quos annectebant duabus pectoralis extremitatibus in ora, quæ ad Ephodum vergebat inferius, 20. et porro duos annulos aureos, quos applicabant duobus ſuperhumeralibus Ephodi inferius ex exteriori parte, in eo loco, ubi illa duas Ephodi partes jungunt, in ſuperiori ejus textura. 21. Tum ſtrinxerunt pectorale annulis ſuis annulis Ephodi funiculo cæruleo, ut adhæreret texturæ polymitæ Ephodi, neque ab hoc pectorale avelleretur, quemadmodum Jova Moſi præceperat — 22. Pallium ſubter Ephodo *induendum* fecit opere textili totum cæruleum. 23. Cujus in medio erat foramen cum limbo *texto* ad modum loricæ, ne rumperetur. 24. In fimbria ejus erant mala punica cærulea, purpurea et coccinea e filis *retortis*, 25. et tintinnabula ex auro puro, quæ poſita erant inter mala punica, 26. alternatim in tota fimbria illius pallii, ad miniſterium *Aaronis*, quemadmodum Jova Moſi præceperat. 27. Item etiam fecit tunicas pro Aarone et filiis ejus ex byſſo opere textili. 28. Cidarim byſſinam et tiararum ornamenta etiam ex byſſo; femoralia quoque linea e byſſo retorta. 29. Item balteum e byſſo retorta, hyacintho, purpura, cocco, opere phrygionico; quemadmodum Jova Moſi præceperat. — 30. Tandem

dem etiam fecit laminam facri diadematis ex auro puro, cui infculpta erant cælatura figillari hæc verba: *Jovæ facrum.* 31. Quam laminam funiculo cæruleo parti anteriori cidaris applicabat, quemadmodum Jova Mofi præceperat — 32. Cum abfolutum effet hac ratione totum tabernaculum conventus; atque Ifraelitæ omnia ex præfcripto Jovæ Mofi dato feciffent, 33. attulerunt ad eum tabernaculum et omne ejus inftrumentum, uncinos, afferes, repagula, columnas, bafes, 34. tegumentum ex pellibus arietum rubris, et tegumentum ex pellibus phocarum. Siparium interius. 35. Arcam legis et vectes ejus et operculum. 36. Menfam cum omnibus fuis inftrumentis et panibus appofititiis. 37. Candelabrum ex auro puro cum lucernis ei imponendis et reliquis inftrumentis, et oleum candelabri. 38. Altare aureum, unguentum, fuffimentum, et fiparium pro oftio tabernaculi. 39. Altare æneum cum opere reticulato, vectes ejus et reliqua inftrumenta, labrum cum fuo operculo. 40. Atrii vela, ejus columnas, bafes et fiparium ad introitum ejus, funes, clavos et omnia reliqua inftrumenta, quæ ad minifterium tabernaculi pertinebant. 41. Veftes ftragulas ad ufum facrum, veftes facras Aaronis facerdotis, et veftes filiorum ejus facerdotales. 42. Omnia Ifraelitæ fecerant, quemadmodum Jova Mofi præceperat.

43. Qui cum videret omnia voluntati divinæ respondere, bene eis precatus eſt.


CAPUT XL

Erigitur tabernaculum. Inaugurantur omnes ejus partes et ſacerdotes. Nubes, præſentiæ divinæ ſymbolum, ſacrarium implet.

1. Tum Jova Moſen hunc in modum eſt allocutus: 2. die primo primi menſis erigere debes tabernaculum conventus, 3. collocare in eo arcam legis, eamque operculo tegere. 4. Deinde inferre menſam, et omnem ejus apparatum inſtruere, ut et candelabrum, eique lucernas ſuas imponere. 5. Porro altare aureum ſuffitus e regione arcæ ſtatuere et ſiparium in introitu tabernaculi ſuſpendere. 6. Tum aram victimarum debes ponere ante oſtium tabernaculi, 7. labrum vero inter illud et altare, atque aqua replere. 8. Porro atrium, atque in ejus introitu ſiparium ſuſpendere. 9. Tum oleo unctorio ungere debes tabernaculum, et omnia quæ in eo ſunt, idque cum omni apparatu ſuo ſanctificare. 10. Aram quoque victimarum cum inſtrumentis ſuis ungere debes, eamque ſanctificare ut rem ſacroſanctam. 11. Tum labrum cum operculo ſuo. 12. Tandem adducere debes Aaronem et filios ejus ad oſtium tentorii, eosque aqua lavare, 13. et primo quidem Aaronem ſacris veſtimentis induere, ungere et ad mini-

ministerium suum sacerdotale initiare. 14. Deinde et filios ejus tunicis amicire, 15. atque ungere, quemadmodum patrem unxisti, ut sacerdotes mei sint. Qua unctione jus sacerdotii cum ipsi tum posteri eorum in perpetuum consequuntur. — 16. Igitur Moses fecit omnia, quemadmodum Jova jusserat. 17. Anno secundo, primo die primi mensis, tabernaculum erectum est. 18. Primo ipsum tabernaculum Moses fixit, bases ejus fundavit, asseres dispofuit, repagula immisit, columnas erexit. 19. Extendit tegumentum super tabernaculo alterumque desuper ei imposuit, quemadmodum Jova ei praeceperat. 20. In arca legem reposuit, vectes ei applicavit, operculo eam texit, 21. et in tabernaculum intulit, tandemque ad eam tegendam siparium obvelavit, quemadmodum Jova jusserat. 22. Tum mensam in tentorio conventus collocavit in parte ejus septentrionali extra siparium, 23. et panes imposuit ex ordine, quo a Jova jussus erat. 24. Candelabrum e regione mensæ in parte tabernaculi meridionali posuit, 25. et lucernas accendit coram Jova, quemadmodum jusserat. 26. Aram auream statuit in tabernaculo conventus ante siparium, 27. et suffitum in ea fecit aromatibus ex præscripto Jovæ. 28. In introitu tabernaculi siparium suspendit. 29. Altare victimarum collocavit ad ostium taber-

naculi, atque obtulit in eo holocaufta et ferta, quemadmodum Jova juſſerat. 30. Labrum ftatuit inter tentorium conventus et altare, et aquam ad lavandum infudit, 31. unde ipfe et Aaron et filii ejus manus et pedes lavarent, 32. fi tabernaculum conventus intrarent, ut facra facerent fuper altari, ficuti Jova Mofi præceperat. 33. Tandem atrium circa tabernaculum et altare fixit, atque totum opus abfolvit. — 34. Tum nubes tabernaculum conventus obtexit, et tantus Jovæ fplendor illud implevit, 35. ut Mofes non poffet accedere propter nubem fuper tabernaculo requiefcentem, et illum Jovæ fplendorum. 36. Quando nubes illa fuper tabernaculum fefe efferebat, caftra movebant Ifraelitæ. 37. Quando vero non afcendebat, expectabant fignum illud itineris fui. 38. Interdiu confpiciebatur nebulofa fuper tabernaculo, noctu vero ignea ab omnibus Ifraelitis in omnibus itineris fui ftationibus.



LEVI-

LEVITICUS

CAPUT I

Ritus holocauftorum.

1. Evocatum ad fe Mofen Jova e tabernaculo conventus hunc in modum allocutus eft. 2. Dic Ifraelitis: Si quis veftrum Jovæ munus offerre velit, id, fi ex pecudibus eft, fit vel ex bobus, vel ex ovibus et capris. 3. Si holocauftum bove facit, mas ille fit et integer: hunc adducat ad oftium tabernaculi conventus ad Jovæ favorem fibi conciliandum. 4. Manum imponat capiti holocaufti et acceptum erit Jovæ ad expiationem fui. 5. Tum mactet juvencum in loco facro. Filii vero Aaronis facerdotes afferant fanguinem et fpargant eum fuper altari, quod eft in introitu tabernaculi. 6. Tum pellem facrificii detrahat, idque in partes certas concidat. 7. Filii vero Aaronis facerdotis ignem incendant fuper altari, ligna conftruant, 8. et fuper iis frufta *facrificii* caput et adipem ponant. 9. Vifcera autem et crura aqua laventur, et tunc facerdos omnia in altari adoleat. Hoc eft folidum facrificium igne confumendum, Jovæ acceptum. —

10. Quodſi munus eſt ex pecore ovillo aut caprino, quo holocauſtum facere velit, maſculum ſit et integrum. 11. Mactet illud ad latus altaris ſeptentrionale in loco ſacro, et filii Aaronis conſpergant ſanguine ejus aram. 12. Tum in fruſta concidatur, et ſacerdos caput et adipem ſuper lignis in altari exſtructis igne ſuccenſo ponat. 13. Viſcera et duo crura aqua abluantur, et tunc ſacerdos omnia in altari adoleat. Hoc eſt ſolidum ſacrificium igne conſumendum Jovæ acceptum. — 14. Quodſi quis ex avibus holocauſtum Jovæ offerre vult, ſit hoc ejus munus de turturibus aut columbis pullis. 15. Sacerdos ad aram caput ejus ungue reſecet et ſuper ara adoleat; ad latus vero ejus ſanguinem exprimat. 16. Ingluviem cum plumis removeat et ad partem altaris orientalem in cinerarium abjiciat. 17. Scindat eam in alis, ita tamen ut *a corpore* non divellantur, et accendat eam in altari ſuper lignis ardentibus. Hoc quoque ſolidum eſt ſacrificium, cujus combuſtione Jova placabitur.

CAPUT II.

De ſacrificiis incruentis ſive fertis.

1. Si quis fertum Jovæ facere velit, ſimilam adhibeat, cui oleum infundat ſuperaddito thure. 2. Hæc afferat ad filios Aaronis ſacerdotes. Capiat de ſimi-

ſimila et de oleo ſacerdos plenum pugillum, thus vero omne, et incendat fertum illud ſuper altari, quod ſacrificium Jovæ gratum eſt et acceptum. 3. Reliqua illius ferti Aaroni cedant ejusque filiis. Hæc ſacroſancta ſunt de Jovæ ſacrificiis. — 4. Si munus ferti in furno cocti offerre vultis, placentæ ſint ſimilagineæ ſine fermento oleo infuſo, ſive lagana ſine fermento oleo mixta. 5. Si ferti munus eſt placenta in ſartagine cocta, ſit ſimilaginea, oleo infuſo ſine fermento. 6. Hanc in fruſta comminues; oleum affundes, et habes fertum. 7. Quodſi fertum eſt ſuper craticula aſſatum, conſtet ex ſimila addito oleo. 8. Hujus generis ferta ſacerdoti tradite, qui ea Jovæ altari admovebit. 9. Partem ſacrificii ex ea ſeparabit et in ara adolebit. Quod ſacrificium Jovæ gratum erit. 10. Reliqua hujus ferti Aaroni ſint et filiis ejus, ſanctiſſima de ſacrificiis Jovæ. — 11. Nullum fertum quo Jovæ facitis, habeat fermentum. Fermentum et mel omnino non Jovæ adolere debetis. 12. In primitiis quidem ea Jovæ offerre licebit, ſed ſuper altari odor eorum non aſcendat victimæ loco. 13. Omnia ferta veſtra ſale condiantur, nunquam deſit ſal purum a) Dei veſtri

a) In textu hebræo legitur: לֹא תַשְׁבִּית מֶלַח בְּרִית *non deſit ſal foederis Dei tui.* Valde laborant interpretes in red-

ſtri in fertis veſtris, et in omnibus omnino oblationibus

reddenda ratione, cur hic ſal in ſacris adhibendus ſal fœderis divini dicatur. Salis in fœderibus uſum fuiſſe non poteſt exemplis probari. *Clericus* quidem addit ſal ſacrificiis in fœderis pactione oblatis, atque inverſa vocum ſtructura, ut Num. 18, 19. *foedus ſalis* dictum vult, quod ſale adhibito ſc. in ſacrificiis, percuſſum fuit. — Quam aliena ſit hæc explicatio ab hoc contextu, nemo non videt. De *ſale* quæſtio eſt adhibendo in omnibus oblationibus, cur hic dicatur *ſal foederis*. Non de *foedere*, num in eo ſal ſit adhibitus. *Hubigantius* ſalem improprie dictum vult, ut ריח ניחוח *odorem ſuavitatis* de ſacrificiis. Uti hic placet naribus, ſic guſtui ſalis condimentum, et Deum promittere rite oblata ſacrificia ſibi placere, ita ut fœdus ſuum cum populo debeat eſſe perpetuum. At enim vero hæc quoque difficultatem non tollunt. Etenim, ut alia taceam, hæc verba non continent *promiſſionem*, ſed pertinent ad *legem* ſ. ad *normam*, quæ in ſertis adhibenda ſint. Igitur non poſſunt conferri cum illa promiſſione ſacrificiis addita: *hic erit odor ſuavis ſ. placaminis Deo tuo*, cf. Geneſ. 8, 21. quæ ſemper legitur *finita deſcriptione* rituum obſervandorum in ſacrificio. Miſſis igitur his et aliis explicationibus fateor, mihi perplacere elegantem Ill. *Michaelis* conjecturam, qui aliis punctis ſubjectis legendum ſuadet בֹּרִית ſub quo *nitrum*, ſ. *ſalem purum* intelligit, quod tantum in ſacrificiis adhibere *fas* fuerit, non *ſalem marinum*, qui impurus haberetur. Diſcrimen quidem ſalis fuiſſe in ſacris,

nibus ſal debet adhiberi. 14. Si frugum primitiis fertum Jovæ facitis, conſtet ex ſpicis toſtis. Quarum granis contuſis 15. oleum affundetis, thure ſuperaddito. Hoc fertum eſt. 16. De quo ſacerdos partem ſacrificialem tum de ſpicis contuſis, tum de oleo cum omni thure Jovæ adoleat.

CAPUT III

De ſacrificiis Eucharisticis.

1. Si quis ſacrificium euchariſticum offert, ſi armento facere vult, mas ſit ſive foemina, dummodo vitio non laboret. Quo in locum ſacrum adducto, 2. manus capiti ejus imponat et mactet illud ante oſtium tabernaculi, filii Aaronis autem ſacerdotes ſpargant ſanguinem circa altare. 3. Tum offerat de ſacrificio illo euchariſtico partes in honorem Jovæ comburendas: omentum, meſenterium, 4. duos renes cum adipe eis adhærente uſque ad lumbos, lobum minorem hepatis, quem a renibus ſeparabit. 5. Hæc adoleant filii Aaronis in altari cum holocauſto, quod lignis ardentibus impoſitum eſt. Qui ſacri-

ſacris, plane docet locus Exod. 30, 35. ubi præcipitur ſuffitum parari debere ſale puro et ſancto. vid. *Comment. Societati Goetting. prælect.* P. I. p. 159.

ſacrificii odor Jovæ gratus erit et acceptus. — 6. Si quis e pecore ovillo aut caprino ſacrificium euchariſticum facere vult, mas eſſe poteſt, ſive foemina, modo integrum. 7. Si ovillum, adducat hoc in locum Jovæ ſacrum, 8. capiti ejus manum imponat, mactet ante tabernaculum conventus, et filii Aaronis ſpargant ſanguinem circa altare. 9. Tum admoveat e ſacrificio illo euchariſtico partes Jovæ adolendas: adipem ejus, caudam craſſam eamque integram ad coccygem reſecandam, omentum et meſenterium, 10. duos renes cum adipe eis adhærente usque ad lumbos, et lobum minorem hepatis, quem a renibus ſeparabit. 11. Quæ incendat ſacerdos ſuper altari. Cibus *quaſi* hic erit Jovæ igne abſumendus. — 12. Si e pecore caprino munus eſt, adducat illud in locum ſacrum. 13. Manum ejus capiti imponat, mactet ante tentorium conventus, et filii Aaronis ſpargant ſanguinem circa altare. 14. Tum obmoveat ex illo munere ſuo partem in honorem Jovæ comburendam, omentum et meſenterium. 15. Duos renes cum adipe eis adhærente usque ad lumbos, et lobum minorem hepatis, quem a renibus ſeparabit. 16. Quæ adoleat ſacerdos in altari, ad inſtar cibi igne abſumendi et odoris Jovæ *a*) ſuavis. Omnis adeps Jovæ eſt.

17. In-

a) Codex Samaritanus addit ליהוה. Recte.

17. Institutum hoc sit perpetuum a posteris vestris ubique locorum observandum, ne ullo adipe aut sanguine vescamini.

CAPUT IV

De sacrificiis expiatoriis s. piacularibus.

1. Porro Jova cum Mose hunc in modum locutus est: 2. Dic Israëlitis: Si quis per imprudentiam peccaverit contra ullum præceptum, quo aliquid interdixi, atque id quod prohibitum est commiserit, *sacrificio expiet delictum suum a)*. 3. Si sacerdos unctus deliquerit, atque hac ratione ipse populus culpam contraxerit, offerat pro delicto suo juvencum integrum Jovæ ut victimam piacularem. 4. Hunc juvencum adducat ante tabernaculum conventus in locum sacrum, ibique eum mactet, cum antea manum capiti ejus imposuerit. 5. Tum sacerdos unctus sumat partem sanguinis, eamque in tabernaculum conventus inferat. 6. Ibi intingat digitum in illum sanguinem, et septies conspergat versus siparium sanctuarii. 7. Deinde eminentias altaris suffitus,

a) Hæc supplenda esse sequentia manifeste docent, in quibus species horum sacrificiorum recensentur. Prima si sacerdos v. 3. secunda si populus v. 13. tertia si princeps v. 22. quarta si homo plebejus v. 27. per errorem peccarit.

tus, quod eſt in loco ſacro tabernaculi, eo ſanguine illinat, reliquum vero ſanguinem juvenci effundat ad baſin altaris holocauſtorum, quod eſt ad oſtium tabernaculi conventus. 8. Tum omnem adipem juvenci hujus piacularis ex eo extrahat, omentum et meſenterium, 9. duos renes cum adipe eis adhærente usque ad lumbos, lobum minorem hepatis a renibus abſciſſum, 10. quemadmodum e bove ſacrificii eucharistici ſeparatur. Quæ omnia ſacerdos ſuccendat ſuper altari holocauſtorum. 11. Pellem vero illius juvenci, omnem ejus carnem, caput, crura, inteſtina, fimum. 12. Totum igitur juvencum *reliquum* efferat extra caſtra in locum purum, in quem cineres effunduntur, ibique eum igne comburat, idque ſuper ipſis illis cineribus fiat. — 13. Quodſi univerſus populus Iſraeliticus per imprudentiam, aut per errorem peccarit, atque præceptum Jovæ violarit, quo aliquid prohibetur, et ſic culpam contraxerit, 14. poſtquam peccatum commiſſum innotuerit, univerſus quoque coetus offerat juvencum pro ſacrificio piaculari et ad tabernaculum conventus adducat. 15. Tunc Seniores populi manus ſuas imponant capiti illius juvenci in loco ſacro, atque aliquis eorum mactet juvencum ibidem. 16. Deinde ſacerdos unctus inferat partem ſanguinis in tabernaculum conventus, 17. intingat digitum in illum

ſan-

ſanguinem et ſpargat ſepties coram Jova verſus ſiparium. 18. Porro illo ſanguine oblinat eminentias altaris, quod in ſanctuario tabernaculi eſt, reliquum vero ſanguinem omnem effundat ad baſin altaris holocauſtorum, quod eſt in introitu tabernaculi. 19. Tum adipem ex juvenco illo extrahat et adoleat in altari, 20. et omnino idem faciat, quod fieri debere præceptum eſt in priori juvenco piaculari. Hac ratione expiet ſacerdos populum et ei condonabitur. 21. Tandem etiam efferat juvencum extra caſtra, eumque igne comburat, quemadmodum priorem juvencum combuſſit. Hoc eſt ſacrificium piaculare populi. — 22. Si vir princeps peccarit et legem divinam violarit, quo aliquid interdicitur, et ſic imprudens culpam contraxerit, 23. ſi peccatum ab eo commiſſum eſſe innotuerit, afferat munus ſuum, hircum, marem et integrum, 24. imponat manum ejus capiti, eumque mactet in loco ubi mactantur holocauſta coram Jova. Victima hæc eſt piacularis. 25. Tum ſacerdos de ſanguine hujus victimæ digito illinat eminentias altaris holocauſtorum, reliquum ſanguinem effundat ad ejus baſin, 26. adipem ſacrificii incendat in altari, uti adipem ſacrificii euchariſtici. Hac ratione expiet ſacerdos ejus delictum, et condonabitur ei. — 27. Si quis de plebe per imprudentiam peccarit, et legem

gem divinam, qua aliquid prohibetur, violarit et reus factus sit. 28. Si agnoverit culpam commissam, adducat munus suum, capram integram, fœminam, pro delicto, quod admisit, 29. imponat manum capiti victimæ piacularis, et mactet illam in loco, ubi solida sacrificia mactantur. 30. Tum sacerdos partem sanguinis digito illinat in eminentias altaris holocaustorum, reliquum vero sanguinem effundat ad basin ejus. 31. Deinde separet adipem, quemadmodum fieri debet in sacrificio eucharistico, eumque adoleat in altari: quod gratum erit Jovæ sacrificium. Hac ratione sacerdos eum expiet et condonabitur ei. — 32. Quodsi de pecore ovillo victimam piacularem afferre voluerit, fœmina sit, absque vitio. 33. Imponat manum ejus capiti, et mactet eam pro delicto in loco ubi solida sacrificia mactantur. 34. Sacerdos partem sanguinis victimæ hujus piacularis digito illinat, in eminentias altaris holocaustorum, reliquum vero sanguinem effundat ad basin ejus. 35. Adipem vero extrahat, quemadmodum extrahi debet ex ove sacrificii eucharistici, et incendat omnia super altari combustione Jovi sacra. Sic expiet sacerdos delictum ejus et condonabitur ei.

CAPUT

CAPUT V

De sacrificiis pro delicto.

1. Si quis peccarit, dum jusjurandum ab eo exigitur in testimonium rei cujusdam quam vidit aut novit, neque eam indicarit, atque hac ratione culpam contraxerit: 2. Aut si quis rem immundam tetigerit, sive cadaver sit ferae immundae, sive pecoris immundi, sive reptilis animalis, atque ille immunditiei suae non conscius deliquerit: 3. Aut si hominem quacunque de causa inquinatum tetigerit, atque peccati sui ad tempus ignarus fuerit: 4. Aut si quis temere juraverit, sive in malum sive in bonum finem, uti solent nonnunquam homines inconsiderate jurare, atque ille deinceps noxam, quam contraxit, resciverit: 5. Si quis, inquam, in ullo istorum deliquerit, culpam suam fateatur, 6. et offerat Jovae sacrificium pro delicto, propter illud peccatum suum, nimirum ovillam aut caprinam foeminam, quo sacerdos eum expiet. 7. Quodsi non suppetat ei ovis, aut capra, offerat duos turtures aut duas columbas Jovae, alteram in piaculare, alteram in solidum sacrificium. 8. Has tradat sacerdoti, qui primum ministret eam, quae est pro piaculari sacrificio. Nempe ut ungue caput resecet, nec tamen avellat. 9. Deinde spargat partem sanguinis

guinis ad latus altaris, reliquum effundat ad basin ejus. Hoc est sacrificium piaculare. 10. Altero vero *turture* sive *columba* holocaustum pro more faciat, et sic expiet sacerdos delictum ab eo commissum, et condonabitur ei. 11. Quodsi nec duobus turturibus aut columbis pullis facultas ejus sufficiat, offerat pro delicto admisso decimam partem ephæ similæ tanquam victimam piacularem, nec tamen oleum aut thus superaddat, quoniam victima est piacularis. 12. Hanc deferat ad sacerdotem, qui de ea plenum pugillum sumat et incendat fertum illud super altari, ut alia Jovæ sacrificia. Victima hæc est piacularis. 13. Sic expiet sacerdos peccatum ex illo genere admissum, et remittetur. Reliqua *illius similæ* sacerdotis sunt tanquam fertum. — 14. Porro Jova Mosi dixit: 15. Si quis per errorem interverterit aliquid de rebus sacris, et sic culpam contraxerit: is offerat in loco sacro sacrificium pro delicto, arietem nempe integrum, cujus pretium ex siclis argenteis in rebus sacris usitatis definies. 16. Præterea, quod de rebus sacris subtraxerit, restituet, insuper addita parte quinta: hæc det sacerdoti, qui eum ariete pro delicto expiabit, et condonabitur ei. — 17. Si quis peccatum commiserit, in ullo aliquo eorum, quæ lege divina interdicta sunt, neque hoc intellexerit, postea tamen culpam agnoverit, 18. is tradat

dat arietem integrum (cujus pretium a te æstimetur) ut victimam pro delicto sacerdoti, qui eum pro delicto per errorem admisso expiabit, et condonabitur ei. 19. Hoc est sacrificium pro delicto, quod contra Jovam commissum fuit. — 20. Porro Jova Mosi dixit: 21. Si quis dolo admisso contra me peccarit, et abnegarit sodali suo rem curæ suæ commissam, aut apud se depositam, aut surreptam, aut si damno eum affecerit, 22. aut rem perditam a se inventam abnegarit, aut pejerarit de ullo eorum in quo committendo homines delinquere solent: 23. si igitur hujusmodi delicti conscius sibi est, restituat, quod surripuit, aut in quo alterum damno affecit, aut quod apud eum fuit depositum, aut perditum quod invenit, 24. aut de quo pejeravit; *restituat, inquam*, summam ipsam superaddita parte quinta, ei cui debetur, idque eo ipso die quo sacrificium pro delicto offeret. 25. Hoc vero constet ariete integro, quem ducat ad sacerdotem, postquam æstimatus fuerit. 26. Sacerdos vero expiabit reum in loco sacro, et condonabitur ei, quacunque in re deliquerit.

CAPUT VI

De igne perpetuo ſuper altari. De ferto farreo a ſacerdote in inauguratione offerendo. De ſacrificio piaculari a ſacerdote comedendo.

1. Porro Jova Moſen juſſit 2. Aaroni et filiis ejus hæc de holocauſtis præcipere: Holocauſtum ſuper pyra altaris per totam noctem ad mane ardere debet, et ignis ſubter eo foveri. 3. Tum ſacerdos veſte linea et ſubligaculis lineis indutus cineres holocauſti igne conſumti ex altari tollat et juxta illud effundat. 4. Tum depoſitis illis veſtibus alias induat, atque efferat cinerem extra caſtra in locum mundum. 5. Ignis ſuper altari inextinctus ardeat, et ſacerdos ſuper eo ſingulis matutinis ligna inſtruat et ſuper eis holocauſtum diſponat, et cum eo adipem ſacrificiorum euchariſticorum incendat. 6. Ignis ſuper altari inextinctus ardere debet. — 7. Ferti hæc lex ſit: accedant cum eo filii Aaronis ad aram Jovæ. 8. Tum ſumat *ſacerdos* pugillum de ſimila et oleo ferti, thus vero omne, atque incendat ſuper ara hanc ſacrificii partem Jovæ gratam atque acceptam. 9. Reliqua hujus ferti edant Aaron et filii ejus, ſed ſine fermento, in loco ſacro, in atrio tentorii. 10. Ne coquatur cum fermento. Aſſignavi eis partem ſacrificiorum meorum, quæ ſacroſancta eſt, ſicuti ſacrificium piaculare et pro delicto.

licto. 11. Omnes mares posterorum Aaronis ea vescantur. Pars est eis in perpetuum assignata e sacrificiis meis. Dummodo sanctus sit qui eam tetigerit. — 12. Item Jova Mosi dixit: 13. Libamen, quod Aaron et filii ejus mihi offerre debent die unctionis suæ, constet decima parte Ephæ similaginis, cujus alterum dimidium mane, alterum vespere *mihi adolcant*. 14. In sartagine cum oleo paretur: Frictum et in frusta concisum offerant fertum, cujus odore delectabor. 15. Sacerdos, qui ex filiis ejus in ejus locum unctus est, paret illud *fertum*. Quod totum mihi est adolendum. 16. Omnino hoc sit institutum perpetuum: omnia sacerdotum libamina tota sunt comburenda, nihil de eis comedere licet. — 17. Porro Jova Mosi dixit: 18. Quod ad sacrificia piacularia attinet, Aaron et filii ejus sequentia observent: In eodem loco, quo holocausta mihi mactantur, mactentur etiam sacrificia piacularia; sacrosancta sunt. 19. Sacerdos, qui hujusmodi sacrificium offert, eo quoque vescatur, sed in loco sacro, in atrio tentorii conventus. 20. Qui carnem ejus tangit, sanctus sit. Si forte sanguine ejus vestis conspergatur, pars ejus tincta in loco sacro abluatur. 21. Vas testaceum, in quo coctum fuerit, frangatur, æneum vero defricetur et aqua eluatur. 22. Omnes mares de sacerdotibus eo vesci possunt, res est sanctissima.

ctissima. 23. Nullum vero sacrificium piaculare, de cujus sanguine illatum fuerit in tabernaculum conventus expiandi causa in sanctuario, comedatur, igne hoc est comburendum.

CAPUT VII

Alii nonnulli ritus in sacrificiis piacularibus et pro delicto, item in sacrificiis eucharisticis observandi.

1. Sacrificii autem pro delicto, cujus summa sanctitas est, hæc lex esto: 2. Mactetur in eo loco, in quo holocausta mactari solent. Sanguis ejus ad altare circumquaque spargatur. 3. Adeps vero omnis offeratur, nimirum cauda crassa, omentum, 4. renes ambos et adipem eis adhærentem usque ad lumbos, et lobum minorem hepatis a renibus separatum. 5. Quæ omnia sacerdos incendat super altari, ut sit sacrificium Jovæ pro delicto oblatum. 6. Omnes mares de sacerdotibus de eo edere possunt, dummodo in loco sacro, nam res est sanctissima. — 7. Sacrificii piacularis et pro delicto par ratio est, sunt nempe sacerdotis, qui in hujusmodi expiatione ministerio fungitur. 8. Pellem holocausti sacerdos, qui illud obtulerit, sibi habeat. 9. Omnia ferta, quæ vel in clibano cocta, aut super craticula, aut in sartagine parata sunt, sacerdos habeat, qui ea libavit.

libavit. 10. Omnia ferta, vel oleo miſta, vel ſicca, filiorum Aaronis ſint ſine diſcrimine. — 11. Sacrificii eucharistici Jovæ oblati hæc lex eſto: 12. Si grati animi teſtandi cauſa offertur, cum ipſa victima dentur placentæ ſine fermento, oleo miſtæ, et lagana ſine fermento oleo tincta, et ſimila fricta, *ex qua* placentæ denuo oleo miſtæ ſint, 13. cum placentis panis fermentati, quæ præter victimam laudis et gratiarum actionis offeruntur. 14. Unam ex illis placentis Jovæ conſecret, quæ *deinde* ſacerdotis erit, qui ſanguinem ſacrificii euchariſtici ſparſit. 15. Caro hujus ſacrificii eo ipſo die, quo oblatum ſuit, conſumatur, nihil in craſtinum relinquatur. 16. Item ſi ex voto aut voluntarie offertur, die quo factum eſt, edatur, licet tamen reliquiis poſtridie veſci. 17. Quæ vero tertio die amplius ſuperſunt, igne comburantur. 18. Si quis tamen de carne ſacrificii euchariſtici tertio die comederit, Deo non probabitur, neque *ſacrificii ſui* fructum habebit. Impurum cenſetur, et qui de eo comederit, noxam feret. 19. Caro *victimarum*, quæ rem immundam attigerit, non comedatur, igne debet comburi. Alias cuique, ſi modo mundus ſit, ea veſci licet. 20. Qui vero impuritate infectus carnem ſacrificii euchariſtici guſtaverit, is capitalis eſto. 21. Ille nimirum, qui rem immundam, ſive homo ſit, ſive animal, aut

 quod-

quodcunque abominabile, attigerit. — 22. Porro Jova Mosi dixit: 23. has leges Israelitis promulgato: adipe bovis, ovis et capræ omnino non vescemini. 24. Adipem vero morticini aut discerpti consumere licet ad omnes usus, modo non comedatur. 25. Quicunque adipem gustaverit animalis, quod Jovæ immolari potest, supplicio afficiatur. a) 26. Ab omni omnino sanguine vos abstinete, ubicunque locorum habitetis, cum avium, tum animalium. 27. Qui hoc non fecerit, capitalis esto. 28. Item ex mandato Jovæ Moses Israelitis præcepit: 29. Quicunque Jovæ sacrificium eucharisticum obtulerit, partes ejus, quæ Jovæ debentur, ipse offerat. 30. Suis ipse manibus præbeat partes Jovæ immolandas, nimirum adipem cum pectore, et pectus quidem, ut Jovæ porriciatur. b) 31. Tum sacerdos adipem in alta-

a) Non sermo est de omni adipe, sed de eo tantum, qui in sacrificiis eucharisticis, vel piacularibus, Deo immolabatur, nempe de adipe viscerum, renum et cauda crassa, de quibus capite tertio et quarto præcipitur. Ab hoc adipe debebant Israelitæ abstinere, etiam in comestione bovis et ovis communi sive vulgari. Sic Ill. *Michaelis* hanc legem intelligit, et contextus favere videtur. Alii vero interpretes putant tantum sermonem esse de sacrificiis.

b) *Porricere* est verbum proprium hac de re. Exta nimirum

altari incendat, pectus vero sit Aaronis et filiorum ejus. 32. Armum quoque dextrum sacerdoti dabitis de victimis vestris eucharisticis, 33. et quidem ei qui sanguinem et adipem harum victimarum obtulerit. 34. Pectus et armum accipio de sacrificiis eucharisticis Israelitarum. Illud quidem porriciendo, hic elevando mihi consecrentur, quæ assigno Aaroni et posteris ejus in perpetuam portionem. 35. Hæc sit pars eis demensa ex sacrificiis meis, inde ab eo tempore, quo sacerdotio fungi incipiunt. 36. Volo ut eis hæc portio ab Israelitis per omnes ætates ex perpetuo instituto detur, cum primum uncti fuerint. — 37. Hæ sunt leges de holocaustis et fertis, de sacrificiis expiatoriis et victimis pro delicto, de initiationibus *sacerdotum* et eucharisticis sacrificiis, 38. quas Jova Mosi in monte Sinai dedit, cum eis præciperet sacrificiorum istorum ab Israelitis in deserto Sinai offerendorum rationem.

CAPUT

rum *porrici* dicuntur, quando diis porriguntur. Locus classicus est apud *Macrobium* Saturn. 3, 2. vid. *Gesneri* Thes. ling. lat. Verba textus sunt: לְהָנִיף אֹתוֹ תְּנוּפָה *ad agitandum illud agitatione.*

CAPUT VIII

Initiatio Aaronis et filiorum ejus ad munus ſacerdotii.

1. Deinde Jova juſſit, ut Moſes 2. adhibito Aarone et filiis ejus, nec non veſtibus et oleo unctionis, juvenco ſacrificio piaculari, duobus arietibus et caniſtro panum azymorum, 3. convocaret omnes populi legatos *a*) ante tabernaculum conventus, 4. Quod cum ad mandatum Jovæ feciſſet, 5. declaravit legatis populi, id quod jam facturus ſit, fieri ex voluntate Jovæ. 6. Tum adduxit Aaronem ejusque filios, iisque aqua lotis, 7. illum quidem tunica induit *interiori*, balteo cinxit, veſtivit tunica *ſuperiori*, ephodum impoſuit, cui applicavit *partem ei oppoſitam* textam opere polymito *b*) et ſic eo amicivit.

a) Ex hoc loco plane apparet, ſub עֵדָה et קָהָל quorum ſæpe mentio fit in libris Moſis, non univerſum populi cœtum intelligendum eſſe, cum quo Moſes egerit, cui leges ſuas promulgarit, ſed ſingularum tribuum legatos ſive deputatos, qui ex mandato tribus ejus aut familiarum, a quibus delegati erant, agebant cum Moſe reliquisque legatis et quæ concluſa eſſent, ad ſuos referebant; ad inſtar ſupremi ſenatus, aut comitiorum in Anglia. De qua democratica reip. Judaicæ forma et conſtitutione omnium optime egit Ill. *Michaelis* in Jure Moſ. P. I. §. 45. ſeqq.

b) De חֵשֶׁב הָאֵפֹד cf. dicta ad Exod. 28, 8.

civit. 8. Huic impofuit pectorale eique indidit Urim et Tummim, c) 9. tum cidarim capiti ejus impofuit, cujus parti anteriori accommodavit laminam auream, five facrum diadema, quemadmodum a Jova juffus erat facere. 10. Deinde fumto oleo unctorio unxit tabernaculum et omnia quæ in eo erant, eaque confecravit. 11. Adfperfit illo oleo aram fepties, eamque ut et omnia ejus vafa unxit, labrum quoque cum operculo fuo d) eodem modo confecravit. 12. Porro de oleo illo effudit in caput Aaronis et unxit et confecravit eum. 13. Quo facto Mofes advocavit filios Aaronis, amicivit eos tunicis, cinxit balteis, redimivit tiaris, quemadmodum a Jova juffus erat. 14. Pofthæc adduxit juvencum facrificio piaculari deftinatum; cujus capiti cum Aaron et filii ejus manus impofuiffent: 15. Mofes eum mactavit et de fanguine ejus digito fuo eminentias altaris allevit, et fic altare expiavit et confecravit, reliquum fanguinem ad bafin ejus effudit, 16. tum adipem inteftina tegentem, lobum minorem hepatis et ambos renes cum adipe fuo incendit in altari. 17. Ipfum vero juvencum, pellem ejus, carnem, fimum igne combuffit extra caftra, quemadmodum Jova

c) De Urim et Tummim dixi fententiam ad Exod. 28, 30.
d) cf. Exod. 30, 18.

Jova præceperat. 18. Quo facto adduxit arietem holocausto destinatum. Cujus capiti postquam Aaron et filii ejus manus imposuerant: 19. Moses eum mactavit et conspersit sanguinem ejus circumquaque in altari, 20. tum arietem in frustra dissecuit, quæ deinde cum capite et sevo incendit. 21. Ventrem et crura aqua abluit, et sic combussit totum arietem super altari tanquam holocaustum suavis odoris in honorem Jovæ igne consumendum, quemadmodum Mosi præceperat. — 22. Tum alterum arietem initiationis adduxit, cujus capiti Aaron et filii ejus quoque manus imposuerunt, 23. postea Moses eum mactavit, et aliquantum de sanguine ejus illevit lobo dextræ auris Aaronis et pollici dextræ ejus manus et pollici pedis dextri. 24. Tum filios ejus adduxit, quorum aures dextras in lobo, ut et pollices manuum et pedum dextros sanguine tinxit, reliquo vero sanguine altare undique conspersit. 25. Deinde sumsit adipem, caudam crassam, omentum, lobum minorem hepatis, ambos renes et adipem eis adhærentem, armum dextrum, 26. atque ex canistro panum azymorum coram Jova depositorum placentam unam sine fermento et panem unum oleo mixtum et oleo infusum, quos adipi et armo dextro imposuit; 27. et deinde ista omnia manibus Aaronis et filiorum ejus tradidit, ut hæc

Jovæ

Jovæ porricerent. 28. Postea sumsit ea iterum de manibus eorum, et incendit ea super altari tanquam holocaustum. Hoc erat initiationis sacrificium Jovæ in odorem suavem igne consumendum. 29. Pectus vero Moses ipse Jovæ porrexit, quæ pars ejus esse debebat de illo ariete initiationis, quemadmodum a Jova jussus fuerat. 30. Posthæc sumsit de oleo unctorio et de sanguine ex altari et conspersit Aaronis et filiorum ejus vestes, ad consecrandum cum ipsos, tum eorum vestes. 31. Tum jussit Moses, ut Aaron et filii ejus coquerent carnem *reliquam illius arietis* ante fores tabernaculi, eamque comederent cum panibus initiationis in canistro reliquis; quemadmodum Jova jusserat ut hoc facerent; 32. et quæ adhuc superessent cum de carne, tum de panibus, hæc igne comburerent. 33. Per septem dies non egrederentur ex atrio tabernaculi e) quamdiu duraret eorum initiatio, quæ septem dierum sacrificiis perageretur; 34. quemadmodum primo die factum erat, sic et sequentibus fieri debere ad eos expiandos, 35. per septem dies integros manerent in atrio tabernaculi, et quæ Jova vellet, observarent, ne

e) In textu est: *ex ostio tabernaculi conventus ne egrediamini.* Quod non de ostio *sancti* intelligendum esse, sed de ostio *atrii*, apparet ex eo, quod per septem dies ex eo egredi non licuit.

ne morte punirentur, ita enim sibi præceptum esse.
36. Tum Aaron et filii ejus fecerunt omnia, quæ
Jova per Mosen jusserat.

CAPUT IX

Aaron et filii ejus primum sacrificium offerunt, quod igne divino consumitur.

1. Octavo die Moses Aaronem ejusque filios et
magistratum Israelitarum convocavit, 2. atque Aa-
ronem jussit juvencum ut sacrificium piaculare et
arietem in holocaustum, utrumque absque omni vi-
tio, adducere in locum sacrum. 3. Israelitis vero
præcipere, ut caprum in sacrificium piaculare, vitu-
lum vero et agnum anniculos integros in holocau-
stum darent, 4. præterea bovem et arietem in sa-
crificium eucharisticum mactandum coram Jova, tan-
dem quoque fertum oleo infusum, nam hodie Jo-
vam eis esse compariturum. 5. Hæc omnia quæ Jo-
va jusserat, legati populi attulerunt ad tentorium
conventus et coram Jova steterunt. 6. Tum Mo-
ses, hoc est, inquit, quod Jova ut faciatis jubet, et
tunc majestas Jovæ vobis comparebit. 7. Quo fa-
cto Moses Aaroni dixit: Accede ad aram et fac
tuum sacrificium piaculare et solidum ad te et po-
pulum expiandum, et tunc populi fertum ad hujus
expiationem, quemadmodum Jova præcepit. 8. Ac-
cessit

cessit igitur Aaron ad altare, mactavit vitulum, sacrificium piaculare pro se; 9. porrexerunt ei filii ejus sanguinem, in quem digitum intinxit, atque eminentias altaris illevit, reliquum vero sanguinem ad basin altaris effudit. 10. Adipem, renes, lobum minorem hepatis de victima piaculari incendit in altari, quemadmodum Jova Mosi præceperat. 11. Carnem vero et pellem igne combussit extra castra. 12. Deinde mactavit holocaustum. Subministrarunt ei filii ejus sanguinem, quo aram undique conspersit. 13. Tum præbuerunt frusta sacrificii et caput, quæ advolevit in altari. 14. Tum abluit intestina et crura, eaque pariter immolavit in altari. — 15. Postea obtulit munus populi, caprum piacularem mactavit atque eodem modo cum eo egit, quo cum priori victima piaculari. 16. Porro holocaustum iisdem ritibus adhibitis. 17. Item fertum, ex quo plenum pugillum sumsit et in ara adolevit, præter holocaustum quotidianum. 18. Postea mactavit bovem et arietem, sacrificium eucharisticum populi. Tradiderunt ei filii ejus sanguinem, quem in altari circumquaque sparsit. 19. Deinde adipem ex bove, arietis autem caudam crassam, omentum et lobum minorem hepatis. 20. Adipem a) pectoribus imposuerunt. Illum quidem adolevit Aaron super

a) sc. bovis et arietis.

ſuper altari, 21. hæc vero et armum dextrum porrexit Jovæ, ſicuti Moſi præceperat. 22. Quo facto Aaron ſublatis manibus populo bene precatus eſt, et deſcendit ab *altari*, poſtquam ſacrificium piaculare, holocauſtum et euchariſticum inſtruxerat. 23. Tum ingreſſi ſunt Moſes et Aaron *b*) tabernaculum conventus, et cum rediiſſent populoque bene precati eſſent, comparuit majeſtas Jovæ univerſo populo. 24. Atque ignis a Jova egreſſus abſumſit, quæ in altari poſita erant, holocauſtum et adipem. Quod cum populus videret, cum læto clamore in faciem procidit.

CAPUT X

Nadab et Abihu fulgure tacti moriuntur. Ob quem caſum Moſes leges quasdam ſacerdotibus obſervandas præſcribit.

1. Aſt filii Aaronis, Nadabus et Abihu, ſumſerunt thuribula ſua, ignem et ſuffitum eis impoſuerunt atque alienum ignem *a*) in conſpectu Jovæ contra præceptum ejus obtulerunt. 2. Tunc fulgure a Jova emiſſo tacti perierunt in loco ſacro. 3. Quo facto Moſes Aaroni dixit: Hoc eſt quod Jova pronunciat: volo

b) Nempe ut Moſes hunc doceret, quomodo ſuffitus eſſet adolendus, et candelabrum inſtruendum. Exod. 30, 7, 8.

a) Nempe quem non ex ara ſacrificiorum ſumſerant.

volo reverenter coli a ſacerdotibus meis, *b*) ita enim populus quoque majeſtatem meam venerabitur: ad hæc Aaron conticuit. 4. Tunc advocavit Moſes Miſchaelem et Elzaphanem, filios Uſſielis, patrui Aaronis, juſſitque, ut auferrent cognatos ſuos e loco ſacro extra caſtra. 5. Igitur venerunt et extulerunt eos in tunicis ſuis ex caſtris, quemadmodum Moſes dixerat. 6. Aaronem vero ejusque filios, Eleaſarum et Ithamarum, his verbis allocutus eſt: Capita veſtra ne tondeatis, nec veſtes veſtras ſcindatis, ne morte pœnam luatis et in univerſum cœtum ira Dei exardeſcat. Lugeant populares veſtri, Iſraelitæ, fulgure a Jova percuſſos. 7. Neque egrediamini ex atrio tabernaculi, ſi ſalvi eſſe velitis, nam oleo Jovæ uncti eſtis. Obtemperarunt eis quæ Moſes dixerat. — 8. Aaronem vero Jova his verbis eſt allocutus: 9. vinum, aut potum inebriantem, *c*) neque tu, neque filii tui bibatis, ingreſſuri tabernaculum conventus, ne morte plectamini. Lex hæc vobis ſit in perpetuum poſteris quoque veſtris ſervanda, 10. ut diſcernere poſſitis

b) hebr. בִּקְרֹבַי *a propinquis meis.* Sic vocantur ſacerdotes, qui miniſtrandi cauſa propius ad loca Deo ſacra accedebant. Ezech. 42, 13.

c) Ex hac lege hac occaſione data probabile ſit Nadabum et Abihum ebrios fuiſſe, cum ſuffitum vellent offerre.

ftis inter fanctum et profanum, inter mundum et immundum, 11. et docere Ifraelitas omnia instituta, quæ eis per Mofen edixi. 12. Hic vero Aaroni et filiis ejus fup[illegible]ftitibus, Eleafari et Ithamari, præcepit, fumite, inquiens, quæ reliqua funt ex ferto, Jovæ non libata, atque ea comedite fine fermento juxta altare, funt enim fanctiffima. 13. Comedite, inquam, ea in loco facro, portio enim hæc eft tua et filiorum tuorum, de Jovæ libaminibus. Ita enim mihi præceptum eft. 14. Pectore autem porrecto et armo fublato vefcamini in loco puro. Hæ enim funt portiones tibi et filiis tuis deftinatæ de facrificiis eucharifticis Ifraelitarum. 15. Armus fublatus et pectus porrectum cum adipe Jovæ libando offerenda funt, tibi vero erunt et pofteris tuis ex lege perpetuo valitura. Sic Jova præcepit. 16. Cum deinde Mofes caprum piacularem quæreret, erat combuftus. Iratus propterea Eleafari et Ithamari filiis Aaronis fuperftitibus ait: 17. Cur non comediftis victimam piacularem in loco facro? Res eft fanctiffima, vobis deftinata, ut fuftineatis culpam populi atque eum apud Deum expietis. 18. Non illatus eft ejus fanguis in fanctuarium interius. Edere igitur eam debebatis in loco facro; quemadmodum mihi præceptum eft. 19. Ad hæc Aaron Mofi refpondit: Obtulerunt hodie *filii mei* victimam

ctimam suam piacularem et holocaustum Jovæ, atque hæc mihi evenerunt; si hodie de victima piaculari ederem, num hoc Jovæ probaretur? *d*)
20. In hac Aaronis responsione Moses acquievit.

CAPUT XI

De animalibus mundis et immundis. a)

1. Deinde Jova cum Mose et Aarone sic locutus est:

d) Lugentes ex lege levitica immundi censebantur, neque sacrificiis vesci poterant. Aaron igitur non quidem habitu externo, animo tantum lugens, noluit interesse epulis sacrificialibus.

a) Animalia munda ex lege levitica dicebantur, quæ Israelitis edere fas erat, immunda, quibus vesci nefas habebatur. Sed hæc lex non impediebat, quo minus animalia immunda ad alios usus alere possent et adhibere, v. c. asinos, canes, sues. Scita est observatio Ill. *Michaelis* de hac lege, nos et alias nationes eundem morem sequi, modo non ut legem, sed ex opinione aut consuetudine nobis quoque quædam animalia munda aut immunda videri, quibus nempe vesci, aut a quibus abhorrere soleamus. Israelitis vero lege divina præscriptum fuit, quibus animalibus vesci possent, vel minus. cf. pluribus de hac lege ejusque ratione differentem Ill. *Michaelem* in Jur. Mos. P. IV. §. 202. — Cæterum complura horum animalium nomina prorsus incerta sunt. Nam cum nomina hebræa in linguis orientalibus non amplius supersint, et versiones

eſt: 2. Dicite Iſraelitis: hæc ſunt animalia, quibus. de omni genere quadrupedum veſci vobis vas ſit. 3. Omne animal, quod ungulas habet diviſas, easque prorſus fiſſas in duas *b*) partes, et quod ruminat, eo veſcamini. 4. Sed nefas ſit veſci ex ruminantibus et ungulas findentibus camelo, qui quidem ruminat, ſed non habet ungulas ab utraque parte fiſſas. 5. Non mure urſino, qui ruminat, ſed ungulas non habet fiſſas. 6. Non lepore, qui ruminat quidem; ſed non eſt biſulcus; immundus vobis ſit. 7. Non porco; ungulas quidem habet prorſus diviſas, ſed non ruminat; hunc immundum habetote. 8. Carnem eorum ne comedatis, nec tangatis eorum cadavera, ſint vobis immunda. — 9. De aquatilibus hæc comedatis; omnia quæ pinnas habent

antiquæ admodum diſſentiant, ut earum auctores æque ac nos incertos fuiſſe appareat, quid præter conjecturas easque ſæpe parum probabiles afferre poſſumus? Propterea non dubitavi interdum nomina hebræa retinere, quod ab aliis quoque diligentiſſimis harum rerum inveſtigatoribus factum eſſe vidi. Præter *Bochartum* in Hieroz. dignus eſt qui conferatur Ill. *Michaelis* in quæſtionibus Arabicis quæſt. C. et *Shaw* in Itinerario p. 356. ſeqq. verſ. germ..

b) Ante פַּרְסָה in textu hebræo reſtituendum videtur שְׁתֵּי Sic enim legitur in loco parallelo Devt. 14, 6. atque Codd. ſex a *Kennicotio* citati, Cod. Caſſelanus, Samaritanus, verſio Græca, Syriaca, Onkelos idem habent.

habent et ſquamas, ſive marina ſint, ſive fluvialia. 10. Omnia vero, quæ non habent pinnas et ſquamas, ſive marina, ſive fluvialia, omnia alia quæ in aqua vivunt et degunt, ab eis abhorreatis.. 11. Sint vobis abominabilia, carne eorum ne veſcamini, cadavera eorum deteſtemini. 12. Omnia, inquam, quæ non habent pinnas aut ſquamas, abhorrete. — 13. De volucribus hæ ſunt, quas abominari debetis, neque iis tanquam immundis veſci: aquilam, aquilam oſſifragam, valeriam. 14. Milvum, et Aijæ varia genera, 15. ut et omnia corvorum genera. 16. Struthiocamelum, hirundinem, larum et paſſerum varia genera. 17. Otum, mergum, noctuam. 18. Tinſchemeth, pelieanum, vulturem. 19. Chaſidam, Anaphæ genera, upupam et veſpertilionem. — 20. Omnia volucria, reptilia, quadrupedia abhorrete. 21. Attamen de his quæ habent *c*) duo crura ſupra pedes eminentia, quibus humi ſaliant, eas comedere licet. 22. Hujus naturæ ſunt locuſta, Solgam, Chargol, Chagab, ſecundum diverſa eorum genera. 23. *Præterea* vero omnia volucria reptilia quadrupedia abhorrete. 24. His pollutos vos habeto-

c) Lectionem marginalem לו textuali לא præferendam puto propter teſtimonium Codicis Samaritani et verſionum antiquarum omnium.

betote, qui cadavera eorum tetigerit, impurus fit usque ad vesperam. 25. Item qui ea extulerit, lavato vestimenta sua, et impurus esto usque ad vesperam. — 26. Omnia animalia, quæ ungulas habent non prorsus fissas, neque ruminant, immunda vobis sint; si quis ea tetigerit, polluitur. 27. Quadrupedia quæ pedes in digitos divisos habent, immunda vobis sint, qui cadavera eorum attigerit, impurus est usque ad vesperam. 28. Qui vero ea extulerit, lavet vestimenta et impurus sit usque ad vesperam. — 29. De iis quæ humi repunt, immunda vobis sint, talpa, mus, crocodilus terrestris. 30. Stellio, lacerta, Letaa, Chometa, chamæleon. 31. Hæc de omnibus reptilibus immunda vobis sint, qui ea mortua tetigerit, impurus est usque ad vesperam. 32. In quamcunque rem aliquid istorum mortuum inciderit, polluitur. Sive sit utensile ligneum, sive vestis, sive pellis, sive saccus. Quodcunque instrumentum, quod ad usus certos adhibent, in aquam immittatur. Immundum est usque ad vesperam, tunc mundum est. 33. Si quid istorum ceciderit in vas testaceum, omnia quæ in eo vase sunt, impura redduntur, ipsum vero vas frangatur. 34. Omnis cibus cui aqua affunditur, impurus fit, nec non potus omnis, qui in vase aliquo servatur. 35. In quod illapsum fuerit ejusmodi

modi cadaver, polluitur. Furni et foci excavati et impuri a vobis destruantur. 36. Fontes vero, cisternæ et aquarum receptacula munda manent. Sed qui hujusmodi cadaver tetigerit, polluitur. 37. Semen quod sementi servatur, eorum contactu non polluitur; 38. quodsi jam aquæ immissum *d*) fuerit et inciderit ejusmodi cadaver, impurum vobis sit. — 39. Si animal *quodpiam* eorum, quæ vobis esui licita sunt, mortuum fuerit, polluitur is qui ejus cadaver attigerit usque ad vesperam. 40. Qui de eo ederit, vestes lavet et impurus sit usque ad vesperam, item is qui illud extulerit. — 41. Ab omni quod humi repit, abhorrete, neque id comedite. 42. *Sive* ventre incedat, *sive* sit quadrupes, aut multipes, si humi repit, ne eo vescamini, abominabile vobis sit. 43. Ne vos ullo istorum reptilium contaminetis, neque polluatis. 44. Ego sum Jova Deus vester. Vos semper sanctos servate, ego enim sanctus sum. Neque vos ullo horum reptilium inquinetis. 45. Ego Jova vos ex Aegypto eduxi, ut me tanquam Deum vestrum colatis; igitur sancti estote quemadmodum ego sanctus sum. — 46. Hæ sunt leges de animalibus, volucribus, aquatilibus et humi serpentibus, 47. ut pura ab impuris discerni possint, et ea quibus vesci licet ab eis quibus vesci nefas.

d) et sic sementi jam paratur.

CAPUT XII

De immunditie puerperæ et ritibus quibus purganda sit.

1. Porro Jova Mosen jussit 2. has leges ferre Israelitis: Mulier partum masculum enixa impura est septem dies, quam diu durant lochia ejus rubra. 3. Octavo die puer circumcidatur. 4. Tum porro tres et triginta dies propter lochia alba domi se contineat. Sancta ne attingat, neque ingrediatur sanctuarium, donec totum purificationis suæ tempus fuerit completum. 5. Quodsi puellam pepererit, impura est per duas septimanas pro duratione puerperii sui, et præterea adhuc sexaginta sex dies domi maneat propter lochia alba. — 6. Finito tempore purificationis suæ, sive filii, sive filiæ, adducat agnum anniculum in holocaustum et columbam sive turturem in sacrificium piaculare ad sacerdotem in atrio tabernaculi. 7. Sacerdos illa offerat Deo et sic eam expiet. Hac ratione purificatur a puerperio suo: Atque hæc est lex puerperæ, sive marem sive fœminam enixa fuerit. 8. Quodsi pauperior est quam ut agnum offerre possit, det duos turtures aut duos columbæ pullos, alterum in solidum sacrificium, alterum in victimam piacularem, et sic quoque sacerdos eam potest expiare, ut munda reddatur.

CAPUT

CAPUT XIII

De lepra hominis a sacerdote inspicienda et dijudicanda, et de separatione hominis leprosi e societate civili, v. 1—46. de lepra vestium, v. 47—59.

1. Hæc quoque Jova Mosi et Aaroni dixit: 2. Si in cute cujuspiam extiterit tumor, aut scabies, aut pustula, quæ lepræ a) suspicionem excitent, is adducatur ad Aaronem sacerdotem, aut ad aliquem filiorum ejus sacerdotum, 3. qui adspiciat locum cutis affectum. Si pili ejus albescunt et reliqua cute locus infectus est depressior, lepræ morbus est. Quo viso sacerdos eum hominem impurum judicet. 4. Quodsi vero pustula illa alba est, reliqua tamen cute non depressior, neque pili albescunt; sacerdos includat hominem morbidum per septem dies. 5. Septimo die denuo eum inspiciat. Si videt locum infectum non mutatum esse, neque vitium latius sese per cutem diffudisse, iterum includat hominem illum in septem dies. 6. Si die septimo observat vitium sub-

a) De natura hujus morbi et variis ejus symptomatibus testimonia antiquorum et recentiorum medicorum diligenter collegit et super eis disseruit Ill. *Michaelis* in quæstionibus arabicis quæst. XI. XXVIII. et XXXVI. in Jure Mos P. IV. §. 208. seqq. et in Observatt. ad versionem bibliorum germanicam.

fubſtitiſſe, neque latius ſe in cute expandiſſe, mundum eum pronuntiet, impetigo eſt. Lavet veſtimenta ſua et mundus ſit. 7. Si vero impetigo iſta latius ſeſe per cutem diffuderit, poſtquam ſacerdos hominem illum inſpexit et mundum pronunciavit, denuo ducatur ad ſacerdotem. 8. Qui ſi viderit impetiginem in cute creviſſe, immundum pronunciet hominem iſtum, eſt leproſus. — 9. Si leproſus ad ſacerdotem deducitur, 10. atque hic obſervat tumorem album in cute, qui pilos albos effecit, atque in eo præterea maſſa carnis rubræ exiſtit, 11. lepra eſt jam inveterata. Impurum pronunciet ſacerdos hunc hominem, non opus eſt ut eum includat. 12. Quodſi lepra effloruerit in cute et occuparit totam cutem hominis morbidi a capite usque ad pedes, atque ſacerdos hoc accurate obſervavit, 13. lepram nimirum totam carnem occupaſſe, mundum pronunciet hujusmodi leproſum. Si omnia in eo alba evaſerunt, mundus eſt. 14. Simulac autem carnem crudam in eo videt, immundus eſt. 15. Propterea quoque ſacerdos eum impurum pronunciet. Caro enim cruda impura eſt et lepræ indicium. 16. Illa ſi iterum alba evaſerit, denuo conveniat ſacerdotem, 17. qui ſi illam mutationem revera obſervat, declaret hominem illum morbidum, purum. Eſt enim purus. — 18. Si quis in cute habuerit ulcus,

atque

atque eo ſanato, 19. in eo ipſo loco, in quo fuerit illud ulcus, tumor albus extiterit, aut macula alba, ſive rubra, inſpiciendus eſt a ſacerdote. 20. Qui ſi videt ſuperficiem ejus cute depreſſiorem et pilos albos evaſiſſe, impurum eum pronunciet, lepra eſt in ulcere efflorefcens. 21. Si vero ſacerdos non obſervat pilos candidos, nec locum reliqua cute depreſſiorem et *colorem* ejus debiliorem, includat hominem iſtum per ſeptem dies. 22. Si vitium latius excreverit per cutem, impurum pronunciet eum ſacerdos, lepra ſubeſt. 23. Si vero macula ſubſtiterit, neque latius ſe expanderit, ulcus eſt inflammatum, purum declaret hunc hominem ſacerdos. — 24. Si quis in cute ambuſtus fuerit, et caro cruda loci illius ambuſti accipit maculam albam aut rubram, 25. ſacerdos illum locum inſpiciat. Si pili albeſcunt et ſuperficies reliqua cute depreſſior eſt, lepra in parte illa ambuſta erupit. Sacerdos hunc hominem impurum declaret, leproſus eſt. 26. Si vero obſervat pilum illius maculæ non album evaſiſſe, neque reliqua cute eſſe depreſſiorem et colorem ejus debiliorem, includat eum ſacerdos ſeptem dies. 27. Si ſeptimo die obſervat vitium latius excreviſſe in cute, impurum eum hominem pronunciet, lepra eſt affectus. 28. Si vero macula ſubſtitit, neque latius per cutem prorepſit

 et

et debiliorem colorem contraxit, tumor eſt ex aduſtione; purum pronunciet eum ſacerdos. — 29. Si vir aut fœmina vitio affecta fuerit, ſive in capite, ſive in barba, 30. atque ſacerdos locum illum affectum inſpiciens, invenerit ſuperficiem ejus reliqua cute depreſſiorem et pilos in eo flavos et tenues, impurum pronunciet ſacerdos hunc hominem. Porrigo eſt, ſive lepra in capite aut barba. 31. Quodſi ſacerdos obſervat locum affectum non profundiorem eſſe reliqua cute, neque tamen pilos in eo eſſe nigros, includat hunc porriginoſum in ſeptem dies. 32. Si ſeptimo die viderit vitium non excreviſſe, neque eſſe in eo pilos flavos, nec ſuperficiem ejus eſſe cute depreſſiorem, 33. tondeatur, excepto tamen eo loco in quo porrigo eſt, atque ſacerdos iterum includat porriginoſum in ſeptem dies. 34. Si ſeptimo die viderit non latius vitium excreviſſe in cute, nec ſuperficiem ejus cute eſſe depreſſiorem, mundum eum declaret, veſtes lavet, mundus ſit. 35. Quodſi poſtea latius ſerpſerit porrigo in cute, 36. idque ſacerdos obſervarit, non amplius attendat ad pilos flavos, homo eſt impurus. 37. Si viderit porriginem tenere quidem adhuc locum ſuum, ſed pilos in eo natos eſſe nigros, vitium ſanatum eſt, homo mundus eſt et talem eum quoque judicet ſacerdos. — 38. Si in cute viri aut fœminæ exi-

existunt maculæ albentes, 39. atque sacerdos observat maculas illas esse subalbidas, vitiligo est per cutem erumpens. Purus est homo iste. — 40. Si quis in capite glaber factus fuerit, calvus est, sed purus. 41. Si sinciput glabruerit, recalvus est, sed purus. 42. Quodsi in sincipite aut occipite calvo enatum fuerit vitium albidum aut subrubrum, lepra est, quæ in his partibus erupit. 43. Si sacerdos observat tumorem illum vitiosum albidum esse sive rubrum, quemadmodum in lepra cutis esse solet, 44. leprosus est homo iste et impurus. Sacerdos quoque sic de eo judicet, leprosus est in capite. 45. Leprosus incedere debet scissis vestibus, capite nudo, ore velato et identidem clamet: cavete *vobis* ab impuro. 46. Quamdiu morbo isto est infectus, impurus est, solitarius degat extra castra. — 47. Si in veste lepra *b*) existit, sive lanea, sive linea sit,

48.

b) Nemo tam hebes est, quin intelligat vocabulum *lepræ* de vestibus adhibitum in hac pericopa non proprie sed improprie dici, de vitio quo vestimenta ex lana, lino, aut pellibus fabricata laborent. At enim vero istud vitium quale sit, de omnibus nondum satis constat. Quod ad lanam attinet, Ill. *Michaelis* a mercatore est edoctus, lanam ovium, quæ ex morbo perierint, non cultro essent jugulatæ, (*Sterbewolle*) pannis conficiendis esse ineptam, atque his, aut similibus vitiis laborare, quæ Moses

lanæ

48. vel iisdem vel diverſis filis c) texta ſit, aut lineis

lanæ leproſæ tribuat. vid. Jus Moſ. P. IV. p. 261. De lino autem et pellibus nondum certi quid reſcire potuit.

c) Quanquam interpretes fere omnes שְׁתִי per *ſtamen*, et עֵרֶב per *ſubtegmen* vertunt, tamen contextus docet, hanc non eſſe poſſe harum vocum in hac pericopa (in qua etiam ſolum leguntur) ſignificationem. Quomodo enim comburi poteſt ſecundum verſ. 52. *ſive* ſtamen *ſive* ſubtegmen vitioſæ veſtis? aut quomodo ex veſte lepra infecta, pars vitioſa ſecundum verſ. 56. *vel* ex ſtamine *vel* ex ſubtegmine ſcindi poteſt, cum tota veſtis ſ. pannus ſtamine ac ſubtegmine unice conſtet? *Clericus* quidem, qui vidit hæc nullo modo poſſe conciliari, explicat ſtamen et ſubtegmen de filis ad texendum paratis, nondum in pannum fabricatis. At iterum contextu reclamante. Nam ſermo eſt de veſte jam fabricata, non de materia ex qua fabricari debeat. Alii interpretes ſilent, quaſi nulla eſſet in hac verborum verſione difficultas. Unus quod ego quidem ſciam, *Hubigantius*, eam removere tentavit. Primo negat שְׁתִי et עֵרֶב *ſtamen* et *ſubtegmen* ſignificare poſſe. Leguntur hæc vocabula tantum in hac pericopa, in qua illam ſignificationem pro contextu, uti jam ſupra probavimus, prorſus non habere poſſunt. Igitur de alia eſt cogitandum, quam contextus admittit. Jam vero conjectat עֵרֶב ſignificare veſtem texturæ diverſæ, h. e. quæ conſtet filis ſpiſſioribus et tenuioribus, uti eſt in tapetibus et aliis veſtibus ex lana et lino paratis. Sub שְׁתִי vero

neis aut laneis, aut in pelle, aut in quovis utenſili pelliceo; 49. Si nempe in ulla harum rerum comparet macula viridis, aut rubra, lepra eſt, ſacerdoti oſtendatur. 50. Is inſpiciat maculam et includat *utenſile illud* ea infectum per ſeptem dies. 51. Si ſeptimo die obſervat maculam illam latius erupiſſe in veſte, ſive iisdem, ſive diverſis filis texta, aut in pelle, aut in quavis alia ſupellectile pellicea, lepra eſt corrodens, vitium impurum. 52. Comburat hanc veſtem iisdem aut diverſis filis textam, laneam vel lineam aut utenſile pelliceum. Lepra corrodente infectum eſt, igne comburatur. 53. Quodſi ſacerdos obſervat vitium non latius ſeſe diffudiſſe, 54. jubeat ut res infecta lavetur, atque iterum per ſeptem dies eam includat. 55. Si poſt lotionem videt,

vero intelligit texturam ſimplicem, quæ conſtet filis ejusdem formæ ſ. generis. Ex origine admittunt vocabula hanc ſignificationem. Nam שְׁתִי ex Syr. אשׁתי *texere* illuſtrandum eſſe jam in lexicis obſervatum eſt. עֶרֶב autem *miſcendi* notionem habere dubio caret. Et quoniam tantum in hac pericopa occurrunt, nemo neget ea, ut vocabula artis, hanc ſignificationem habere poſſe. Non ſum neſcius ex contextu ſignificationem vocum divinari non tuto poſſe, qui ſæpe complures admittat; neque contradicam, ſi quis alias magis aptas ſignificationes illis vocibus ſubſtituat, dummodo mihi concedatur, hactenus allatas per contextum nullo modo eis tribui poſſe.

det, vitii colorem neque mutatum esse, neque latius excrevisse, impurum est, comburatur, corrosio est sive in parte aversa, sive adversa. 56. Quodsi sacerdos videt colorem loci infecti debiliorem factum esse post lotionem, scindat eum ab illa veste, aut pelle, sive iisdem sive diversis filis texta. 57. Si amplius comparet vitium, lepra est efflorescens, totum illud igne comburatur. 58. Si vitium post lotionem disparuit, iterum lavetur et mundum esto. 59. Hæc est lex de lepra vestium lanearum et linearum, filis vel iisdem vel diversis textarum, et de quovis utensili pelliceo, ex qua de puritate et impuritate earum judicandum est.

CAPUT XIV.

De purgatione hominis leprosi qui convaluit v. 1 — 32. de lepra ædium inspicienda et dijudicanda v. 33 — 57.

1. Porro Jova cum Mose hunc in modum collocutus est. 2. Hi sint ritus observandi in purificatione leprosi. Nimirum sistatur sacerdoti. 3. Qui *ad eum* extra castra exeat, et si viderit leprosum morbo suo sanatum esse, 4. tum jubeat sumi pro purificando duas aves vivas et puras, lignum cedrinum, *filum* coccineum et hyssopum. 5. Porro jubeat sacerdos mactari alteram harum avium et sanguinem ejus excipi in vase fictili, aqua fontana repleto.

6. Quo

6. Quo facto sumat alteram avem vivam, lignum cedrinum, filum coccineum, et hyssopum, atque hæc *in fasciculum colligata* intingat una cum ave viva in sanguinem ovis mactatæ super aqua fontana, 7. et conspergat a lepra purificandum septies, et *hoc facto* mundum declaret, avem vero vivam liberam dimittat. — 8. Postea lavet purificandus vestes suas, radat omnes pilos, abluat se aqua et sic mundus habeatur. Redeat quoque in castra, sed maneat extra tabernaculum suum septem dies. 9. Die septimo abradat omnes pilos capitis, barbæ, superciliorum, omnes omnino pilos, abluat vestimenta sua seque ipsum aqua lavet, et sic mundus est. — 10. Octavo die duos agnos integros et agnam unam anniculam et intégram, tres decimas similaginis pro ferto, oleo mixtas et logum unum olei offerat. 11. Tum sacerdos purificans sistat hominem purificandum et munera ista ad introitum tabernaculi coram Jova, 12. et adducat alterum agnum ut sacrificium pro delicto cum logo olei, et utrumque Jovæ porriciat. 13. Quo facto mactet istum agnum in eo loco, in quo victimæ pro delicto et holocausta mactari solent in loco sacro. Sacerdotis est hæc victima pro delicto, uti sacrificium piaculare, res sanctissima. 14. Tum sumat sacerdos de sanguine hujus victimæ pro delicto,

atque

atque eo oblinat lobum dextræ auris et pollicem dextrum manus et pedis purificandi. 15. Porro infundat de logo olei in volam suam sinistram, 16. et intingat ei digitum suum dextrum et spargat eo septies coram Jova. 17. Reliquo oleo, quod in vola ejus superest, illinat lobum dextræ auris et pollicem dextrum manus et pedis purificandi super sanguine illo sacrificii pro delicto, 18. et quod adhuc superest ex illo oleo, immittat capiti purificandi. Hac ratione sacerdos eum coram Jova expiat. 19. Tunc faciat sacrificium piaculare ad expiandam purificandi impuritatem. Porro mactet solidum sacrificium, 20. idque una cum ferto in altari immolet. Quibus confectis expiavit eum sacerdos et purus est. — 21. Sed si pauperior est, nec habet in facultatibus suis afferre *ista sacrificia omnia*, tradat agnum unum pro delicto porriciendum in sui expiationem, et unam decimam similæ oleo mixtam pro ferto et logum olei. 22. Duos turtures aut duos pullos columbarum pro facultatibus suis, alterum in victimam pro delicto, alterum in solidum sacrificium. 23. Quæ omnia afferat die octavo in sui purificationem ad sacerdotem ante tabernaculum. 24. Sacerdos agnum pro delicto et logum olei porriciat coram Jova. 25. Deinde mactet eum et aliquid de sanguine ejus illinat lobo

dextræ

dextræ auris et pollici dextro manus et pedis purificandi. 26. De oleo vero infundat aliquid in volam suam sinistram, 27. et spargat eo septies coram Jova digito suo dextro. 28. Porro isto oleo, quod in vola tenet, intingat lobum dextræ auris et pollicem dextrum manus et pedis purificandi, eodem in loco, quo sanguinem pro delicto illeverat. 29. Reliquum oleum e manu infundat in caput purificandi, quo facto Jovæ expiabitur. 30. Tandem alterum turturem, aut pullum columbæ pro facultatibus suis oblatum, 31. in sacrificium pro delicto et alterum in holocaustum cum ferto offerat. Hac ratione expiet sacerdos purificandum coram Jova. 32. Hi sunt ritus observandi in purificatione leprosi pauperis. — 33. Porro Jova cum Mose et Aarone his verbis est collocutus: 34. Quando in Cananæam, quam vobis possidendam daturus sum, perveneritis, atque ego domum aliquam terræ vestræ lepra a) infecero, 35. ejus possessor indicet sacerdoti,

a) Quod ad Cap. 13, 47. de significatione tropica lepræ in vestibus observatum est, valet etiam de lepra ædium. Caries nempe quasi quædam murorum est, dum lapides arroduntur a nitro, quod in eis nascitur, germanice vocari solet *Salpeterfrass*. De quo pluribus egit Ill. *Michaelis* in libro ad illum locum laudato.

doti, conspici in ædibus suis aliquid lepræ simile. 36. Tum jubeat sacerdos domum evacuari, antequam ipse veniat ad vitium inspiciendum, ne inquinetur supellex domestica. Quod, si factum fuerit, intret domum, 37. et inspiciat ejus vitium. Si in parietibus videt cava viridia, aut rubra, quorum superficies pariete est depressior, 38. discedat et claudat hanc domum in septem dies. 39. Septimo die redeat. Si observat vitium latius in pariete sese expandisse, 40. jubeat lapides vitio infectos evelli et extra urbem in locum impurum abjici, 41. domum vero intus circumquaque abradi et pulverem abrasum effundi extra urbem in locum impurum. 42. Quo facto alios lapides in illorum locum reponant, et alio tectorio domum illinant. 43. Si redit vitium, et in domo illa denuo comparet post lapides evulsos et erasam et trullisatam domum, 44. et sacerdos observat vitium latius excrevisse, lepra corrodente domus ista infecta est et impura. 45. Destruatur et lapides ejus, ligna et totum ejus tectorium efferatur extra urbem in locum impurum. 46. Qui domum istam ingreditur, illis diebus quibus clausa est, polluitur usque ad vesperam. 47. Qui cubat in ea, aut cibum sumit, vestimenta lavet. — 48. Quodsi sacerdos animadvertit vitium illius domus non latius erupisse, post-

quam

quam novo tectorio obducta est, puram eam pronunciet, vitium ejus sanatum est. 49. In expiationem autem ejus adhibeat duas aves, lignum cedrinum, filum coccineum et hyssopum. 50. Mactet alteram avem et excipiat sanguinem ejus in vase testaceo aqua fontana repleto. 51. Tum sumat lignum cedrinum, hyssopum et filum coccineum, atque hæc in *fasciculum colligata* una cum ave viva immergat in sanguinem avis mactatæ et in aquam illam fontanam, et conspergat domum septies. 52. Sic expiet domum istam sanguine avis et aqua fontana, ave viva, ligno cedrino, hyssopo et filo coccineo. 53. Tandem avem vivam extra urbem liberam dimittat. Hac ratione domus expiatur et purificatur. — 54. Hæ sunt leges de morbo lepræ et de porrigine, 55. de lepra vestium et ædium, 56. de tumore, impetigine et macula, 57. secundum quas judicandum est, quid pollutum sit, quid mundum. Hactenus leges de lepra.

CAPUT XV

Leges de viris et mulieribus immundo fluxu seminis et sanguinis laborantibus.

1. Item Jova jussit, ut Moses et Aaron 2. Israelitis hæc edicerent: Si quis fluxu seminis laborat, impurus est. 3. Neque solum dum durat ille flu-

xus, ſed etiam quando remittit, impurus eſt. 4. Lectus in quo ægrotus ille cubat, ſella in qua ſedet, inquinantur. 5. Qui lectum ejus tangit, veſtes et corpus lavet, et impurus ſit usque ad veſperam. 6. Item qui in eadem ſella conſedit, qua ægrotus utitur. 7. Item qui verenda ejus tetigerit. 8. Item qui ab ægroto conſputus fuerit. 9. Sella cui inſidet, jumento vectus, impura eſt. 10. Qui tetigerit aliquid quo ægrotus uſus eſt, impurus eſt usque ad veſperam, et qui aliquid de eo extulerit, abluat veſtimenta ſua et corpus, et impurus ſit usque ad veſperam. 11. Item faciendum eſt ei, quem ægrotus tetigerit manibus illotis. 12. Vas teſtaceum quod contrectavit, frangatur, ligneum aqua eluatur. 13. Quando ægrotus e morbo ſuo convaluit, expectet ſeptem dies poſt recuperatam ſanitatem, tunc lavet veſtimenta ſua, ſeque ipſe in aqua fontana abluat, et ſic mundus eſt. 14. Die vero octavo afferat duos turtures, aut duos columbarum pullos in locum ſacrum ad tabernaculum conventus, eosque tradat ſacerdoti. 15. Qui alterum in victimam pro delicto, alterum in holocauſtum faciat, atque ſic eum expiet coram Jova propter fluxum quo laboravit. — 16. Vir cui ſemen genitale effluxerit, aqua totum ſuum corpus abluat et immundus ſit usque ad veſperam. 17. Stragulum

aut

aut pellis in quam semen inciderit, aqua eluatur et immunda sit usque ad vesperam. — 18. Si vir cum muliere rem habuerit, utrique laventur, et immundi sint usque ad vesperam. — 19. Mulier quæ menstrua sua patitur, per septiduum manet in impuritate sua: quicunque eam tetigerit, pollutus est usque ad vesperam. 20. Omne utensile in quo cubat aut sedet, donec in menstruis erit, polluitur. 21. Qui lectum ejus tetigerit, abluat vestimenta sua et corpus suum, et impurus est usque ad vesperam. 22. Item qui aliquid contrectarit in quo consedit, 23. sive lectus sive sella sit qua mulier hujusmodi utatur; contactus ejus inquinat usque ad vesperam: 24. Si vir juxta eam dormierit, et ejus menstruis contactus fuerit, per septem dies cum ipse impurus est, tum lectus quoque, in quo cubat. — 25. Mulier cui cruor defluit complures dies, vel alieno a menstruis tempore, vel ultra illud, toto illo immundi fluxus tempore perinde ac menstruorum tempore impura est. 26. Lectus cui incubat, sella cui insidet, immunda sunt, quemadmodum tum, cum in mensibus est. 27. Qui alterutrum attigerit, inquinatur, abluat se et vestes suas, et impurus sit usque ad vesperam. 28. Postquam convaluit ex illo fluxu, expectet adhuc septem dies, et tunc pura est. 29. Octavo die duos turtures et

duos columbarum pullos afferat ad ſacerdotem ad introitum tabernaculi. 30. Is alterum faciat in ſacrificium pro delicto, alterum in holocauſtum, atque hac ratione expiet eam apud Jovam propter fluxum ejus impurum. 31. Curate ut ſe ſeparent Iſraelitæ propter immunditiem ſuam, ne morte afficiantur in impuritate ſua, dum habitationem meam, quæ inter eos eſt, contaminant. — 32. Hæ ſunt leges de fluxu feminis et de eo qui emiſſo ſemine genitali polluitur, 33. item de menſtruis mulierum de profluvio viri aut fœminæ et de viro qui juxta immundam dormierit.

CAPUT XVI

Ritus die expiationis ſolenni obſervandi.

1. Poſt mortem duorum Aaronis filiorum, quam ſibi contraxerant cum Jovæ libarent, Jova cum Moſe his verbis locutus eſt: 2. Admone Aaronem fratrem tuum, ne quovis tempore ſanctuarium intra ſiparium verſus operculum, quod ſuper arca eſt, ingrediatur, ne morte pereat, quoniam in nube a) ſuper

a) Plerique interpretes ex h. l. probant nubem, quam Judæi Schechinam vocare ſolent, ſymbolum præſentiæ divinæ, arcæ fœderis perpetuo inſediſſe. Quod alii negant et ſub nube hac fumum ſuffitus intelligunt inſtar nubis aſcendentis

per arca me conſpiciendum præbebo. 3. Sed aditum ſibi paret ſacrificio piaculari juvenci et holocauſto arietis. 4. Tunicam lineam ſacram induat, femoralibus lineis ſe veſtiat, cingulum lineum ſibi applicet et tiaram lineam *capiti* circumvolvat. Hæ ſunt ſacræ veſtes, quibus ſe amiciat poſtquam antea corpus abluerit. 5. A coetu vero Iſraelitarum duos capros ad victimam piacularem et arietem unum ad ſolidum ſacrificium accipiat. — 6. Primo ſacrificium ſuum piaculare, juvencum, offerat, eoque ſe et domum ſuam expiet. 7. Deinde duos capros ſiſtat coram Jova ad introitum tabernaculi conventus, 8. et ſorte ſuper eis jacta alteram *Jovæ*, alteram *Dimiſſo b)* inſcribat. 9. Tum adducat caprum qui ex ſorte *Jovæ* deſtinatus fuit, atque eo ſacrificium piaculare faciat. 10. Alterum caprum ſorte *dimiſſi* ſignatum, vivum ſiſtat coram Jova, ut eum expiet et deinde libere dimittat in deſerti paſcua. — 11. Quo facto Aaron adducat juvencum victimam pia-

dentem atque operculum obtegentem. Quibus et ego aſſentior, cum in verſu 13. verbis clariſſimis explicetur, quæ de nube ſermo ſit. De controverſia ſuper hac re agitata vid. *Simonis* prælectt. in Antiquitt. Jud. Relandi.

b) De hirco hoc emiſſario, uti vulgo dicitur, cf. dicta ad *Glaſſium* p. 678.

piacularem pro se ipso. 12. Tum thuribulum prunis ex altari divino plenum et suffiminis contusi plenos pugillos inferat intra siparium c). 13. et immittat suffitum in ignem coram Jova, ut nubes ejus tegat operculum super arca legis, ne moriatur. 14. Deinde sumat de sanguine juvenci et spargat digito super operculo orientem versus, et ante illud, solum conspergat septies. 15. Tum mactet caprum piacularem pro populo et inferat sanguinem ejus intra siparium, atque *ibi* idem faciat cum eo, quod antea cum sanguine juvenci, nimirum conspergat operculum et ante hoc *ejus solum*, 16. ut *hoc modo* expiet sanctuarium ab Israelitarum impuritatibus et peccatorum eorum defectionibus. Sic quoque faciet tentorio conventus, quod in media eorum immunditie fixum est. 17. Nemo autem sit in tentorio conventus, quando Aaron sanctuarium ingressus est ad expiandum. Quando autem se ipsum, domum suam et universum Israeliticum cœtum expiavit, 18. exeat ad aram Jovæ eamque expiet. Nimirum sanguine juvenci et capri intingat ejus eminentias

19. et

c) Per se intelligitur, sacerdotem suffitum, cujus duos pugillos debebat secum inferre in sanctuarium præter thuribulum, non manibus tenuisse, sed ingessisse in vasculum, ex quo deinde, cum ingrediebatur, eum in acerram effudit.

19. et fuper ea digito fuo fpargat fepties. Hac ratione mundabit et expiabit eam ab impuritatibus Ifraelitarum. 20. Perfecta expiatione fanctuarii, tabernaculi, et altaris, adducat caprum vivum, 21. et impofitis ejus capiti ambabus manibus confiteatur omnia Ifraelitarum peccata et defectionum delicta. Imponat ea capiti hujus hirci, et dimittat eum per certum *d*) quendam virum in deferti pafcua. 22. Sic ferat ille hircus eorum peccata in terram incultam, dimittatur in defertum. *e*) — 23. Tum veniat Aaron in tabernaculum conventus, et depofitis veftibus lineis, quibus indutus fuit, cum Sanctuarium ingredere-

d) pro עִתִּי legendum videtur עָתִיד illius enim forma tantum h. l. obvia eft contra analogiam. *οἱ ό, ἐν χειρὶ ἀνθρώπου ἑτοίμου.* Vulg: *per hominem paratum.* Sic quoque reliqui.

e) Quanquam Judæi multa nugentur de morte crudeli, qua hircus ifte perierit, tamen fabulæ iftæ a Chriftianis non nimis credulis (v. *Heinii* Differt. de Judæorum in rebus antiquitatis erroribus, in Differtatt. ejus facris p. 181.) jure meritoque funt repudiatæ. Non ad mortem hircus ifte dimiffus eft, fed ad libertatem. Expiatus fuit Jovæ fecundum v. 10. et fic libertatem erat confecutus. Symbolum effe debebat populi Jovæ expiati et libertatem confecuti, cum alter Jovæ facer ut facrificium piaculare mactaretur v. 9.

deretur, eisque ibi relictis, 24. lavet se in loco sacro et vestimentis suis consuetis indutus exeat et faciat holocaustum suum et holocaustum populi, atque expiet se et populum. 25. Adipem vero victimæ hujus piacularis incendat super altari. — 26. Ille vero qui hircum dimissum abduxit, lavet se et vestimenta sua, et tum demum redeat in castra. 27. Juvencum et caprum piaculares, quorum sanguis in sanctuarium expiandi causa illatus fuit, efferantur extra castra, ibique pelles, caro et fimus eorum comburatur. 28. Qui ista combusserit, abluat se et vestes suas, et ita demum in castra redeat. — 29. Hoc institutum usus vobis sit perpetui. Decimo die mensis septimi jejunare debetis, atque ab omni labore abstinere, indigena æque ac peregrinus inter vos degens. 30. Hoc enim die *sacerdos* vos expiat, ut purgemini apud Deum ab omnibus vestris peccatis. 31. Hoc sabbato feriari debetis et jejunare æterno instituto. 32. Sacerdos qui ungetur, et qui in locum patris sui ad sacerdotium obeundum inaugurabitur, induat vestes lineas sacras, 33. atque expiet sanctuarium, tabernaculum conventus, altare, sacerdotes, et universum populi cœtum. 34. Lex hæc vobis æterna sit, ut Israelitæ ab omnibus peccatis suis semel quotannis expientur. — Facta sunt omnia quæ Jova Mosi præceperat.

CAPUT

CAPUT XVII

Prohibetur esus carnis, nisi in epulis sacrificalibus, et ab omni omnino sanguine abstineri jubetur.

1. Porro Jova cum Mose his verbis collocutus est: 2. Hæc Aaroni et filiis ejus nec non omnibus Israelitis nomine meo edicito: 3. Quicunque de Israelitis mactarit pecus bovillum, ovillum, vel caprinum in castris aut extra castra, 4. neque hoc in introitu tabernaculi conventus tanquam sacrificium Jovæ obtulerit ad ejus habitationem, cædem commisisse reputabitur, supplicio propterea afficiendus *a*). 5. Debent

a) Plerique interpretes legem de sacrificiis intelligunt Jovæ offerendis in altari tabernaculi recens exstructi, cum antea Israelitæ, quocunque in loco eis placuisset, sacra fecissent. Sed Ill. *Michaelis* in notis ad vers. germ. et in Jure Mos. P. III. p. 167. existimat interdici omnem esum carnis pecoris bovilli et ovilli, nisi in epulis sacrificalibus, atque consilium legislatoris fuisse prohibere occultam idololatriam, quæ utique, nisi cultus Jovæ sacer ad certum locum esset restrictus, facile poterat exerceri; attamen restrictam fuisse hanc legem tantum ad tempus commorationis in deserto; postquam enim Israelitæ ad terræ promissæ fines pervenerant, Moses esum communem carnis iterum concedit Devt. 12, 15. seqq. Quæ Viri Celeb. sententia inprimis hac lege firmari videtur. Nam id ipsum quod Moses esum carnis quocunque in loco concedit, subindicat, eum antea fuisse interdictum.

Debent enim Israelitæ victimas, quas in agris mactant, deferre ad tabernaculum conventus ad sacerdotem, atque ibi Jovæ sacrificia sua eucharistica mactare. 6. Quorum sanguinem sacerdos sparget super altari Jovæ sacro in introitu tabernaculi, atque adolebit adipem tanquam sacrificium Jovæ acceptum. 7. Non licitum sit eis deinceps immolare victimas suas satyris, quos turpi idololatriæ amore persequuntur. Lex hæc sit eis et eorum posteris perpetua. — 8. Porro eis dices: Quicunque de Israelitis, aut peregrinis inter eos commorantibus, obtulerit holocaustum aut *aliud* sacrificium, 9. neque hoc ad tabernaculum conventus detulerit, ut Jovæ immoletur, is exscindatur e numero civium suorum. 10. Quicunque de Israelitis aut peregrinis inter eos sanguinem comederit, in hunc ego conversus tollam eum e medio populi sui. 11. Vita enim animalium in sanguine est, atque ego volo, ut hunc mihi in altari offeratis in ipsam vestram expiationem. Sanguis enim est quo vita hominis expiatur. 12. Propterea jubeo ut omnes omnino Israelitæ atque etiam peregrini inter eos viventes a sanguine abstineant. 13. Quodsi eorum aliquis venando ceperit feram, aut volucrem quem edere licet, sanguinem ejus in humum effluere faciat, et terra tegat. 14. Nam vita animantis in sanguine ejus est, propterea jubeo ut Israe-

Israelitæ nullo omnino ſanguine animalium veſcantur. Quicunque comederit, pereat. 15. Quicunque morticinum aut diſcerptum guſtaverit, ſive indigena ſive peregrinus, lavet ſe et veſtimenta ſua et immundus ſit usque ad veſperam. 16. Quod, ſi non fecerit, poenas dabit.

CAPUT XVIII

Matrimonia quædam prohibentur, quæ inter Aegyptios et Cananæos concedebantur.

1. Porro Jova juſſit Moſen, 2. ſuo nomine his verbis cum Iſraelitis agere: Ego Jova ſum Deus veſter. 3. Ne Aegyptiorum, inter quos vixiſtis, aut Cananitarum, ad quorum terram vos duco, mores imitemini, neque eorum inſtituta obſervetis. 4. Meas leges tenete et ad has vitam veſtram diligenter inſtituite. Ego Jova ſum Deus veſter. 5. Legum et inſtitutorum meorum curioſa obſervatione vos, uti omnis qui ea fecerit, felices eritis. Ego ſum Jova. 6. Nemo veſtrum mulieris conſanguinitate ei propinquæ verenda retegat *a*). Ego ſum Jova.

a) Non ingrediar in controverſias ſuper legibus Moſis matrimonialibus, quarum nec breviſſimam enarrationem anguſtiæ, quibus hæ notulæ circumſcriptæ ſunt, caperent. Data opera hoc argumentum pertractavit Ill. *Michaelis* in libro cui titulum fecit: von den Ehegeſetzen Moſis etc. cujus Epitomen dedit in Jure Moſ. P. II. §. 101. ſeqq.

va. 7. Verenda patris tui, hoc eſt, verenda matris tuæ ne retegas. Mater tua eſt. Abſit, ut hoc facias. 8. Neque cum noverca tua hoc committas. Patris tui ſunt verenda. 9. Sororis tuæ, ſive ex patre ſive ex matre, ſive domi ſive foris natæ *b*) verenda ne retegas. 10. Neptis tuæ, tum ex filio tum ex filia, verenda ne retegas, tua ſunt verenda. 11. Filiæ novercæ tuæ a patre tuo genitæ verenda ne retegas. Soror tua eſt. 12. Amitæ tuæ verenda ne retegas. Patris tui conſanguinea eſt. 13. Materteræ tuæ verenda ne retegas, matris tuæ conſanguinea eſt. 14. Avunculi tui ex patre verenda ne retegas, hoc eſt, cum uxore ejus ne rem habeas. Amita tua eſt. 15. Nurus tuæ verenda ne retegas, filii tui uxor eſt. Abſit ut hoc facias. 16. Uxoris fratris tui verenda ne retegas. Fratris tui ſunt verenda. 17. Ne ineas mulierem et filiam ejus, nec neptem ejus, ſive ex filio ſive ex filia. Conſanguineæ tuæ ſunt. Inceſtus eſt. 18. Uxoris ſororem ne in matrimonium ducas ad æmulationem ejus excitandam cum hac propter illam concumbens, illa vivente. 19. Ne rem habeas cum muliere quæ in menſibus eſt. 20. Cum alterius uxore ne concumbas

b) In textu legitur active מוֹלֶדֶת, ſed paſſive legendum eſſe מוּלֶּדֶת probavit *Michaelis* in J. M. l. c. §. 114. 115.

bas et polluaris. 21. E liberis tuis nullum in honorem Molochi per ignem trajicies, quo facto Deum tuum abnegares. Ego fum Jova. 22. Cum mare ne concumbas uti cum femina. Abominabile hoc eft. 23. Neque concubitu cum animali te contamines. Neque mulier beftiæ fe proftituat. Flagitium hoc eft. 24. Ne ullo iftorum vos inquinetis, quemadmodum fecerunt gentes, quas ego ante vos expello. 25. Terra fuit contaminata, puniam ejus fcelera. Evomet fuas incolas. 26. Leges et ftatuta mea diligenter obfervate, nec quidquam iftorum fcelerum committite, neque indigena, neque peregrinus, qui inter vos commoratur. 27. Ifta enim flagitia omnia patrarunt incolæ hujus terræ, qui vos antecefferunt, quibus turpiter polluta eft. 28. Alias enim vos quoque terra evomet, fi eam inquinatis, quemadmodum gentem evomuit, quæ ante vos eam inhabitavit. 29. Quicunque ullum iftorum fcelerum admiferit, is e medio popularium fuorum tollatur. 30. Diligenter igitur obfervate quæ vobis obfervanda præcepi, ita ut abftineatis a moribus iftis turpiffimis, qui antea *in terra ifta* obtinuerunt, neque vos iis polluatis. Ego Jova fum Deus vefter.

CAPUT XIX

Leges variæ, de reverentia in parentes, de idolis, de sacrificiis eucharisticis, spicilegio et racematione, furto, mendacio, jurejurando, justitiæ studio, amore erga alios, concubitu cum serva, arboribus plantatis, tonsura, superstitione etc.

1. 2. Hæc quoque, inquit Jova ad Mosen, nomi-
ne meo omni Israelitarum coetui edicere debes:
Sancti estote, nam ego Jova Deus vester sanctus
sum. 3. Quisque matrem suam et patrem suum re-
vereatur, et sabbata mea servate. Ego Jova sum
Deus vester. 4. Ne vos convertatis ad idola, neque
simulacra Deorum fusa faciatis. Ego Jova sum Deus
vester. 5. Si sacrificium eucharisticum mihi offerre
vultis, ita hoc facite ut probemini. 6. Ipso sacrifi-
cii die et sequenti comedatur. Quod in tertium
diem reliquum est, igne comburatur. 7. Quodsi ta-
men tertio die comeditur, impurum habetur *hoc sa-
crificium*, neque acceptum est, 8. et qui de eo co-
mederit, culpam contrahit, nam quæ mihi sacra
erant, profanavit; exscindatur propterea e populo
suo. — 9. Quando agrorum vestrorum messem fa-
cietis, non demetetis extremas eorum partes, nec
spicilegium habeatis. 10. Vineas non racemabitis,
neque acinos relictos colligetis. Pauperi hæc et pe-
regrino relinquite. Ego Jova Deus vester. —

11. Ne

11. Ne furemini, ne denegetis alteri *depositum suum*, nec alios decipiatis. 12. Ne per nomen meum falso juretis et profanetis nomen Dei vestri. Ego Jova sum. 13. Ne alios vi opprimatis aut diripiatis. Ne retineatis mercedem operarii in diem posterum. 14. Ne dicatis convicia surdo, ne ponatis cœco offendiculum. Revereamini Deum vestrum. Ego Jova sum. 15. In judiciis ne quid iniqui committatis, neque partibus pauperis favete, neque auctoritati potentioris assentamini. Ex æquo omnes judicate. — 16. Ne delatores sitis aliorum, nec in causa capitali nimis faciles vos præbeatis ad testimonium perhibendum. 17. Ne odio persequamini alios, arguite eos quominus et ipsi propter eos peccati rei fiatis. 18. Ne vindictæ cupidi sitis, nec injuriæ ab aliis acceptæ memores; amate vos invicem. Ego Jova sum. 19. Servate præcepta mea. Non diversa genera pecoris vestri coire faciatis. Agros vestros non diversi generis semine conferatis, neque vestes duplicis materiæ ex lana et lino contextas *a*) induatis. 20. Si quis cum muliere concubue-

a) Hæc lex repetita legitur Devt. 22, 11. ubi explicatur, quid sit per כִּלְאַיִם intelligendum, lana nempe et linum. Sed quid שַׁעַטְנֵז proprie significat? Missis variis virorum doctorum de hujus vocis origine sententiis ex lexicis facile cognoscendis, dicam tantum de Celeb. *Forsteri* expli-

 catione

cubuerit, quæ ferva eſt, et qua alius pro lubitu utitur, *b*) nec tamen redemta nec libertate donata, vapulabunt ambo *c*), non ſupplicio afficientur, quoniam non manumiſſa fuerat. 21. Vir autem ſacrificium pro delicto, arietem, Jovæ afferat ad tabernaculum conventus, 22. quo expiet ſacerdos in loco ſacro peccatum ab eo commiſſum, cujus etiam veniam impetrabit — 23. Quum in terram *promiſſam* perveneritis atque arbores frugiferas cujuscunque generis plantaveritis, primi earum fructus, tanquam præputium, impuri vobis videantur. Per tres annos ab eſu horum fructuum abſtineatis. 24. Quarto vero anno mihi conſecrentur in conviviis ſacrificalibus, 25. quinto demum anno eos ipſi colligatis et comedatis. Ego Jova ſum Deus veſter. 26. Ne carne cum

catione, quam dedit in libro de Byſſo antiquorum p. 92. Ibi probavit שעטנז vocem eſſe Aegyptiacam *Shontnes* et certum quoddam veſtimenti genus notare, variantibus lanæ et lini liciis texti. Cujus uſum Deus populo ſuo interdixerit, partim propter magnum harum veſtium pretium, partim quoniam hujus generis veſtes variis figuris animalium et plantarum pictæ fuiſſent ex cultu ſymbolico Deorum Aegyptiorum, ut Iſraelitæ ab illo cultu retinerentur.

b) Sic phraſin rariorem explicat *Schultenſius* in Animadv. philol. ad h. l.

c) Sic Vulgatus recte; ſequitur enim pluralis *non moriantur*. cf. *Michaelis* in J. M. P. V. p. 50.

cum ſanguine veſcamini. Ne ex ſerpentibus, aut nubibus omina captetis. 27. Ne extremos capillos in orbem tondeatis, nec extremam barbæ partem radatis. 28. In funere carnem veſtram ne incidatis, neque ſtigmata vobis inſculpatis. Ego ſum Jova. 29. Filiam tuam ad meretricandum ne proſtituas, ne terra ſcortationibus et turpiſſimis ſceleribus impleatur. 30. Sabbata mea ſervate et ſanctuarium meum veneremini. Ego ſum Jova. 31. Ne vos convertatis ad ventriloquos, nec conſulatis hariolos, quo facto vos contaminatis. Ego ſum Jova Deus veſter. 32. Seni aſſurgite et honorem exhibete pro reverentia mihi Deo veſtro debita *d*). Ego ſum Jova. 33. Peregrinos in terra veſtra commorantes ne affligatis. 34. Sicuti indigenæ vobis videantur. Amate eos ut vos ipſos. Nam vos quoque peregrini fuiſtis in Aegypto. Ego Jova ſum Deus veſter. 35. In judicio, in dimenſione, in pondere, in menſura nullam admittite iniquitatem. 36. Trutina juſta, pondere juſto, modio juſto et ſextario juſto utemini. Jova ſum Deus veſter, qui vos ex Aegypto eduxit. 37. Omni ſtudio igitur ſervate leges et ſtatuta mea. Ego ſum Jova.

d) Deus enim infirmos ſenes viribus deſtitutos defendit.

CAPUT XX

Poenae divinae idololatriae et superstitioni dictae. Supplicia incestus.

1. Ulterius Jova cum Mose his verbis locutus est: 2. Israelitis hæc edicito: Si quis vestrum, sive Israelita sive peregrinus, ullum ex liberis suis Molocho dederit *immolandum*, supplicio afficiatur. Homines illius loci *a*) lapidibus eum obruant. 3. Ego ipse iratus animadvertam in istum hominem, eumque e numero popularium suorum auferam, quoniam liberos suos Molocho tradidit atque hoc facto sanctuarium meum polluit, et nomen meum sanctum profanavit. 4. Quodsi vicini sceleri istius hominis conniveant, neque eum ad supplicium trahant: 5. ego ipse me in istum hominem et familiam ejus convertam, et tum ipsum, tum omnes qui ejus exemplo Molochum sectati sunt, exscindam e populo suo. 6. Eos quoque, qui ventriloquos et hariolos superstitiose consulunt, severe puniam atque ex suorum numero auferam. 7. Sanctos vos servate et tales semper vos gerite, ego enim Jova sum Deus vester. 8. Igitur servate instituta mea summo studio. Ego enim Jova volo ut mihi sacri sitis. 9. Qui patri aut matri

a) sc. ubi peccatum commissum fuerit. עם הארץ quod ex seqq. apparet.

tri maledixerit, interficiatur. Parentibus fuis male eft precatus. Mortis reus eft. *b*) 10. Qui cum uxore alterius adulterium commiferit, morte afficiatur, tum adulter tum adultera. 11. Si quis cum noverca fua rem habuerit, verenda patris fui retexit, utrique fupplicio afficiantur. Mortis rei funt. 12. Si quis cum nuru fua concubuerit, utrique capite plectantur. Inceftum commiferunt, mortis rei funt. 13. Qui cum mare ficuti cum fœmina concubuerit, utrique propter nefandum fcelus moriantur. Rei funt fupplicii. 14. Qui præter filiam matrem quoque in matrimonium duxerit, flagitium turpiffimum commifit, cujusmodi inter vos fieri non debet. Cum ille, tum alterutra ex illis igne comburantur. 15. Qui cum pecude rem habuerit, moriatur, atque animal quoque interficite. 16. Mulierem, quæ fe pecudi proftituerit, occidite, atque etiam pecudem. Supplicio afficiantur. Poenas luunt promeritas. 17. Qui in matrimonium duxerit fororem fuam, five ex patre five ex matre, et utrique rem inter fe habuerint, inceftus hic eft. Tollantur e medio fuorum. Verenda fororis fuæ retexit. Luat poenam fuam.

b) hebr. דָּמָיו בּוֹ Syrus דְּמֵה עֲלוֹהִי *fanguis ejus fuper ipfo.* *οἱ ὁ, ἔνοχος ἔςαι.* Sic quoque Chaldæus: *mori debet.* Alii: ipfe mortis fuæ caufa eft, five, culpa fua perit.

ſuam. 18. Qui concubuerit cum muliere menſtruali et verenda ejus retexerit, ſi ipſa conſenſerit, ambo auferantur e medio civium ſuorum. 19. Verenda tum amitæ tum materteræ ne retegas; *qui hoc fecerit*, cum conſanguinea rem habuit. Poenas dabit. 20. Si quis cum patrui ſui uxore coierit, patrui ſui verenda retexit. Pœnam commeruerunt, ſine liberis morientur. 21. Qui fratris ſui mulierem duxerit, probroſum eſt matrimonium, verenda fratris ſui retexit, improles erunt. 22. Servate leges et præcepta mea, eisque obtemperate, ne vos evomat terra ad cujus poſſeſſionem vos jam perduco. 23. Neque imitemini gentium inſtituta quas ante vos expello. Illarum enim pertæſus 24. vobis promiſi hujus terræ, quam iſtæ poſſidebant, occupationem, terræ lacte et melle abundantis. Ego Jova ſum Deus veſter, qui vos ab aliis gentibus ſeparavit. 25. Secernite quoque animalia pura ab impuris, aves impuras a puris. Ne vos contaminetis quadrupedibus, volucribus, reptilibus, quæ vobis tanquam impura ſecrevi. 26. Sancti mihi ſitis, quoniam ego Jova ſanctus ſum, vosque ut mei eſſetis ab aliis gentibus ſeparavi. 27. Qui ſe ventriloquum aut hariolum jactet, ſive vir ſit, ſive fœmina, ſupplicio afficiantur. Lapidibus eos obruant. Mortis rei ſunt.

CAPUT

CAPUT XXI

Leges de sacerdotum luctu, matrimoniis, et corporis vitiis quibus ad sacerdotium inepti fierent.

1. Tum porro Jova Mosen jussit sacerdotibus Aaronis filiis præcipere quæ sequuntur: Nemo se in funere popularium suorum contaminet, 2. nisi consanguinitate proximorum, *videlicet* matris, patris, filii, filiæ et fratris. 3. Sororis quoque germanæ, si virgo sit, quæ virum non habuerit. In hujus funere se contaminet. 4. In funere principis populi sui non se polluat aut profanet *a*). 5. Non calvitiem

a) Verba textus sic habent: לֹא יִטַּמָּא בַּעַל בְּעַמָּיו לְהֵחַלּוֹ in quibus vertendis interpretes valde dissentiunt. *Alii*: non se polluat princeps in populo suo, ut se profanet. Sic ex antiquis Onkelos et uterque Arabs, quos multi recentiores sequuntur. At enim vero non dantur h. l. leges principi, sed sacerdotibus. Ill. *Michaelis* ad hanc objectionem evitandam, explicat principem populi de summo pontifice: ausser diesen Fællen aber soll er, das Haupt seines Volks, sich nicht verunreinigen und dadurch sein Volk entweihen. Sed dura videtur ellipsis verborum: *præter hos casus*, de qua Vir Cel. lectores suos non admonuit, quanquam in textu non extant. Neque de summo pontifice h. l. sermo est, uti versu 10, sed de quovis sacerdote. — Alii בַּעַל per *maritum* explicant, ut sensus sit: non licere sacerdoti pollui funere uxoris suæ. Quem sensum

tiem inducant capiti suo; extrema barbæ non tondeant, neque incisuras carni suæ faciant. 6. Sancti sint Deo suo, nec profanent ejus nomen. Offerunt enim sacrificia Jovæ, cibos ejus, igitur sancti sint. 7. Mulierem meretricem aut vitiatam non ducant in matrimonium, neque a viro repudiatam. Deo enim suo sunt consecrati. 8. Et vos quoque eos sanctos habetote, nam panem Dei vestri apponunt. *b*)

Sancti

sum alii negant esse posse, quoniam conceditur luctus propter fratrem et sororem, quidni et propter uxorem quæ ei propinquior est fratre et sorore? — Equidem verti ex lectione antiquiorum quorundam interpretum, levissima nempe trajectione τοῦ ב ante עמין quod præmittunt τῷ בעל. Sic Vulgatus: *sed nec in principe populi sui contaminabitur*, et Syrus: לָא נִתְטַמָּא בְּרַבָּא דְעַמֵּה דְּלָא נִתְטַנַּף *non polluatur in principe populi sui, ne se contaminet.* Versio græca habet: *οὐ μιανθήσεται ἐξάπινα ἐν τῷ λαῷ αὐτοῦ, εἰς βεβήλωσιν αὐτοῦ*, *non subito polluatur in populo suo*, ad quam *Cappellus* (in notis criticis) ingeniose conjectat interpretem legisse בעגל quod syriace est *subito*, in N. T. saepe obvium et arabice etiam عجل est *festinare*; et sensum esse non incommodum: non temere et levi de causa sacerdotem polluere se debere funere alicujus, sed certis duntaxat in casibus, qui hic enumerantur, ut *ἐξαπίνα* idem hic sit quod *οἱ τυχόντες*. — Judicent alii. cf. *Hubigantius* in nota ad h. l.

b) De panibus appositiriis plerique explicant. Potest tamen quoque de sacrificiis accipi, ut in v. 6.

Sancti vobis sint, quoniam ego Jova sanctus sum, qui vos mihi consecravi. 9. Filia sacerdotis cum scortata fuerit, dehonestat patrem suum, igne comburatur. 10. Pontifex autem fratrum suorum natu maximus, qui unctus, initiatus et *sacris* vestibus indutus est, caput suum non tondeat, nec vestes suas laceret. 11. Nec omnino funeri intersit. Ne in funere quidem patris aut matris sese contaminet. 12. E Dei sui sanctuario non egrediatur, ne illud profanet; nam diadema et oleum unctionis Dei est super eo. *c*) Ego sum Jova. 13. Uxorem ducat quæ virgo sit. 14. Viduam aut repudiatam, aut vitiatam, aut meretricem ne ducat, sed virginem popularem matrimonio sibi jungat. 15. Nec posteros suos in populo suo dehonestet. Nam Jova sum, qui eum *mihi* consecravi. — 16. Porro Jova Mosen jussit ut Aaroni diceret: 17. Nemo posterorum tuorum, qui vitio *corporis* sit affectus, accedat ad sacrificia Deo offerenda. 18. Quicunque vitio aliquo laboret, sive coecus sit, sive claudus, sive mutilus sit, sive membris justo longioribus, 19. sive pedem aut manum fractam habeat, 20. sive gibbosus sit, sive nimis gracilis, sive albuginem habeat in oculo, sive scabie

c) Post diadematis (נֵזֶר) impositionem ungebatur. cf. Exod. 29, 6. 7.

bie et impetigine fit infectus, five in tefticulo contufus. 21. Nemo, inquam, pofterorum Aaronis qui ullo vitio eft affectus, facrificia mihi offerat. Non poteft talis admitti ad hujus generis minifteria. 22. Licitum tamen eft eum vefci oblationibus fanctiffimis et fanctis *d*). 23. Tantum intra fiparium ne ingrediatur, neque ad altare accedat, quia vitio laborat, neque profanet quæ ego facra effe volo. — 24. Retulit Mofes hæc omnia ad Aaronem, ejus filios et Ifraelitas.

CAPUT XXII

Leges de puritate facerdotum facro cibo vefcentium. De iis, quibus præter facerdotes rebus facris vefci liceat. De vitiis victimarum.

1. Porro Jova cum Mofe his verbis eft locutus: 2. Dicito Aaroni ejusque filiis, ut *certis temporibus* fefe abftineant ab eis, quæ Ifraelitæ mihi confecrarunt, ne nomen meum fanctum profanent. Ego fum Jova: 3. Dicito eis: quicunque ex pofteris veftris pollutus accefferit ad ea, quæ Ifraelitæ mihi confecrarunt, is tollatur e confpectu meo. Ego fum Jova.

d) Sub illis partes victimarum, panes facri, donaria farrea intelliguntur, quæ facerdotes tantum in loco facro comedebant; fub his decimæ et primitiæ, quibus et alii præter facerdotes vefci poterant.

va. 4. Quicunque de posteris Aaronis leprosus est, aut fluxu feminis laborat, is non comedat de rebus facris, donec mundus fuerit. Nec qui rem cadavere contaminatam attigerit, aut ex quo femen fluxerit. 5. Nec qui tactu reptilis animalis immundus factus sit, aut in homine quacunque de causa immundo sese contaminarit: 6. Is immundus sit usque ad vesperam, nec licet ei vesci rebus facris, nisi aquá se abluerit. 7. Post occasum autem solis mundus erit, et ita demum vescatur rebus facris, victu ei destinato. 8. Morticino aut discerpto ne se inquinet. Ego sum Jova. 9. Servent præcepta mea, *a*) ne culpam contrahant et morte plectantur propter aliquam eorum profanationem. Ego Jova volo ut sancti sint. 10. Nullus peregrinus, si quoque sacerdotis inquilinus sit, aut mercenarius, comedat de rebus facris. 11. Sed servus vel a sacerdote emtus, vel verna hoc ejus victu vescantur. 12. Filia sacerdotis homini peregrino nupta de fertis facris non comedat. 13. Vidua vero facta, aut repudiata et liberorum expers, si

a) מִשְׁמֶרֶת nonnulli interpretes explicant de *sanctuario* custodiendo a sacerdotibus, quod alias מִקְדָּשׁ dicitur. Alii de oblationibus f. fertis, ex contextu. Equidem malim de omnibus præceptis sacerdoti observandis intelligere. Dicitur enim משמרת in genere quoque de præceptis omnibus Israelitis etiam servandis Cap. 18, 30.

ſi redit ad domum paternam, quemadmodum in juventute ſua ibi fuit, veſcatur victu paterno, non vero peregrinus. 14. Qui per errorem cibum ſacrum guſtarit, reſtituat eum ſacerdoti quinta parte ſuperaddita. 15. Ne profanent ſacras Iſraelitarum oblationes, quas mihi offerunt. 16. Neque illos ad peccandum ſeducant, quando ſacra ſua edunt. Ego Jova ſum, qui eos ſacros eſſe volo. — 17. Porro Jova juſſit, 18. ut Moſes Aaroni et filiis ejus et omnibus Iſraelitis hæc ediceret: Si quis vel Iſraelita vel inter Iſraelitas peregrinus munus Jovæ offerre velit, ſive ex voto, ſive voluntarie, quod ſit holocauſtum, 19. ita ſit comparatum ut favorem vobis conciliet; integrum ſit, maſculum, aut bovillum, aut ovillum, aut caprinum. 20. Nullum offeratis quod vitio laboret, alioquin minus grati eritis *Deo*. 21. Si quis ſacrificium euchariſticum Jovæ facere velit, ſive ex voto, ſive ſua ſponte, bovillum ſit, aut ovillum, aut caprinum, integrum ſit neceſſe eſt, ſi probari debeat, ſine ullo vitio. 22. Cæcum, aut læſum, aut mutilatum, myrmeciis affectum, ſcabioſum, aut impetiginoſum, nequaquam Deo offeratis, aut hujusmodi ſacrificium in altari Jovæ immoletis. 23. Bovem, ovem et capram membro corporis vel longiores, vel breviores, ut ſacrificium voluntarium offerre licet, ut votivum minus gratum erit.

erit. 24. Pecus, cui testiculi aut compressi, aut contusi, aut abrupti, aut excisi sunt, Jovæ ne offeratis; nec omnino animalia in terra vestra castretis *b*). 25. Ne a peregrino quidem hujusmodi sacrificium Deo vestro offerendum accipiatis: Corruptio enim ejus facit illud vitiosum. *Eorum oblatione* Deo non placebitis. — 26. Porro Jova Mosi dixit: 27. Bos, ovis, capra, quum nata fuerit per septem dies matri subrumetur, atque ab octavo die et deinceps gratum erit mihi sacrificium. 28. De iisdem generibus matrem et pullum suum ne eodem die mactetis. 29. Si sacrificium eucharisticum mihi facitis, ita hoc agite, ut mihi probemini. 30. Eodem die comedatur, nihil in sequentem diem relinquite. Ego sum Jova. 31. Diligenter servate præcepta mea. Ego sum Jova. 32. Ne profanetis nomen meum sanctum. Volo inter vos sancte coli. Ego Jova sum, qui vos mihi sanctificavi. 33. Eduxi vos ex Aegypto, ut me tanquam Deum vestrum veneremini. Ego sum Jova.

b) De hac lege vid. *Michaelis* in Jure Mos. P. III. p. 159.

CAPUT XXIII

De diebus feſtis anniverſariis, Paſchate, feſto primitiarum, feſto buccinarum, die expiationis, et feſto tabernaculorum.

1. Porro Jova cum Moſe hunc in modum eſt locutus. 2. Dicito Iſraelitis: Feſta Jovæ, quæ ſolenni ritu indicetis, ſunt ſequentia: 3. Sex diebus fiat opus, ſeptimo autem die ſabbatum eſt quietis, ſolennitas ſacra, qua ab omni labore vobis abſtinendum eſt. Sabbatum hoc eſt Jovæ *ſacrum*, per totam terram veſtram *celebrandum.* 4. Hæc ſunt feſta Jovæ, ſacri conventus, ſtatis temporibus a vobis indicendi. 5. Quarto decimo die primi menſis circa veſperam Paſcha eſt Jovæ celebrandum. 6. Quinto decimo ejusdem menſis feſtum azymorum *incipit*, quo per ſeptem dies panibus ſine fermento veſcamini. 7. Horum dierum primo ſacrum conventum habeatis, nec ullum opus ſervile agatis. 8. Per ſeptem illos dies ſacrificia Jovæ immoletis, ultimo vero horum dierum iterum conventus ſacer ſit, nec labores ulli ſuſcipiantur. — 9. Item Jova Moſen juſſit, 10. hæc quoque Iſraelitis edicere: Cum veneritis in terram quam vobis daturus ſum, meſſis veſtræ manipulum primitiarum ad ſacerdotem afferte, 11. qui eum ante Jovam porriciat ad favorem vobis conciliandum. Poſtridie ſabbati hoc faciat. 12. Eodem

dem die quo manipulum porricitis, facietis quoque Jovæ holocaustum agno integro anniculo. 13. Item ferto, quod constet duabus decimis similaginis oleo permistæ, Jovæ in odorem suavem adolendæ, una cum libamine vini, quarta patre Hinis. 14. Pane, aut spicis tostis, aut viridibus vesci vobis non licet usque ad ipsum illum diem, quo Deo vestro fertum hoc obtulistis. Lex hæc sit a posteris vestris in perpetuum observanda per totam terram vestram. — 15. Postridie illius sabbati, quo manipulum porriciendum obtulistis, numerate septem hebdomadas integras, 16. usque ad posterum diem septimæ hebdomadis, dies nimirum quinquaginta, tum Jovæ novum fertum libabitis. 17. Ex domiciliis vestris offeretis duos panes porriciendos, ex duabus decimis similaginis, addito fermento. Quæ sunt Jovæ primitiæ. 18. Præter panes illos immolabitis septem agnos integros anniculos, juvencum unum et arietes duos in sacrificium solidum, cum fertis suis et libaminibus in suavem odorem Jovæ. 19. Porro offeretis hoedum caprinum, sacrificium piaculare et duos agnos anniculos, sacrificium eucharisticum. 20. Porriciet sacerdos ea Jovæ cum panibus primitiarum, quæ, ut et agni duo Jovæ consecrati, sint sacerdotis. 21. Hoc ipso die indicetis sacrum conven-

ventum atque omnes labores sint prohibiti. Lex hæc sit vobis per omnes ætates in terra vestra observanda. 22. Cum messem facietis extremas agrorum vestrorum partes ne demetatis, nec spicilegium habeatis. Pauperi hæc et peregrino relinquite. Jova sum Deus vester. a) 23. Porro Jova Mosen hæc Israelitis dicere jussit: 24. primus dies mensis septimi sabbatum vobis sit, dies festus quo tuba clangatur et sacer conventus indicatur. 25. Ab omni labore abstinete et sacrificia Jovæ offerte. 26. Inprimis vero, inquit Jova Mosi: 27. decimo die septimi hujus mensis (qui est dies expiationis) sacrum conventum indicatis, jejunetis et Jovæ sacrificia immoletis. 28. Nulla prorsus negotia hoc die suscipiatis. Dies est, quo Jovæ Deo vestro expiemini. 29. Qui eo die non jejunaverit, tollatur e medio popularium suorum. 30. Qui vero eo die laborem peregerit, hunc ego ipse perdam. 31. Omnis omnino labor prohibitus sit. Lex hæc sit in terra vestra perpetuo observanda. 32. Sabbatum quietis sit vobis dies ille, quo jejunetis, nono die illius mensis a vespera usque ad vesperam *sequentis diei.* — 33. Porro Jova Mosen hæc Israelitis edicere jussit: 34. Quinto decimo die mensis septimi est festum tabernaculorum per septem dies Jovæ

a) cf. Cap. 19, 9.

Jovæ celebrandum. 35. Quorum primo facer conventus habeatur labore omni intermiſſo. 36. Septem diebus ſacrificia Deo offeratis, octavo die facer conventus indicatur et Jovæ victimas immoletis. Feriæ ſunt, ceſſent omnis generis labores. 37. Hæc ſunt feſta Jovæ, quæ tanquam ſolennes conventus proclametis, quibus ſacrificia Jovæ offeratis, holocauſta, ferta, victimas et libamina, ſuis quæque diebus, 38. præter ſabbata Jovæ et præter alia dona tum votiva tum voluntaria. 39. Inprimis vero quinto decimo die menſis ſeptimi, poſtquam omnes terræ fruges collegiſtis, feſtum Jovæ celebrate per ſeptiduum. Primus et octavus horum dierum ſunt ſabbata. 40. Primo die adhibete mala citria, palmarum ramos, frondesque denſarum arborum ſalicumque fluvialium, atque hilares celebrate feſtum in honorem Jovæ per ſeptem dies. 41. Quotannis hæc ſolennitas a vobis peragatur, perpetua lege poſteris veſtris tradenda, menſe ſeptimo. 42. In umbraculis omnes Iſraelitæ indigenæ ſeptem dies degant, 43. ut poſteri veſtri ſciant habitaſſe Iſraelitas ſub umbraculis, cum eos ex Aegypto educerem. Ego ſum Jova Deus veſter. 44. Moſes igitur indicavit Iſraelitis hos dies feſtos Jovæ celebrandos.

CAPUT XXIV

De oleo ab Israelitis ad lucernas sacras conferendo. De panibus appositiis singulis sabbatis renovandis. De blasphemia punienda et enunciatione nominis Jovæ interdicta.

1. Porro Jova Mosi dixit: 2. Præcipe Israelitis ut tibi offerant oleum purum ex olivis expressum pro candelabro *a*) ad lucernas perpetuo alendas, 3. quas Aaron extra siparium legi prætensum in tabernaculo conventus instruat semper a vespera usque ad mane coram Jova. Perpetuum hoc sit institutum apud posteros vestros. 4. In aureo candelabro statuat has lucernas coram Jova quotidie. — 5. Item ex simílagine coques duodecim placentas, singulas ex binis decimis. 6. Easque repones strue duplici, senas in strue, super mensa aurea coram Jova. 7. Addes super quaque strue thus purum. Quæ panis loco sint et sacrificium Jovæ. 8. Singulis sabbatis reponat *Aaron panes illos* coram Jova, ab Israelitis ex perpetua lege *curandos*. 9. Qui sint deinde Aaronis et filiorum ejus comedendi ab eis in loco sacro. Res enim hæc est sanctissima, quam ex sacrificiis Jovæ percipit ritu sempiterno. — 10. Tum accidit, ut homo quidam, qui matrem Israeliticam, patrem vero Aegyptium haberet et inter Israelitas degeret, tum Israe-

a) cf. Exod. 27, 20.

Ifraelita in caftris contenderet. 11. Filius mulieris iftius Ifraeliticæ, cujus nomen fuit Schelomit, filia Tibri e tribu Danitica, nomen *b*) cum conviciis pronunciavit. Deduxerunt eum ad Mofen, 12. et fervarunt in cuftodia ut Dei voluntatem hac de re refcifcerent. 13. Tunc juffit Jova Mofen, 14. educere convitiatorem extra caftra, imponere omnes qui *blafphemias ejus* audierint manus ejus capiti, et lapidibus eum obruere omnes qui adeffent. 15. Præterea Ifraelitis Mofes has leges promulgare debebat: Quicunque Deo fuo maledixerit, poenam luat. 16. Qui nomen Jovæ enuntiarit, morte afficiatur, lapidetur ab univerfo coetu, peregrinus æque ac indigena. 17. Qui hominem interfecerit, moriatur. 18. Qui animal occiderit, reftituat illud, animal pro animali. 19. Qui alterum in corpore læferit, idem ei fiat, quod fecerit alteri. 20. Vulnus pro vulnere, oculus pro oculo, dens pro dente, idem vitium quod alteri intulerit, ei inferatur. 21. Qui beftiam occiderit, mulctabitur, qui hominem, fupplicio afficietur. 22. Idem jus inter vos obtineat cum erga peregrinum, tum erga indigenam. Ego fum Jova Deus vefter. — 23. Tum Mofes juffit ut Ifraelitæ educerent convitiatorem extra caftra et lapidarent. Quod etiam fecerunt.

b) fcil. Jova, שם κατ' ἐξοχήν.

CAPUT XXV

De anno ſabbatico et Jubilæo quinquageſimo quoque anno celebrando.

1. Item Jova cum Moſe in monte Sinai ſic eſt locutus: 2. Dicito Iſraelitis: ſi perveneritis in terram, quam vobis daturus ſum, ſabbatum agat ipſa terra in mei honorem. 3. Sex annis agros veſtros conſeretis, ſex annis vites amputetis et earum fructus percipiatis. 4. Septimo autem anno quieſcat terra, ſabbatum mihi agat, agros non ſeratis, nec vites putetis. 5. Meſſem ſponte natam non metetis, nec uvas vineæ non putatæ vindemiabitis. Annum quietis habeat terra. 6. Hoc terræ ſabbato *proventu ſpontaneo* veſcamini, vos ſervi et ancillæ veſtræ, mercenarii, peregrini omnes apud vos commorantes. 7. Petus veſtrum et feræ agreſtes victum habeant ex illo proventu terræ *ſpontaneo.* 8. Peractis ſeptem ſabbatorum annis, qui efficiunt undequinquaginta, 9. tuba canatur decimo die menſis ſeptimi, qui eſt dies expiationum, per totam terram veſtram. 10. Quo conſecretis annum quinquageſimum, atque omnibus terræ incolis libertatem indicatis. Annus hic eſt jubilæus, quo quisque veſtrum in poſſeſſionem et familiam ſuam reveniat. 11. Hoc anno jubilæo, quinquageſimo nimirum, non ſeretis, non metetis ſponte natum, nec vindemiabitis uvas non putatas. 12. Sanctus

Sanctus vobis fit hic annus jubilæus; proventu vero agrorum *fpontaneo* vefcamini. 13. Hoc anno quisque ad poffeffiones fuas redeat. 14. Quodfi igitur vendatis aut ematis, ne damnis vos invicem afficiatis. 15. Pro numero annorum, qui poft Jubilæum effluxerunt, emite alter ab altero et proventum annorum fecundum eundem numerum vendite. 16. Pro multitudine horum annorum vel pretium augete, vel pro paucitate eorum minuite; nam proventuum numerus venditur. 17. Igitur nolite vos invicem damno afficere, revereamini Deum veftrum, quia ego fum Jova. 18. Obtemperate inftitutis meis, diligenter fervate jura mea, ita enim fecure vivetis in terra. 19. Hæc vero edet fructus fuos, ut abunde habeatis quod edatis, et tuto eam inhabitabitis. 20. Quodfi quæritis: quid edemus anno feptimo, fi nec fementem fecerimus, nec proventus perceperimus? 21. promitto, me tantam anno fexto fertilitatem largiturum effe, ut proventum in triennium edat. 22. Igitur feretis anno octavo et vefcemini adhuc proventu veteri usque ad proventum anni noni. — 23. Terra ne in perpetuum vendatur, mea enim eft, et vos peregrini tantum et coloni mei eftis. 24. Igitur in tota terra, quam poffidetis, jus redemtionis locum habeat. 25. Si popularis tuus præ paupertate vendiderit partem fundi fui, confangui-

 neus

neus ejus jus redimendi habeat. 26. Quodſi quis non habeat conſanguineum, et ipſe ſibi acquiſiverit, quantum ad redemtionem ſufficiat, 27. ſubductis venditionis annis, reliquum reſtituat emtori et redeat ad poſſeſſionem fundi ſui. 28. Si vero tantum acquirere non potuerit, quantum ad reſtituendum ſatis eſt, manet fundus venditus emtori usque ad annum jubilæum, quo *hic fundum* cedit, ille vero ad poſſeſſionem ejus redit. 29. Si quis vendiderit domum in oppido moenibus cincto, habet jus redimendi usque ad finem anni quo vendita fuit. 30. Quodſi non redimitur ante elapſum annum, manet hæc domus in oppido murato in perpetuum emtori et poſteris ejus, non egreditur *ea* anno jubilæo. 31. At pagorum domus, qua muris circumdatæ non ſunt, habentur ut agri. Jus redemtionis in eis locum habet, exit *emtor* anno jubilæo. — 32. Domus in urbibus Levitarum jus redimendi habent in perpetuum. 33. Sed ſi, qui redemerit, ſit de Levitis, perit ſ. ceſſat jus domus venditæ in urbe (ſ. urbis) quam Levitæ poſſident anno jubilæo *a*). Domus enim urbium

a) Verſus eſt paullo difficilior, in quo interpretes antiquiores et recentiores diſſentiunt, tum quoad lectionem, tum quoad ſenſum. Vulgatus quidem addit לא ante יִגְאַל quod

bium Leviticarum peculium eorum ſunt inter Iſraelitas. 34. Nec agri eorum ſuburbani vendi poſſunt, perpetuæ ſunt eorum poſſeſſiones. 35. Si quis populariun veſtrorum ad paupertatem redactus opem veſtram implorat, juvate eum ut peregrinum et

quod tamen reliqui non habent, et οἱ ό pro וְעִיר legerunt הָעִיר Utramque lectionem *Hubigantius* recepit in verſionem ſuam in hunc modum: *Quare aliquam domum ſi quis Levita non redemerit, irrita erit in Jubilæo venditio domus ejus quæ in urbe eſt de poſſeſſione illius.* Qui ſenſus mihi non probatur, quoniam durior lex videtur, quod etiam ſine redemtione Levita in poſſeſſionem domus venditæ anno Jubilæo ſit reſtitutus. Igitur nolim ex auctoritate unius interpretis לֹא textui intrudere. Sed Vau ante עִיר non admittit explicationem, quoniam non de venditione et redemtione urbis ſed domus ſermo eſt. Igitur legendum arbitror הָעִיר ſecundum verſionem græcam. Videtur vero accuratior in hoc verſu eſſe determinatio et explicatio legis in verſu 32. latæ. Jus nempe redimendi in urbibus Levitarum etiam tantum competere Levitis, non aliis, addita ratione, quod præter iſtas domos in illis urbibus alias non haberent poſſeſſiones. Quod ad conſtructionem verborum attinet, vocabulum אֲחֻזָּתוֹ refero ad ſubjectum hujus verſus, *qui de Levitis eſt*, h. e. Levita, et lectione verſionis græcæ admiſſa nullam video in reliquis difficultatem.

et advenam qui apud vos vivit. 36. Ne sumatis ab eo foenus aut usuram, timete Deum vestrum. Vivat popularis vester inter vos. 37. Pecuniam ei non mutuemini in usuram, nec victum in foenus. 38. Jova ego sum Deus vester, qui vos ex Aegypto eduxi, ut terram Cananæam vobis darem et vos me tanquam Deum vestrum colatis. — 39. Si quis popularium vestrorum præ paupertate vobis venditus fuerit, nolite eum ut servum tractare: 40. ut mercenarium *aut* advenam eum habete, vobisque usque ad annum jubilæum serviat. 41. Tum vero a vobis discedat una cum liberis suis, atque iterum redeat ad cognationem suam patriamque possessionem. 42. Sunt enim mei servi, quos ex Aegypto eduxi, ne vendantur more servili. 43. Non imperetis eis severe, timete Deum vestrum. 44. Servos et ancillas, quibus in *perpetuum* utamini, emite a gentibus finitimis, 45. aut ab advenis peregrinis inter vos commorantibus, aut ab eorum familiis, in terra vestra natos. Hi sint vobis tanquam peculium, 46. hos eadem ratione hereditate relinquatis filiis vestris, his in perpetuum tanquam servis utamini, popularibus vero vestris Israelitis ne severius imperetis. — 47. Si peregrinus aut advena inter vos ad opes pervenerit, eique sive quoque alii ex familia peregrina oriundo popularis tuus ad paupertatem redactus venditus

ditus fuerit: 48. jus redemtionis locum habet. Poteſt eum aliquis ex conſanguineis ejus redimere, 49. ſive patruus, ſive patruelis, ſive alius de propinquitate ejus aut cognatione. Ipſe quoque facultatem forte nactus, poteſt ſeſe redimere. 50. Tunc rationes ſubducat cum emtore ſuo ab anno quo venditus ei fuerit usque ad annum jubilæum, et pecunia, qua venditus fuerit, dividatur in annos *quos ſerviit*; eadem enim conditione qua mercenarius apud ipſum fuit. 51. Si complures anni ſuperſunt, ſecundum numerum illorum reſtituere debet de ſumma, qua emtus fuit. 52. Si pauci reſtant, usque ad annum jubilæum protium redemtionis reſpondeat numero iſtorum annorum, 53. ut mercenarius in annos ſingulos apud eum ſit, ne permittatis ut durius eum tractet. 54. Si his conditionibus redemtus non fuerit, anno jubilæo una cum liberis ſuis libertatem conſequitur. 55. Etenim Iſraelitæ mei ſervi ſunt, quos ex Aegypto eduxi. Ego Jova Deus veſter.

CAPUT XXVI

De idololatria vitanda, et ſtudio erga legem divinam. Promiſſiones obedientiæ, comminationes inobedientiæ dictæ.

1. Ne faciatis vobis idola aut ſimulacra, nec ſtatuas vobis erigite, nec lapides figuris inſcriptos in

 terra

terra veſtra ponite, ut eos adoretis. Ego Jova ſum Deus veſter. 2. Servate ſabbata mea, ſanctuarium meum reveremini. Ego Jova ſum. — 3. Si ex legibus meis vivitis et præceptis meis obtemperatis atque ea exſequimini: 4. dabo vobis pluviam tempeſtivam, terra edet proventum ſuum et arbores erunt fructuoſæ. 5. Tritura pertinget usque ad ſementem. Victu abundabitis et terram veſtram tuto incoletis. 6. Pacem vobis dabo, ut nihil ſit quod quietem veſtram perturbet: arcebo fera animalia a terra veſtra, nec gladius *hoſtilis* eam pervadet. 7. Perſequemini hoſtes, et cadent gladio veſtro. 8. Quinque veſtrum centum et centum decem millia perſequentur et gladio periment. 9. Ad vos reſpiciam, fecundabo vos et multiplicabo, implebo fœderis, quod mihi vobiscum intercedit, conditiones. 10. Comedetis fruges veteres, eosque *ex horreis veſtris* efferetis, ut locum faciatis novis. 11. Habitabo inter vos, nec vos repudiabo. 12. Inter vos verſabor, ero Deus veſter et vos meus populus. 13. Ego Jova ſum Deus veſter, qui vos ex Aegyptiorum terra eduxi, ne eis ſerviretis. Fregi vectes jugi veſtri, atque effeci ut erecti incedere poſſetis. — 14. Quodſi mihi non obtemperaveritis, nec juſſa mea executi fueritis; 15. ſi inſtituta mea negligentes, jura ſpernentes, contemnentes præ-

præcepta, fœdus, quod mihi vobiscum intercedit, violaveritis: 16. ego ſimili modo vobiscum agam. Puniam vos terrore immiſſo, phthiſi, febri ardente, quæ oculos conficiant et animum excrucient. Fruſtra ſementem facietis, hoſtes eam conſument. 17. Ira mea in vos converſa cædemini ab hoſtibus veſtris. Imperabunt vobis inimici veſtri, fugietis nemine perſequente. 18. Quodſi ne ſic quidem mihi obtemperabitis, augebo peccatorum veſtrorum pœnam ſeptuplo. 19. Frangam pertinaciæ veſtræ ſuperbiam. Efficiam ut cœlum ferreum vobis ſit et terra ænea. 20. In caſſum laborabitis, non dabit terra veſtra proventum, nec arbores edent fructum. 21. Quodſi tunc quoque mihi adverſantes obedire renuetis, pergam vos plagis conficere ſeptuplo peccatis veſtris gravioribus. 22. Immittam in vos feras agreſtes, quæ vos orbabunt, perdent pecora veſtra, et vos ita diminuent, ut viæ veſtræ ſint deſolatæ. 23. Quodſi ne ſic quidem emendati mihi tamen adverſamini, 24. ego quoque vobis adverſabor, clade vos adficiam ſeptuplo ſceleribus veſtris graviore. 25. Bellum contra vos concitabo, quo ulciſcar fœdus violatum. In oppida veſtra cogemini et peſte a me immiſſa in hoſtium venietis poteſtatem. 26. Subtracto vobis panis præſidio decem mulieres in uno furno panem coquent; quem ſi ad

pondus retulerint, comedetis, nec tamen satiabimini. *a)* — 27. Quodsi neque tunc mihi morem geretis, sed potius adversabimini, 28. ego quoque vobis iratus adversabor et pœnas vobis irrogabo vestris sceleribus septuplo graviores. 29. Comedetis carnem filiorum et filiarum vestrarum. 30. Destruam loca excelsa, evertam statuas solares et vestra cadavera ruderibus idolorum vestrorum injiciam, vos repudiabo. 31. Urbes vestras vastabo, sacraria exscindam, nec sacrificiis vestris favebo. 32. Adeo terram vastabo, ut ipsi hostes, ejus incolæ, obstupescant. 33. Vos vero inter gentes dispergam, atque ibi quoque stricto gladio persequar. Sic erit terra vestra vastata, oppida destructa. 34. Tunc fruetur terra sabbatis suis, quamdiu vastata est, et vos inter hostes vestros vivitis, tunc feriabitur et fruetur suis sabbatis. *b)* 35. Feriabitur, inquam, tota

a) Tanta erit hominum penuria, ut decem familiis unus furnus sufficiat, et tanta panis inopia, ut portiones ad pondus distribuantur.

b) In hoc et sequenti versu Deus haud obscure prædicit, legem de anno sabbatico sive quietis, septimo quoque anno, Cap. 25, 2. seqq. mox ab Israelitis neglectum iri. Quod ex collatione loci 2 Paral. 36, 21. sub Saulo factum esse, probabiliter colligit Ill. *Michaelis* sub finem commentationis de anno sabbatico, quæ legitur in Commentt. Socie-

toto illo vaſtitatis tempore; ſi quidem non licuit ei feriari ſabbatis veſtris, dum vos eam incoluiſtis. 36. Reliquis veſtrum tantam animi timiditatem immittam in terra hoſtium ſuorum, ut ſtrepitus folii volitantis eos fuget; fugiant gladium *hoſtilem* et cadent nemine perſequente. 37. Impingent alii in alios quaſi gladium fugerent, cum tamen nemo eos perſequitur. Hoſtibus veſtris reſiſtere non poteritis. 38. Peribitis inter gentes, terra hoſtium veſtrorum vos conſumet. 39. Reliqui veſtrum contabeſcent propter peccata ſua in terra hoſtili, atque adeo propter peccata patrum lente conſumentur. — 40. Tum ſuam et majorum ſuorum culpam confitebuntur, quod a me defecerint atque adeo mihi adverſari auſi fuerint. 41. (*quo facto* ego quoque eis reſiſtam et in hoſtium ſuorum terram deportabo.) Sed tunc deprimetur animus eorum pertinax *c*), tunc luent peccatorum ſuorum culpam. 42. Ego vero memor ero fœderis cum Jacobo, Iſaaco et Arahamo initi, imo ipſius terræ memor ero, 43. quæ ab eis derelicta ſabbatis ſuis fruetur, dum vaſtata erit. Illi vero peccatorum ſuorum pœnam ferent, propterea quod jura mea repudiarunt et rejecerunt ſtatuta mea. 44. Verum

Societati regiæ Gœtting. prælectis P. I. p. 178. et in Jure Moſ. P. II. §. 76.

c) hebr. cor eorum præputiatum ſ. incircumciſum.

rum ne ſic quidem in terra hoſtium ſuorum eos ita repudiabo aut faſtidiam, ut rupto fœdere meo cum eis penitus conficiantur. Ego enim Jova ſum eorum Deus. 45. Recordabor fœderis olim jam cum eis initi, quos ex Aegypto eduxi ſpectantibus gentibus aliis, ut Deus eorum eſſem, ego Jova. 46. Hæc ſunt ſtatuta, jura, et leges, quas Jova Iſraelitis in monte Sinai per Moſen promulgavit.

CAPUT XXVII

De votis ſ. rebus Deo conſecratis.

1. Ulterius Jova cum Moſe collocutus, 2. juſſit eum, Iſraelitis hæc quoque edicere: Si quis votum fecerit, quod homines ſpectat, æſtimari debent, 3. et maris quidem a vicenario ad ſexagenarium æſtimatio ſit quinquaginta ſiclorum argenteorum ſecundum ſiclum ſanctuarii, 4. fœminæ vero triginta. 5. Si ætas ſit a quinque annis ad viginti, mas æſtimetur viginti ſiclis, fœmina decem. 6. Ab ætate unius menſis usque ad annum quintum, pretium pueri ſit quinque, puellæ trium ſiclorum argenteorum. 7. Ab anno ſexageſimo et ulterius mas ſolvat quindecim ſiclos, fœmina decem. 8. Pauper vero, qui pretium conſtitutum ſolvere non poteſt, ſiſtat ſe coram ſacerdote, qui eum pro ejus facultate æſtimet. — 9. Si pecus fuerit *voto nuncupatum* ex eorum genere, quibus Jovæ ſacra fieri poſſunt,

quid-

quidquid eorum ſit, Jovæ ſacrum eſt. 10. Non licet illud permutare, aut aliud ſubſtituere, bonum pro malo, aut malum pro bono. Quod ſi factum fuerit, utrumque, tum votum tum quod cum eo permutatum eſt, ſacrum eſto. 11. Si pecus immundum, quod Jovæ offerri nefas eſt, *voto promiſſum* fuerit, ſiſtat illud qui vovit, coram ſacerdote, 12. qui illud ex vero ſuo pretio æſtimet, *a*) in qua ejus æſtimatione acquieſcendum eſt. 13. Quodſi, qui votum fecit, redimere vult, ſolvat quintam partem præter æſtimationis pretium. — 14. Si quis domum ſuam Jovæ conſecraverit, ſacerdos eam ex vero ejus pretio æſtimet, et pronti æſtimaverit, ita ratum ſit. 15. Quodſi domum ſuam is qui conſecravit, redimere vult, habeat eam, ſi quintam partem addiderit pretio ſolvendo. 16. Si quis partem agri ſui Jovæ conſecravit, æſtimatio fiat pro ratione ſementis. In quo Chomer hordei ſeritur, is quinquaginta ſiclis argenteis æſtimetur. 17. Si ab anno jubilæo agrum conſecravit, rata manet illa æſtimatio. 18. Quodſi eum poſt illum annum conſecravit, imputet ei ſacerdos tantum pecuniam reliquorum annorum, detracta æſtimatione *præteritorum*. 19. Si redimere agrum

a) **hebr.** ***inter bonum et inter malum:*** **h. e. ut bonum pluris æſtimet quam malum, quod eſt verum pretium rei ſtatuere.**

agrum vult qui eum consecravit, addat quintam partem summæ æstimatæ, et manet ei. 20. Si non redimit, et *sacerdos* vendit agrum alii, ne quidem amplius redimi potest. 21. Sed anno Jubilæo, quo ille emtor agrum reddit, sacer sit Jovæ, uti ager devotus. Peculium sit sacerdotis. — 22. Si quis agrum emtum, qui non est patrimonii sui, Jovæ consecravit, 23. æstimet sacerdos summam usque ad annum jubilæum, quam, utpote Jovæ sacram, statim solvat, 24. anno jubilæo redit ager ad venditorem, cujus peculium est. 25. Omnis æstimatio fiat ex siclo sacro, qui est viginti gerarum. — 26. Primogenita pecoris, quæ, quoniam primogenita sunt, jam Deo debentur, sive de bovillo sive de ovillo pecore sint, non possunt ei consecrari. 27. Si de pecore immundo sunt, redimantur ad æstimationem, superaddita parte quinta; sin minus, vendantur æstimata. 28. Enimvero nihil omnino, quod quis Jovæ devovit e facultatibus suis, sive homo sit, sive bestia, sive fundus hereditarius, neque vendi neque redimi potest. Omnis res devota Jovæ est sacrosancta. 29. Homo devotus non potest redimi, supplicio est afficiendus. — 30. Decimæ totius terræ e rebus satis et ex arborum fructibus Jovæ sacræ sunt. 31. Qui partem decimarum suarum redimere vult, superaddat *summæ æstimatæ* partem quin-

quintam. 32. Omnes decimæ, ſive de armento, ſive de pecore, quæcunque ſub pedum mittuntur, *b*) Jovæ ſacræ ſunt. 33. Non quærat bonum an malum ſit. Non permutari poteſt. Quodſi tamen fuerit permutatum, utrumque Jovæ ſacrum eſt, nec redimi poteſt. 34. Hæ ſunt leges quas Jova Iſraelitis per Moſen in monte Sinai promulgavit.

b) hebr. *quæ tranſeunt ſub virga*, h. e. quæ in paſtorum cuſtodia aut cura ſunt.



NUMERI

CAPUT I

Moses jussu Dei censum init omnium tribuum Israeliticarum, exceptis Levitis, quibus tabernaculi cura committitur.

1. Primo die secundi mensis anni quoque secundi, ex quo Israelitæ ex Aegypto egressi erant, Jova cum Mose in deserto Sinai e tabernaculo conventus hunc in modum est collocutus: 2. Numerum inite omnium Israelitarum *a*) secundum familias suas

a) Quærunt interpretes, num hic populi census diversus sit ab eo, cujus jam Exod. 30, 11. seqq. mentio facta est. Eundem illum esse cum hoc, persuadere videtur convenientia numeri recensitorum Exod. 38, 26. Sed temporis diversitas contrarium videtur probare. Ille enim primo anno quo ex Aegypto populus egressus erat, antequam tabernaculum erigeretur, est habitus. Hic vero anno secundo, cum ministerium tabernaculi jam esset constitutum. Priorem sententiam defendit Ill. *Michaelis*, atque difficultatem commemoratam ita removet, ut censum illum, de quo Exodi l. c. legimus, inchoatum esse statuat collatione dimidii sicli ad ministerium tabernaculi; absolutum vero

suas paternasque domos, nominibus singulorum indicatis, marium omnium, viritim. 3. Omnium qui annum vicesimum excedentes arma ferre possunt, recensete eos secundum agmina sua. Tu et Aaron hoc agite. 4. Adjuvent vos viri singuli de singulis tribubus, paternarum domuum principes. 5. Quorum quidem nomina hæc sunt: de Rubenitis, Elizur filius Schdeuri. 6. De Simeonitis, Schlumiel filius Zurischadai. 7. De Judæis, Naehschon filius Amminadabi. 8. De Isascharitis, Natanel filius Zuari. 9. De Sebulonitis, Eliabus filius Chetonis. 10. De Josephi posteris, et quidem de Ephraimitis, Elischama filius Ammihudi, de Manassitis, Gomliel filius Pedazuri. 11. De Benjaminitis, Abidan filius Gideo-

vero eum esse anno secundo consignatione nominum singulorum in catalogis familiarum singularum tribuum, quæ hoc loco præcipiatur. Ast *Clericus* non quidem valde alienus ab hac sententia, apte tamen observat ad v. 46, neglectas in his recensitorum catalogis monadas omnes, quæ fuerunt supra decadas; Vix enim esse credibile in omnibus tribubus fuisse tantum Chiliadas, et Hecatontadas, ne uno quidem viro, aut ne una quidem decade superante. Quoniam igitur inter utrumque censum non plures quam septem menses intercesserunt, potuit numerus censitorum non nimis exacte hoc loco indicatus in utroque casu convenire.

deonis. 12. De Danitis, Achiefer filius Ammifchaddai. 13. De Afcheritis, Pagiel filius Ochrani. 14. De Gaditis, Eljafaphus filius Deueli. 15. De Naphtalitis, Achiraus filius Enani. 16. Hi fuerunt de comitiis populi *b*), principes tribuum paternarum, capita chiliadum Ifraeliticarum. — 17. Mofes igitur et Aaron, adhibitis viris modo nominatis, 18. convocarunt univerfum cœtum primo die fecundi menfis, ut natales fuos profiterentur *Ifraelitæ* fecundum familias paternarum domuum, nominatim et viritim omnes qui annum ætatis vicefimum exceffiffent. 19. Cenfum igitur Mofes iniit quemadmodum juffus erat a Jova in deferto Sinai. 20. Pofteri Rubeni Ifraelis primogeniti fecundum cognationes fuas, familias et paternas domos nominatim et viritim, mares omnes qui annum ætatis vigefimum exceffe-rant, armis idonei. 21. Recenfiti, *inquam*, de tribu Rubenitica fuerunt quadraginta fex millia et quingenti. 22. Simeonitarum *c*) 23. fuerunt undequinqua-

b) hebr. קְרוּאֵי הָעֵדָה *vocati ad cœtum*, de quibus cf. dicta ad Levit. 8, 3.

c) In indice hoc cenfitorum repetita funt in textu hebræo ad fingularum tribuum nomina eadem quæ verfu vigefimo leguntur, nempe cujusque tribus familias et paternas domos nominatim et viritim numeratas effe; quæ in verfione latina, utpote prorfus redundantia, omittenda putavi.

quaginta millia et trecenti. 24. 25. Gaditarum quadraginta quinque millia fexcenti et quinquaginta. 26. 27. Pofterorum Judæ fuerunt feptuaginta quatuor millia et fexcenti. 28. 29. De tribu Iffachar: quinquaginta quatuor millia et quadringenti. 30. 31. Sebulonitarum quinquaginta feptem millia et quadringenti. 32. 33. Pofterorum Jofephi, et quidem Ephraimitarum, quadraginta millia quingenti. 34. 35. Manaffitarum triginta duo millia ducenti. 36. 37. Benjaminitarum triginta quinque millia quadringenti. 38. 39. Danitarum fexaginta duo millia et feptingenti. 40. 41. Afcheritarum unum et quadraginta millia et quingenti. 42. 43. Naphtalitarum quinquaginta tria millia et quadringenti. 44. Horum igitur cenfum habuerunt Mofes et Aaron et duodecim principes Ifraelitici, fingulorum fecundum fingulas familias paternas. 45. Numerus vero omnium Ifraelitarum cenfitorum, qui annum vicefimum exceflerant, et armis ferendis idonei erant, 46. fuit fexcenta tria millia quingenti quinquaginta. 47. Levitæ autem inter hos non funt numerati. 48. Etenim Jova Mofi dixerat: 49. Leviticæ tribus ne cenfum inftituas, nec fummam eorum ineas una cum reliquis Ifraelitis. 50. Sed præfice eos tabernaculo conventus et omni ejus fupellectili et utenfilibus. Levitæ enim bajulare debent taberna-

culum et instrumenta ejus, ministrabunt ei et circum illud castra ponent. 51. Si moveri debet tabernaculum, Levitæ illud demittant, si figendum est, iidem erigant. Alienus qui accesserit, moriatur. 52. Castrametentur Israelitæ secundum castra sua, vexilla et agmina. 53. Levitæ vero tendant circum tabernaculum et ad illud custodiam agant, ne ira exardescat in universum cœtum Israeliticum. — 54. Fecerunt Israelitæ omnia quæ Jova Mosi jusserat.

CAPUT II
Castrorum dispositio.

1. Porro Jova Mosi et Aaroni dixit: 2. Israelitæ ad suum quisque vexillum sub insignibus patriis castrametentur, e regione tabernaculi conventus in circuitu. 3. Versus orientem castra habeant exercitus Judæ in agmina sua distinctus, cujus dux Nachschon filius Amminadabi. 4. Militum autem numerus recensitorum septuaginta quatuor millia et sexcenti. 5. Iuxta eum *ab una parte* tribus Isaschar, cujus dux Netanel filius Zuari: 6. militum autem numeratorum quinquaginta quatuor millia et quadringenti. 7. *Ab altera parte* tribus Sebulon, cujus dux Eliabus filius Chelonis. 8. Militum autem numeratorum quinquaginta septem millia et quadringenti. 9. Igitur omnis recensitorum in castris Judæ numerus sit centum et octoginta sex millia et qua-

quadringenti, in agmina sua divisi, qui primi castra moveant. — 10. Versus meridiem castra habeant Rubenitæ secundum agmina sua. Quorum dux Elizur filius Schedeuri. 11. In cujus exercitu numerus recensitorum quadraginta sex millia et quingenti. 12. Juxta eos ab *una parte* tribus Simeon, quorum dux Schelumiel filius Zurischaddai. 13. Milites autem quinquaginta novem millia et treceпti. 14. *Ab altera parte* tribus Gad, cum duce suo Eljasapho filio Reuelis, 15. et militibus quadraginta quinque millibus sexcentis quinquaginta. 16. Castra igitur Rubenitarum efficiant centum quinquaginta et unum millia quadringentos et quinquaginta, qui secundi castra moveant. 17. Tum tabernaculum conventus et Levitarum castra inter reliqua agmina proficiscantur. Quem in castrametatione, eundem in profectione ordinem servent, suo quisque in loco suum vexillum sequatur. 18. Versus occidentem castra habeat tribus Ephraim in agmina sua divisa; cujus dux Elischama filius Ammihudi. 19. Milites vero quadraginta millia quingenti. 20. Juxta eam *ab una parte* tribus Manasse, cujus dux Gamliel filius Pedazuri. 21. Milites vero triginta duo millia ducenti. 22. *Ab altera parte* tribus Benjamin. Quorum dux Abidan filius Gideonis, 23. et milites triginta quinque millia et quadringenti. 24. Castra

igitur Ephraimitica efficiant centum octo millia et centum: quæ tertio loco proficifcantur. — 25. Verfus feptentrionem tribus Daniticæ vexillum fit fecundum agmina fua; cujus dux Achiefer filius Ammifchaddai. 26. Milites fexaginta duo millia et feptingenti. 27. Quibus *ab una parte* tribus Afer et dux ejus Pagiel filius Ochrani. 28. Milites unum et quadraginta millia et quingenti. 29. *Ab altera parte* tribus Naphtali, cujus dux Achiraus filius Enani. 30. Milites quinquaginta tria millia et quadringenti. 31. Summa igitur caftrorum Daniticorum fit centum quinquaginta feptem millium et fexcentorum: quæ ultimo loco proficifcantur. — 32. Summa Ifraelitarum omnium recenfitorum fecundum familias patrias; *five* in caftra et agmina diftinctorum, fuit fexcenta tria millia quingenti quinquaginta. 33. Levitæ vero non recenfiti funt una cum reliquis Ifraelitis, quemadmodum Jova Mofi præceperat. 34. Igitur Ifraelitæ prorfus ficuti Jova Mofi edixerat, caftrametabantur, fecundum vexilla fua diftributi. Sic quoque proficifcebantur fecundum familias fuas paternasque domos *ordinati.*

CAPUT

CAPUT III

Cenſus Levitarum et primogenitorum totius populi. Illi horum loco Deo conſecrantur.

1. Hæc fuit progenies Aaronis et Mosis tum cum Jova cum hoc in monte Sinai locutus eſt. 2. Primogenitus filiorum Aaronis fuit Nadab, reliqui Abihu, Eleaſar et Ithamar. 3. Qui omnes ejus filii fuerunt, ſacerdotes uncti et initiati. 4. Mortui vero ſunt Nadab et Abihu coram Jova, cum alienum ignem ei obtuliſſent in deſerto Sinai, nec filios habuerunt. Igitur ſacerdotio functi ſunt Eleaſar et Ithamar, una cum Aarone patre ſuo. 5. Tum Jova Moſi hæc dixit: 6. Adducito tribum Levi et jube, ut Aaroni ſacerdoti præſto ſit eique miniſtret. 7. Impleant *Levitæ* munus ejus a) et munus totius cœtus *Iſraelitici* in tentorio conventus, ut obſervent quæ ad cultum ejus pertinent. 8. Curam gerant ſupellectilis tabernaculi, et quæ præterea Iſraelitæ in cultu

a) Sic verto phraſin שְׁמֹר מִשְׁמֶרֶת *cuſtodire cuſtodiam* cum plerisque interpretibus, quam *Michaelis* proprie intelligit de *ſtationibus peragendis* a Levitis (*vom Wache halten*). Sed quoniam in ſequentibus explicatur, in quo illa משמרת conſiſtat, atque vocabulum late dicitur de omnibus officiis, cf. Levit. 22, 9. illam explicationem præferendam putavi. cf. verſ. 28. et 31.

cultu ejus curare deberent, exſequantur. 9. Nimirum trades Levitas Aaroni et filiis ejus ut prorſus eis addictos, addicuntur eis ex omnibus Iſraelitis. 10. Aaronem vero et filios ejus conſtitues, ut ſacerdotio fungantur. Peregrinus qui acceſſerit, moriatur. 11. Porro Jova Moſi dixit: 12. Selegi mihi Levitas ex Iſraelitis pro omnibus eorum primogenitis, primo nempe matris fœtu. Mei ſint. 13. Omnia enim primogenita mea ſunt. Nam cum primogenita in Aegypto occiderem, conſecravi mihi omnia Iſraelitarum primogenita, tum hominum tum animalium. Mea ſint. Ego ſum Jova. — 14. Tum Jova Moſen in deſerto Sinai juſſit, 15. recenſere Levitas ſecundum domos paternas et familias, omnes mares, qui menſem exceſſiſſent. 16. Moſes igitur eos recenſuit quemadmodum Jova juſſerat. 17. Nomina vero filiorum Levi erant hæc: Gerſchon, Kehath et Merari. 18. Filii Gerſchonis, ex quibus aliæ familiæ originem habebant, fuerunt Libni et Schimei. 19. Filii Kehati cum familiis ſuis, Amram, Jizhar, Chebron, et Uſſiel. 20. Filii Merari cum familiis ſuis Machli et Muſchi. Hæ ſunt familiæ Leviticæ ſecundum domos paternas. 21. A Gerſchone originem habebant familiæ Libnea et Schimſchea, 22. quarum mares recenſiti qui menſem exceſſerant, fuerunt numero ſeptem millia et quin-

quingenti. 23. Quæ caſtra ſua habebant poſt tabernaculum ab occidente. 24. Et princeps harum familiarum Gerſchoniticarum fuit Eljaſab filius Laeli. 25. Quarum curæ commiſſa fuerunt tabernaculum, hoc eſt tentorium, ſive ejus tegumentum. Nec non ſiparium ad introitum tabernaculi. 26. Vela atrii ejus, aulæa quæ ipſum tabernaculum et altare undique ambibant et funes omnis hujus miniſterii. — 27. A Kehatho ortæ ſunt familiæ Amramina, Jizharina, Chebronina et Offielina. 28. Quarum mares qui menſem exceſſerant, numerum conficiebant octo millium et ſexcentorum; His ſanctuarii cura commiſſa fuit. 29. Familiæ hæ Kehatinæ caſtra habebant ad latus meridionale tabernaculi. 30. Princeps earum fuit Elizaphan filius Uſſielis. 31. Cuſtodiebant vero arcam, menſam, candelabrum, altaria, ſacri miniſterii ſupellectilem, aulæum cum omni ſuo apparatu. 32. Summus Levitarum princeps fuit Eleaſar filius Aaronis, ſacerdos, præfectus eorum qui ſanctuarii curam haberent. — 33. Ex Merara ortæ ſunt familia Machlina et Maſchina, 34. quarum mares menſem excedentes, recenſiti fuerunt ſex millia et ducenti. 35. Princeps vero familiarum fuit Zuriel filius Abichaili. Ad latus tabernaculi ſeptentrionale caſtra ſua tendebant. 36. Curæ eorum credebantur aſſeres tabernaculi, repagula ejus, columnæ

mnæ et bafes et reliqua harum partium inftrumenta. 37. Item columnæ atrii cum bafibus fuis, paxilli et funes. — 38. Ante tabernaculum in latere ejus orientali tendebant Mofes et Aaron; cujus filii curam gerebant fanctuarii vice Ifraelitarum. Peregrinus qui acceffiffet morte effet punitus. 39. Omnium Levitarum a Mofe et Aarone ex mandato divino recenfitorum, omnium nempe marium, qui menfem excefferant, fuerunt duo et viginti millia. 40. Quo facto Jova Mofen juffit nominatim cenfere omnes primogenitos mares Ifraelitarum, qui menfem excefferant, 41. atque ipfi, Jovæ nimirum, fubftituere Levitas loco primogenitorum Ifraelitarum, ut et pecus Levitarum pro pecore Ifraelitarum primogenito. 42. Mofes igitur, quemadmodum juffus erat a Jova, cenfum habuit omnium primogenitorum Ifraelitarum, 43. quorum (marium nempe menfem excedentium) nominatim confignatorum numerus fuit duo et viginti millia, ducenti feptuaginta tres. 44. Tum Jova Mofi dixit: 45. Sint Levitæ loco primogenitorum Ifraelitarum, illorumque pecus loco horum. Mei fint Levitæ. Ego fum Jova. 46. In redemtionem vero ducentorum feptuaginta trium primogenitorum de Ifraelitis, qui fuperfunt numero Levitarum, 47. accipe a fingulis quinos ficlos, videlicet facros, vicenas geràs valentes,

48.

48. et da eos Aaroni et filiis ejus. *Sic fiat* redemtio eorum, qui in illis redundant. 49. Accepit igitur Moses pecuniam redemtionis ab eis Israelitarum primogenitis, qui numerum Levitarum redemtorum excedebant, mille trecentos sexaginta quinque siclos sacros, tradiditque eos, sicuti Jova jusserat, Aaroni ejusque filiis.

CAPUT IV

Alius Levitarum census respectu eorum, qui ad munera sacra obeunda essent idonei.

1. Porro Jova cum Mose et Aarone sic est locutus: 2. Summam subducite Kehathitarum ex Levitis secundum familias suas paternasque domos, 3. a trigesimo ætatis anno usque ad quinquagesimum, omnium qui idonei sunt *a*) ad munus peragendum in tabernaculo conventus. 4. Hoc vero munus Kehathitarum spectat partes tabernaculi sanctissimas. 5. Si castra moventur, ingrediantur Aaron et filii ejus *sanctuarium*, et demittant siparium obtensum, eoque tegant arcam legis. 6. Super eo ponant tegumentum ex pellibus phocarum, et aliud insuper stragulum

a) Phrasis hebraica est בֹּא לַצָּבָא *venire in agmen.* Intelligitur numerus ille Levitarum qui ad munera obeunda admittebantur, cf. v. 47. ubi de eadem re alia phrasis adhibetur.

gulum cæruleum expandant et tum vectes admoveant. 7. Super mensa autem extendant stragulum cæruleum, huic immittant scutellas, lances, cyathos et pateras libaminis, panis quoque super ea perpetuo maneat. 8. Hæc stragulo coccineo consternant, quod alio ex pellibus phocarum confecto tegant et sic vectes admoveant. 9. Candelabrum ejusque lucernas, forcipes, foculos et omnia vasa olei, quæ in usu ejus adhibentur: 10. involvant tegumento ex phocarum pellibus et trahæ imponant. 11. Super altari aurea expandant stragulum cœruleum, quod insuper alio ex pellibus phocarum confecto tegant et vectes ejus applicent. 12. Deinde omnia instrumenta, quorum in sacrario usus est, cæruleo stragulo imponant et alio tegmine ex phocarum pellibus tegant et trahæ imponant. 13. Tum super altari cinere purgato expandant stragulum purpureum, 14. cui imponant omnia instrumenta, quæ in ministerio adhibentur, batilla, fuscinas, palas, pateras, et reliquam aræ supellectilem; quæ tegmini ex phocarum pellibus confecto involvant et vectes admoveant. 15. Postquam Aaron et filii ejus obtexerunt sacrarium et omnem ejus supellectilem dum castra moventur, tum demum accedant Kehathitæ ad portandum. Nec tamen res sacras attingant, ne moriantur. Hæc sunt, quæ Kehathitæ de taberna-

culo

culo conventus bajulare debent. 16. Eleaſaris autem Aaronis filii ſacerdotis curæ committitur oleum candelabri, ſuffimen, fertum perpetuum, unctionis oleum, *denique* inſpectio *b*) totius tabernaculi et omnium quæ in eo ſunt tum ſacrarii, tum ejus ſupellectilis. 17. Tum quoque Jova Moſi et Aaroni dixit: 18. Cavete ne Kehathitarum familiæ a Levitis exſcindantur. 19. Hoc igitur facite, ut vitæ eorum proſpiciatis, quando ad res ſacroſanctas accedunt. Aaron et filii ejus introeant *tabernaculum*, et aſſignent cuique eorum onus ſuum, quod ei ferendum ſit. 20. Minime vero ingrediantur ad videndum, quando res ſacræ involvuntur, ne moriantur. — 21. Porro Jova Moſi dixit: 22. Gerſchonitarum quoque ſummam ſubducito ſecundum domos paternas et familias. 23. Recenſeto autem de illis tricenarios usque ad quinquagenarios, omnes qui idonei ſunt ad munera ſubeunda in tabernaculo conventus. 24. Hoc autem eſt munus quo fungi debent Gerſchonitarum familiæ et onera *ab eis geſtanda*. 25. Nimirum bajulare debent aulæa tabernaculi,

b) Intelligitur inſpectio ſ. cura earum rerum quas Kehathitæ bajulare debebant, de quibus antea ſermo fuit. Has ſumma cautione adhibita involvendas eſſe ſuis ſtragulis et tum demum Kehathitis tradendas. cf. verſ. 28. qui de Ithamaris officio ſimili loquitur.

culi, et tegmen ejus *interius*, et tegmen ex pellibus phocarum, quod illi ſuperimpoſitum eſt; et ſiparium ad ejus introitum. 26. Vela atrii, quæ tabernaculum et aram ambiunt, et ſiparium atrii, et funes ejus et alia quæ eis inſerviunt. 27. Gerſchonitæ vero omnia, quæ ad onera ab eis ferenda et quæ omninò ad munera eorum pertinent, peragant ex præſcriptò Aaronis et filiorum ejus, qui eorum curæ committant omnia quæ bajulare debent. 28. Hoc eſt officium familiarum Gerſchonitarum in tabernaculo conventus, et quæ curare debent ad mandatum Ithamaris filii Aaronis ſacerdotis. — 29. Porro Meraritas ſecundum familias paternasque domos recenſeto, 30. qui triceſimum ætatis annum exceſſerunt usque ad quinquageſimum, qui idonei ſunt ad miniſterium in tabernaculo conventus ſubeundum. 31. Hæc vero ſunt, quæ bajulare debent ſecundum officii rationem in tabernaculo conventus: aſſeres ejus, repagula, columnas cum baſibus ſuis. 32. Columnas totius atrii cum baſibus ſuis, clavos et funes cum omnibus harum partium inſtrumentis. Quæ omnia ab eis portanda ſigillatim eis tradite. 33. Hæ ſunt partes muneris Meraritarum in tabernaculo conventus ad mandatum Ithamaris filii Aaronis ſacerdotis. — 34. Igitur Moſes, Aaron et principes cœtus recenſuerunt Kehathitas ſecundum fami-

familias suas paternasque domos, 35. omnes qui tricesimum ætatis annum excesserant usque ad quinquagesimum, omnes ad ministerium in tabernaculo idoneos. 36. Quorum recensitorum secundum familias suas fuerunt duo millia septingenti et quinquaginta. 37. Hæc est summa recensitorum ex familiis Kehathitarum in tabernaculo conventus ministrantium, quos Moses et Aaron recensuerunt ex jussu Dei per Mosen. — 38. Recensiti posterorum Gerschonis secundum familias paternasque domos, 39. ab anno tricesimo ætatis usque ad quinquagesimum ad ministerium in tabernaculo conventus idonei, 40. fuerunt numero duo millia, sexcenti et triginta, 41. qui recensiti sunt a Mose et Aarone ex jussu Jovæ. — 42. Item posteri Merari secundum familias paternasque domos recensiti sunt, 43. ab anno tricesimo ætatis usque ad quinquagesimum, omnes qui ad munera in tabernaculo conventus obeunda erant idonei. 44. Horum fuerunt tria millia et ducenti. 45. Hi sunt recensiti familiarum Merarensium, quos Moses et Aaron e mandato illi a Jova dato recensuerunt. — 46. Summa omnium a Mose, Aarone et Israelitarum principibus recensitorum Levitarum secundum familias paternasque domos, 47. qui annum tricesimum excesserant usque ad quinquagesimum, omnium qui ad

ministerium erant idonei, nempe ad ministerium onerum ferendorum in tabernaculo conventus, 48. summa, inquam, fuit octo millia quingenti octoginta. 49. Moses omnes ex voluntate Jovæ recensuit et assignavit singulis muneris sui partes, onera nempe, quæ portare debebant.

CAPUT V

Leges de immundis e castris removendis 1—4. de furti restitutione 5 — 10. et aqua mulieri marito suo ob adulterium suspectæ bibenda 11 — 31.

1. Tum Jova cum Mose sic est locutus: 2. Jube ut Israelitæ emittant e castris omnes leprosos, impuro seminis fluxu laborantes, et funere pollutos; 3. sive mares sint, sive fœminæ, emittant eos ex castris, quo minus ea inquinent, siquidem ego inter vos versor. 4. Fecerunt igitur Israelitæ quemadmodum Jova per Mosen jusserat, et emiserunt eos ex castris. — 5. Porro Jova cum Mose locutus est: 6. Dic Israelitis: si quis vir aut fœmina alterum defraudaverit et perjurio se a culpa liberarit, deinde vero peccati in conscientia sua convincitur: 7. confiteatur peccatum quod admisit, restituat rei surreptæ pretium quinta parte superaddita; ei quem damno affecerat. 8. Qui si propinquum non habet, cui restitutio fieri possit, res restituenda Jovæ sit, sive sacerdotis, præter arietem piacularem, quo reus

expia-

expiatur. 9. Omnia donaria omnium rerum ab Iſraelitis conſecratarum ſacerdotis ſunt. 10. Liberum ſit cuique dare conſecrata cuicunque ſacerdoti voluerit. Ejus erunt cui data fuerint. — 11. Porro Jova cum Moſe ſic locutus eſt: 12. Dic Iſraelitis: Si cujuſpiam uxor fidem marito ſuo datam fefellerit, 13. et alius rem cum ea habuerit, idque maritum latuerit, et quod clam ſtuprata eſt, teſtis contra eam non adſit, nec *in ipſo flagitio* fuerit deprehenſa, 14. et zelotypia maritum invaſerit ex ſuſpicione vel vera vel falſa: 15. adducat conjugem ſuam ad ſacerdotem, et offerat propter eam fertum, decimam partem Ephæ farinæ hordeaceæ, nec tamen oleum affundat, aut thus adhibeat, nam fertum eſt zelotypiæ, fertum ad crimen commiſſum redarguendum. 16. Sacerdos mulierem ſiſtat in loco ſacro. 17. Sumat aquam ſacram *a*) in vaſe fictili, cui injiciat de pulvere, qui eſt in ſolo tabernaculi, 18. poſthæc mulieri in loco ſacro conſtitutæ capillos ſolvat, fertum redargutionis et zelotypiæ manibus ejus imponat. Sua vero manu teneat aquam perniocioſam imprecationum *b*) 19. et adjuret mulierem

a) ſcilicet ex labro ſacerdotum.

b) Verba textus ſunt מֵי הַמָּרִים הַמְאָרְרִים. Circa prius epitheton hujus aquæ interpretes inprimis diſſentiunt, quo ſenſu

ſenſu nempe מרים *amara* dicatur. Si fides Judæis eſſet habenda, in ſenſu proprio ita diceretur propter herbas amaras ei injectas. Sed quoniam nihil de eo in lege ipſa præcipitur, figmentum hoc eſſe doctorum Judaicorum facile intelligitur. Neque ex pulvere et atramento in ea abſterſo amaritudinem potuit contrahere, neque ex miraculo ſaporem ejus immutatum eſſe temere ſtatuendum videtur. Igitur improprie hanc aquam amaram dici plerique interpretes arbitrantur. In quo ſenſu tamen alii amaritudinem illam ad maritum referunt, qui aquam illam uxori propinet animo amaro, h. e. irato. Alii vero ab effectu eam amaram dici exiſtimant, quod acerbos dolores per imprecationes additas in muliere rea excitabat. Quæ ſententia mihi quoque maxime probabilis aliisque præferenda videtur, inprimis propter verſum 24. et 27., in quibus hæc aqua מְאָרְרִים לְמָרִים dicitur. Ex qua epithetorum permutatione plane conſtare putem, hæc eſſe illius ſynonyma, ideoque de effectu eſſe intelligendum. Ill. *Michaelis* quidem alium ſenſum tropicum vocabulo מרים tribuit, dum in notis lectores ſuos admonet *amarum* apud Hebræos dici de *imprecationibus*. At enim vero velim ut Vir Celeb. hanc vocis ſignificationem uno alteroque exemplo probet. Ego quidem nullum novi, neque per ſequens vocabulum מאררים quod proprie *maledictionem* notat illud מרים ſic verti poteſt, propterea quoque Vir Celeb. hoc omittit atque utrumque uno vocabulo *Fluchwaſſer* vertit. *Hubigantius* propter diſſenſum qui in verſione græca et ſyriaca a lectione recepta eſſe videtur, criſin h. l. exercet. Illa quidem מרים reddit τὸ ὕδωρ τοῦ ἐλεγμοῦ. Hinc conjectat *Hubigantius* interpretem legiſſe vel הברים vel הקרים

rem his verbis: Si nemo tecum concubuit, fi fidem marito tuo datam non fefellifti, illæfa eris ab aqua hac perniciofa imprecationum. 20. Sin autem fidem marito tuo debitam violafti, fi ftuprata es, et alius vir quam tuus tecum rem habuit: 21. Jova, fic pergat facerdos mulierem diris jurisjurandi adjurans, in te exemplum ftatuat dirarum et perjurii inter populares tuos, faciat ut femur tibi decidat et venter intumefcat. 22. Veniat hæc dira aqua in vifcera tua ad ventrem diftendendum et femur decutiendum. Ad hæc mulier dicat: ita fiat! 23. Tum fcribat facerdos has diras in fcheda et aqua ifta perniciofa deleat, 24. quam deinde mulieri bibendam tradat, ut una cum diris eam ingrediatur ad acerbos excitandos dolores. 25. Quo facto fumat facerdos fertum zelotypiæ e manu mulieris, idque coram Jova porriciat et aræ admoveat, 26. tum pugillo capiat partem illius ferti pro facrificio et in altari adoleat, tandemque mulieri aquam bibendam præbeat. 27. Si fuerit ftuprata, fi fidem marito fuo datam violaverit, aqua

חקרים. Hæc vero מאררים explicat per בְּחֵרָא *aquas exploratrices*, fortaffe ex באר. Utramque lectionem jungit et verba textus vertit: *aquam pudicitiæ exploratricem.* Sed quoniam lectio textus recepta explicationem admittit minime difficilem, temerarium videtur crifin in ea exercere.

aqua illa dirarum vehementiſſimos ei dolores excitabit. Intumeſcet ei venter et femur concidet, eritque hæc mulier perjurii exemplum inter populares ſuos. 28. Quodſi non ſtuprata fuerit, ſed munda, illæſa fuerit et prolem gignet. — 29. Hæc lex ſit zelotypiæ, ſi mulier ſuſpecta eſt perfidiæ in maritum ſuum commiſſæ. 30. Aut ſi vir zelotypia perturbatur, mulierem ſuam deducat in locum ſacrum, ibique ſacerdos ei faciat ex hac lege. 31. Vir immunis eſt ab omni culpa, mulier pœnam ſuam luet.

CAPUT VI

Leges Naſiræis obſervandæ, et formula bene precandi populo, quam ſacerdotes adhibere debebant.

1. Ulterius Jova cum Moſe his verbis eſt locutus: 2. Dic Iſraelitis: Si quis vir aut fœmina voto Naſiræi nuncupato ſeſe Jovæ conſecravit, 3. a vino et temeto abſtineat, nec vini aut temeti acetum, nec omnino quidquam quod ex uvis paratur, bibat, neque uvas recentes aut paſſas comedat. 4. Quamdiu voto ſuo tenetur, nihil quod *ex fructu* vitium paratur, guſtet, ne acinos quidem aut folliculos. 5. Toto illo voti ſui tempore novacula ejus capiti ne admoveatur. Jovæ ſacer eſt, alat comam capitis ſui. 6. Quamdiu Jovæ ſe conſecravit, funeri

funeri ne interfit. 7. Ne in patris quidem, aut matris, fratris, aut fororis funere fe polluat, quoniam in capite geftat cæfariem Deo devotam. 8. Quamdiu votum illud durat, Jovæ facer fit. 9. Si quis derepente in præfentia ejus moriatur, polluta eft capitis fui cæfaries, quam feptimo die, quo iterum purus fit, abradat. 10. Die octavo offerat duos turtures aut duas columbas pullas facerdoti ad introitum tabernaculi, 11. quarum alteram piaculari, alteram folido facrificio faciat. Sic expiet ejus culpam in funere contractam, et caput ejus *iterum* confecret eodem die. 12. Et dum agnum anniculum ut facrificium pro delicto offert, tempus voti nuncupati denuo incipit, fuperiores enim dies irriti funt, propter impuritatem contractam. — 13. Completo voti tempore Nafiræo hæc funt agenda: Compareat ad tabernaculum conventus, 14. et afferat donarium fuum Jovæ, agnum unum anniculum fine vitio, ad holocauftum, et agnam unam anniculam fine vitio ad victimam piacularem, et arietem unum vitii expertem in facrificium euchariflicum. 15. Præterea caniftrum placentarum fine fermento fimilaginearum, partim oleo miftarum, partim oleo tinctarum, cum earum donariis et libaminibus. 16. Quæ omnia facerdos deferat in locum facrum, faciatque facrificium piaculare et folidum. 17. Deinde arie-

te faciat facrificium euchariſticum Jovæ, una cum placentis azymis earumque donariis et libaminibus. 18. Tum Naſiræus ad portam tabernaculi caput tondeat, ejusque cæfariem confecratam in ignem facrificii euchariſtici abjiciat. 19. Poſthæc facerdos armum arietis coctum et placentam unam utriusque generis e caniſtro manibus Naſiræi, cujus cæfaries confecrata rafa eſt, imponat, 20. et deinde coram Jova porriciat. Hæ partes facræ funt facerdoti, præter pectus a) porrectionis et armum elevationis. Quibus peractis Naſiræus vinum bibat. 21. Hæc eſt lex Naſiræi, qui voverit fe offerre velle Jovæ oblationem pro Naſiræatu, præter ea quæ pro facultate fua fponte offerre poteſt. Hæc quidem pro voto quod nuncupavit, faciet ex lege Naſiræatus. — 22. Porro Jova Moſi dixit: 23. præcipe Aaroni et filiis ejus, ut Iſraelitis hunc in modum bene precentur: 24. Benefaciat vobis Jova et vos cuſtodiat. 25. Faveat vobis Jova, et veſtrum mifereatur. 26. Benignum fefe Jova vobis exhibeat, omnisque generis felicitate cumulet. 27. Nomen meum enuncient coram Iſraelitis, et ego vos fortunabo.

CAPUT

a) cf. Levit. 7, 34.

CAPUT VII

Munera principum Israelitarum in consecratione tabernaculi oblata.

1. Postquam Moses tabernaculum erexerat, idque, ut et omnem ejus supellectilem, nec non altare cum instrumentis suis omnibus unxerat et consecrarat: *a*) 2. obtulerunt Israelitarum principes, capita familiarum, qui et tribuum principes erant et exercitui præfecti, 3. munera sua Jovæ, sex plaustra tecta et duodecim boves. *Nimirum* bini singula plaustra et singuli boves singulos; eaque adduxerunt ante tabernaculum. 4. Tum Jova Mosen jussit, 5. ea ab illis accipere, ut in ministerio tabernaculi adhiberentur, et inter Levitas pro ratione muneris distribuere. 6. Igitur Moses accepit illa plaustra et boves a *principibus Israelitarum* deditque ea Levitis. 7. *Nempe* duo plaustra et quatuor boves Gerschonitis pro ratione muneris eorum, 8. quatuor vero plaustra et octo boves dedit Meraritis, qui eis in ministerio suo opus habebant, sub inspectione Ithamaris filii Aaronis sacerdotis. 9. Kehathitis autem nullum *de plaustris istis* dedit, quia res sacræ curæ eorum

a) Factum hoc est primo mense anni secundi post exitum ex Aegypto. Exod. 40, 2.

eorum commissæ humeris erant bajulandæ. 10. Obtulerunt etiam principes illi ad aræ dedicationem tum cum inuncta est, munera sua ante aram. 11. Jusserat autem Jova Mosen, ut singuli principes singulis diebus munera sua ad aræ dedicationem offerrent. 12. Igitur primo die obtulit munus suum Nachschon filius Amminadabi de tribu Judæ. 13. Nempe scutellam argenteam triginta et centum siclorum, phialam argenteam septuaginta siclorum ex siclo sacro *æstimatorum*, utramque plenam simila oleo mista ad fertum. 14. Lancem decem aureorum suffitu plenam. 15. Juvencum bovillum, arietem, agnum anniculum ad holocaustum, 16. hoedum caprinum ad sacrificium piaculare, 17. et ad sacrificium eucharisticum duos boves, arietes quinque, hircos quinque, totidemque agnos anniculos. Hoc fuit donum Nachschonis filii Amminadabi. — 18. Secundo die obtulit Natanel filius Zuari princeps Isfascharis munus suum, 19 — 23. *quod primi diei muneri prorsus simile fuit b*). 24 — 29. Tertio die princeps Sebulonitarum Eliabus filius Chelonis. 30 — 35. Quarto

b) Munera omnium duodecim principum eadem fuerunt atque in textu hebræo iisdem verbis describuntur, quæ in versu 13 — 17. leguntur. Ego vero nolui eadem toties repetere, neque vereor ne propterea reprehendar. cf. Cap. 1, 22. not. e).

to princeps Rubenitarum, Elizur filius Schedeuri. 36—41. Quinto princeps Simeonitarum, Schelumiel filius Zurischadai. 42 — 47. Sexto princeps Gaditarum, Eljasaphus filius Deuelis. 48 — 53. Septimo princeps Ephraimitarum, Elischama filius Ammihudi. 54 — 59. Octavo princeps Manassitarum, Gamliel filius Pedazuri. 60 — 65. Nono princeps Benjaminitarum, Abidan filius Gideonis. 66 — 71. Decimo princeps Danitarum Achieser filius Ammischaddai. 72 — 77. Undecimo princeps Ascheritarum, Pagiel filius Ochrani. 78 — 83. Duodecimo princeps Naphtalitarum, Achira filius Enani. 84. Hæc sunt in aræ dedicatione, tum cum uncta fuit, a principibus Israelitarum dono data: scutellæ argenteæ duodecim, totidem phialæ argenteæ, totidem lances aureæ. 85. Scutellæ singulæ erant tricenorum et centenorum, phialæ singulæ septuagenorum siclorum. Quorum vasorum argenteorum summa fuit duo millia et quadringenti sicli, ponderis sacri. 86. Lances aureæ duodecim suffitu plenæ singulæ denorum siclorum sacrorum, quæ summam auri efficiebant viginti et centum siclorum. 87. Boves ad holocaustum duodecim, totidem arietes et agni anniculi cum ferto suo. Hoedi caprini duodecim ad sacrificium piaculare. 88. Ad eucharisticum sacrificium quatuor et viginti boves, sexaginta arietes, totidem hirci totidem-

tidemque agni anniculi. Hæc facrificia in dedicatione aræ, poftquam uncta erat, funt oblata. — 89. Quando Mofes tabernaculum conventus ingrediebatur, ut Deum confuleret, audivit vocem refpondentem ex operculo, quod erat fuper arca legis inter duos Cherubos. Sic cum eo loquebatur.

CAPUT VIII

Leges de lucernis accendendis 1—4. de confecrandis Levitis loco primogenitorum Ifraelitarum ad facri tabernaculi minifterium 5—23. et de ætate, qua ad illud minifterium funt idonei 23—26.

1. Juffit quoque Jova, 2. ut Mofes Aaronem admoneret lucernas ita candelabro imponere, ut omnes feptem antrorfum lucerent. 3. Quod etiam Aaron fecit et in fronte candelabri lucernas inftruxit, ficuti Jova Mofi præceperat. 4. Fuit autem candelabrum opus folidum ex auro, cum fcapus, tum ejus flores, factum a Mofe ad exemplar, quod ei Jova oftenderat. — 5. Tum porro Jova cum Mofe fic eft locutus: 6. Secerne Levitas ex Ifraelitis eosque purificato. 7. Quod hac ratione fieri debet: confperge eos aqua luftrali, deinde novacula totum corpus radant, et lavent veftimenta fua et fe ipfos. 8. Tum taurum bovillum adhibeant cum ferto fuo, fimila nempe oleo mifta, et alium taurum bovillum ad

ad victimam piacularem afferto. 9. Adductis a te Levitis ante tabernaculum conventus et convocatis legatis Israelitarum, 10. illos *propius* in locum sacrum adduces et hi illis manus suas imponent. 11. Tuno Aaron Levitas Jovæ ab Israelitis oblatos sistat, ut ministerium ejus curent, 12. atque hi imponant manus suas capitibus istorum taurorum, quorum alterum in victimam piacularem, alterum in solidum sacrificium *Aaron* faciat ad Levitas expiandos. — 13. Sic sistes Levitas coram Aarone ejusque filiis, eosque mihi *quasi* porricias. 14. Secernes eos ab Israelitis, et mei sint. 15. Deinde suscipiant ministerium in tabernaculo conventus, postquam a te fuerint purificati et *mihi* oblati. 16. Sunt enim mihi prorsus addicti ex omnibus Israelitis pro primo fœtu matris, omnibusque Israelitarum primogenitis eos mihi selegi. 17. Omnia Israelitarum primogenita mea sunt, cum hominum tum animalium, quæ mihi sanctificavi eo die, quo Aegyptiorum primogenita occidi. 18. Pro illis Israelitarum primogenitis accipio Levitas, 19. et trado eos Aaroni ejusque filiis ex *reliquis* Israelitis, ut munere in tabernaculo conventus fungantur, quo illi fungi debebant, utque eos expient et ne clade afficiantur si ipsi ad sanctuarium accederent. — 20. Moses igitur, Aaron et Israelitarum legati fecerunt Levitis omnia quæ Jova

va per Mosen jusserat. 21. Purgarunt se Levitæ, abluerunt vestes suas, et Aaron eos Jovæ porrexit et expiavit. 22. Quibus peractis munus suum adierunt in tabernaculo sub inspectione Aaronis et filiorum ejus, quemadmodum Jova per Mosen præceperat. — 23. Porro Jova Mosi dixit: Hoc quoque de Levitis habeto: 24. qui annum quintum et vicesimum excesserunt, adeant munus in tabernaculo conventus. 25. Ab anno autem quinquagesimo cessent a munere et habeantur emeriti. 26. Adjuvent tamen fratres suos in ministerio tabernaculi leviori, a gravi vero labore liberi sint. Sic Levitis munera sua assignabis.

CAPUT IX

Israelitæ Pascha mense primo anni secundi post exitum ex Aegypto celebrant, qua occasione lex fertur de iis qui illud stato tempore facere non poterant 1 — 14. De nube super tabernaculo, signo itineris aut stationis figendæ Israelitis 15 — 23.

1. Primo mense secundi anni post exitum ex Aegypto Jova in deserto Sinai Mosi præcepit, 2. ut Israelitæ pascha celebrarent tempore constituto, 3. nimirum quarto decimo die illius mensis circa vesperam, atque in eo agerent secundum leges omnes et ritus *præscriptos*. 4. Jussit igitur Moses ut Israelitæ pascha celebrarent. 5. Quod etiam ab eis factum

ctum est quarto decimo die mensis primi in deserto Sinai circa vesperam, et observarunt omnia, quae Jova Mosi praeceperat. — 6. Fuerunt autem nonnulli impuri ex funere, nec poterant pascha eo die celebrare. Hi adeunt Mosen et Aaronem eo ipso die, 7. eisque indicant, sese ex funere esse pollutos; quare vero prohiberemur, *inquiebant*, quo minus munera nostra statuto tempore Jovae offeramus una cum aliis Israelitis? 8. Jussit eos Moses expectare, sese Jovam consulturum, quid eorum causa fieri vellet. 9. Tum Jova respondit his verbis: 10. Dicito Israelitis: Si quis vestrum, aut posterorum vestrorum, impurus fuerit ex funere, aut sit in itinere longinquo, quando pascha in mei honorem celebratur, 11. quarto decimo die mensis secundi circa vesperam, idque cum azymis et herbis amaris comedat. 12. Nihil de eo relinquatur in sequentem diem, nec os ei frangatur, et plane ex institutis paschatis illud celebrent. 13. Qui vero mundus erit, neque in itinere, et tamen pascha celebrare omittit, is e populo suo exscindetur, quoniam tempore constituto munus suum mihi non obtulit; feret culpam suam. 14. Peregrinus inter vos, qui Pascha celebrare voluerit, faciat hoc ex iisdem institutis et ritibus. Idem jus sit peregrinis et indigenis. — 15. Cum tabernaculum erigebatur, obtexit

xit illud nubes, vefpere autem extitit fuper eo ignis quædam fpecies usque ad mane, 16. et fic perpetuo. *Interdiu a)* nubes illud contexit, noctu ignis fpecies. 17. Prouti nubes fuper tabernaculo afcendit, ita profecti funt Ifraelitæ; atque ubi confedit, ibi caftra pofuerunt. 18. Ad voluntatem Jovæ vel profecti funt, vel caftrametati. Quamdiu nubes tabernaculo infedit, caftra non moverunt. 19. Quodfi per complures dies nubes tabernaculo immorata eft, vacarunt Ifraelitæ cultui facro, *b)* neque iter continuarunt. 20. Si ad paucos dies tabernaculo infidebat, ex voluntate Dei vel caftra

pofue-

a) Supplendum effe יוֹמָם oppofitum לַיְלָה docet. Sed quod re vera e textu exciderit, nec tamen aufim cum *Hubigantio* certo affirmare, quanquam ex antiquis interpretibus οἱ ό, Syrus, Vulgatus et Arabs in Polygl. illud habent. Conftat Hebræos non femper fummam in fcribendo ἀκρίβειαν adhibere. Codex Sam. Onkelos et Arabs Erpen. confentiunt cum recepta lectione.

b) Phrafis שָׁמוֹר מִשְׁמֶרֶת quæ h. l. legitur, omnem cultus Levitici obfervationem indicat. cf. Levit. 18, 30. et 22, 9. not. a). Senfus igitur h. l. eft: Ifraelitas tum demum tabernaculum facrum erexiffe et ritus facros obfervaffe, fi per complures dies uno in loco commorabantur; fi ad breve modo tempus, tabernaculum non effe erectum. Quod num futurum effet, indicabatur eis per Mofen, fecundum v. 23.

posuerunt vel profecti sunt. 21. Si a vespera ad mane consedit et tunc ascendit, profecti sunt. Sive interdiu, sive noctu, quando ascendit, profecti sunt. 22. Si per biduum, aut mensem, aut annum integrum nubes super tabernaculo immorata est, non profecti Israelitæ, sed castra posuerunt; simulac vero ascendit, iter sunt ingressi. 23. Utrumque fecerunt ex voluntate Jovæ, per Mosen indicentis, si cultum sacrum deberent instituere.

CAPUT X

De tubis quibus Israelitæ convocentur, et certo ordine qua castra moveri debeant. Alii tubarum usus. Rogat Moses affinem suum, ut se in itinere per desertum comitetur. Preces Mosis, quando castra movebantur, aut figebantur.

1. Tum quoque Jova cum Mose ita est locutus: 2. Fac tibi duas tubas argenteas easque solidas, quibus legatos populi convoces et ad castra movenda signum des. 3. Si ambabus clangitur, conveniant apud te populi legati ad portam tabernaculi conventus. 4. Si una tantum, principes, capita familiarum congregentur. 5. Si sono productiori clangitur, proficiscantur castra orientalia. 6. Si idem sonus iterum editur, proficiscantur castra meridionalia. Sonus ille productus signum sit castrorum movendorum. 7. In convocandis vero populi legatis fracto sono tantum clangatur, non productiori. 8. Filio-

rum Aaronis facerdotum fit, tubis clangere. Quarum *tubarum* ufus fit apud vos perpetuus, etiam inter pofteros veftros. 9. Si in terra veftra prælium cum hofte vobis infefto initis, tubis clangetis, ut memoria veftrum Jovæ redeat et ab hoftibus veftris defendamini. 10. Item diebus feftis, feriis ftatutis et noviluniis tubis canetis. Item fuper holocauftis veftris et facrificiis euchariſticis. Inferviant vobis ad memoriam veftri recolendam coram me. Ego fum Jova Deus vefter. — 11. Anno fecundo, vicefimo die fecundi menfis afcendit nubes fuper tabernaculo legis. 12. Tunc caftra moverunt Ifraelitæ e deferto Sinai. Confedit deinde nubes in deferto Paran, 13. et tunc primum ordine quem Jova per Mofen inftituerat iter funt ingreffi. 14. Vexillum caftrorum Judæ cum agminibus fuis primum profectum eft, quibus præfuit Nachfchon filius Amminadabi. 15. Dux tribus Ifafcharis, Nataneel filius Zuaris, 16. et dux tribus Sebulonis, Eliabus filius Chelonis. 17. Interea demiffum fuit tabernaculum et profecti funt Gerfchonitæ et Meraritæ portantes tabernaculum. 18. Tum vexillum caftrorum Rubenitarum cum agminibus fuis profectum eft, duce Elizuro filio Schdeuri, 19. et dux tribus Simeonis, Schelumiel filius Zurifchadæi, 20. et dux tribus Gaditarum, Eljafaphus filius Deuelis. 21. Tum profecti

fecti sunt Kehathitæ portantes sanctuarium. Interea illi tabernaculum erexerunt antequam *hi* venirent. 22. Tum vexillum castrorum Ephraimiticorum profectum est cum agminibus suis, duce Elischama filio Ammihudi, 23. et dux tribus Manassis Gamliel filius Pedazuri, 24. et dux tribus Benjaminitarum Abidan filius Gideonis. 25. Postremo vexillum castrorum Danitarum profectum est cum agminibus suis, duce Achiesero filio Ammischaddæi, 26. et dux tribus Ascheritarum Pagiel filius Ochranis, 27. et dux tribus Naphtalitarum Achiraus filius Enani. 28. Hoc ordine Israelitæ in agmina distributi castra moverunt et profecti sunt. — 29. Moses autem Chobabo filio Reguelis Midianitæ affini suo *a*) dixit: Jam quidem proficiscimur ad locum quem Jova nobis dare promisit. Veni nobiscum, tibi benefaciemus. Magnæ enim felicitatis Jova Israelitis spem fecit. 30. Ille vero recusavit comitem se præbere, sed in patriam suam se reversurum esse dixit. 31. Sed institit Moses precibus suis, noli nos deserere, inquiens, nosti enim ubi in deserto castra ponere debeamus, oculorum instar nobis eris. 32. Quodsi nos comitabere, bonorum quibus Deus nos afficiet, tu quoque inter nos particeps fies. — 33. Profecti igitur a monte Jovæ trium dierum iter fecerunt,

arca

a) cf. Exod. 2, 18.

arca fœderis Jovæ eos præcedente et procurante locum ſtationis. 34. Nubes autem Jovæ interdiu dum iter faciebant, eos texit. 35. Quando arca iter ingrediebatur, Moſes dixit: Surge Jova, ut diſſipentur hoſtes tui et adverſarii tui in fugam convertantur. 36. Quando autem in loco ſuo reponebatur, dixit: Revertere Jova ad myriadum millia Iſraelitarum.

CAPUT XI

Iteratæ populi querelæ carnem a Moſe flagitantis. Quibus hic vehementer commotus Deum de onere ſublevando rogat. Jubetur ſenatum ſeptuaginta ſeniorum convocare. Populus carnem a Deo accipit, ſed in ipſo ejus eſu clade afficitur.

1. Accidit autem ut populus impie quiritaret coram Jova. Quo facto hic iratus ignem incendit, qui extrema caſtra conſumſit. 2. Tum populus clamavit ad Moſen, atque cum hic apud Jovam intercederet, ignis conſedit. 3. Unde locus hic Tabera (h. e. incendium) dictus eſt, quoniam ignis Jovæ inter eos exarſerat. — 4. *Non ita longe poſt* turba mixta hominum inter Iſraelitas commorantium deſiderio *aliorum ciborum* afficiebantur, et ipſi quoque Iſraelitæ denuo flere incipiebant et dicere: utinam carne veſci poſſemus. *a*) 5. Recordamur piſcium, quos

a) cf. Exod. 12, 38.

quos in Aegypto gratis comedebamus, cucumerum, peponum, porri, ceparum et alliorum. 6. Jam vero contabefcimus, nec oculis noftris quidquam confpicimus nifi Mannam. (7. Erat autem Manna ut grana coriandri, colore inftar bdellii. 8. Populus eam paffim colligebat, molaque contufam aut in mortario contritam coquebant in olla, et parabant ex ea placentas fubcineritias. Sapore fimilis erat pani oleato. 9. Quando ros in caftra cadebat noctu, manna quoque cadebat.) 10. Mófes cum audiret univerfum populum flentem, omnes enim ante tabernacula plorabant, graviter hac re offenfus, Jovæ, qui et ipfe vehementer irafcebatur, 11. dixit: Cur me tantopere affligis? cur hanc mihi gratiam non conceffifti *ut munus hoc detrectare mihi liceret*, fed ut totum hujus populi onus mihi imponeres? 12. Num ego hunc tantum populum concepi? num peperi? ut me jubeas eum in finu ferre, ut folet nutritor lactentem, in terram quam majoribus ejus jurejurando promififti. 13. Unde carnem fumam, quam univerfo huic populo dem? omnes tamen flentes a me poftulant, ut carnem eis comedendam præbeam. 14. Non poffum ego folus ferre hunc populum, impar fum huic oneri ferendo. 15. Si ita mecum agere velis, interfice me, quod beneficii loco mihi erit, ne tanta cogar mala experiri. 16. Ad hæc Jova

Mosi respondit: evoca septuaginta ex Israelitarum senioribus, quos nosti populi esse proceres et scribas. Hi una tecum adsint ante tabernaculum conventus.
17. Tum ego in nube descendam et tecum loquar, tuæque virtutis partem eis tribuam, ut tecum onus populi portent, neque tibi soli id sit sustinendum.
18. Populo autem dicito: lustrate vos in crastinum, carnem accipietis comedendam. Jova audivit voces vestras flentes, quibus carnem optastis et in Aegypto bene vobis fuisse dixistis. Dabit vobis Jova carnem qua vescemini,
19. non in unum, non in duo, aut quinque, aut decem, aut viginti dies,
20. sed in mensem integrum, donec vobis fastidio sit et nauseam pariat, quoniam repudiastis Jovam, qui inter vos versatur, et doluistis, vos ex Aegypto esse egressos.
21. Tum Moses, sexcentis peditum millibus, inquit, constat hic populus, cui ego præsum et tu promittis dare eis carnem, qua per integrum mensem vescantur.
22. Num pecus et armentum mactari debet, quod eis sufficiat, aut pisces maris omnes congregabuntur, ut satis habeant?
23. Ad hæc Jova Mosi respondit: Num manus mea brevior facta est? videbis, num dicta mea eventura sint, nec ne.
24. Tum Moses retulit ad populum quæ Jova dixerat, et convocavit septuaginta viros de proceribus, quos adesse jussit ante tabernaculum conventus.
25.
Quo

Quo facto Jova in nube descendit et locutus est ad eos, partemque facultatum, quibus Moses instructus fuit, impertiit septuaginta illis proceribus. Qui ut primum earum participes erant facti, divina vi sunt locuti *b*). 26. Verum duo ex illis, alter nomine Eldad, alter nomine Medad, non convenerant, sed re-

b) In textu legitur וַיִּתְנַבְּאוּ וְלֹא יָסָפוּ quæ verba mihi quidem valde difficilia videntur. Primo נבא dicitur de illa mentis agitatione extraordinaria, quam legimus nonnunquam homines in se sensisse et ea impulsos locutos esse. Sed qualis ea fuerit, obscurum est et incertum. De Saulo quidem bis legitur 1 Sam. 10, 5. et 19, 23. ubi in cœtu נְבִיאִים dicitur מִתְנַבֵּא quod de vaticiniis proprie dictis s. rerum futurarum prædictione non potest intelligi, sed de carminum cantu adhibitis instrumentis musicis recte, uti arbitror, a plerisque interpretibus explicatur. Sed quid hoc loco, ubi nulli prophetarum chori? Equidem ex causa effectum explicavi. Sed quæ horum נביאים ratio fuerit, fateor me ignorare. Hoc tantum affirmare audeo, eos res futuras non prædixisse, atque propterea verbum non per *vaticinari* esse vertendum. Deus partem facultatum, aut animi indolis, רוּחַ, qua Moses instructus fuit, impertiit viris illis; hinc factum est ut יִתְנַבְּאוּ divino impulsu loquerentur, sicuti Moses. — Neque minus difficilia sunt verba quæ sequuntur וְלֹא יָסָפוּ in quibus vertendis interpretes antiqui et recentiores in duas partes abeunt. Alii: *et non addiderunt*, h. e. tantum hoc

 die

remanserant in castris. Hi quoque vim illam extraordinariam in se sentiebant. Erant quidem inter illos non consignatos, sed non egressi fuerant ad tabernaculum. Igitur in castris divina vi loquebantur. 27. Quod cum Mosi esset a puero quodam sine mora indicatum: 28. Josua filius Nunis, qui ei inde a juventute sua c) ministra-

die vaticinati sunt et non amplius. Sic *οἱ ό* et Syrus. Alii: *non cessarunt*, a סוף ut sensus sit: quod inde ab hoc die nunquam destituti fuerint dono illo vaticinandi, quamdiu magistratum gesserint. Sic Onkelos et Vulgatus. Neutram explicationem mihi probari velint lectores, quod aliam lectionem sum secutus. Hæc vero est Codicis Samaritani, qui inserto א legit יַאַסְפוּ quod cum sequenti וַיִּשָּׁאֲרוּ conjungo et initium sequentis versus facio. Lectionem hanc facilem esse, neque alienam a genio linguæ, aut modo narrandi Hebræorum, nemo uti arbitror negabit. Quodsi ex illis explicationibus alterutra esset eligenda, posteriorem præferrem, in qua tamen *τῷ* יסְפוּ, quod ex lectione recepta legimus, litera ו inserenda esset, יָסוּפוּ. Num igitur audacior videatur crisis, si א inseritur, auctore præterea Samaritano?

c) hebr. מִבְּחֻרָיו quod *οἱ ό* Vulgates et Arabs in concreto explicant *ὁ ἐκλεκτὸς*, *electus e pluribus*. Sed Syrus et Onkelos in abstracto, quos ego secutus sum. Utramque explicationem vocabulum hebraicum admittit. Nec tamen propterea Mosen satellitibus stipatum fuisse existimem, uti *Michaelis* vertit (der von seiner Leibwache war), de quo nullibi alias, quod ego sciam, indicium extat.

niſtravit, rogavit ut eos prohiberet. 29. At enim vero Moſes, num mea cauſa invides? inquit; utinam totus populus divino impetu loqueretur et Jova omnes extraordinaria facultate inſtrueret. 30. Tum rediit Moſe cum proceribus Iſraelitarum in caſtra. — 31. Jova vero coturnices vento trans mare ſublatas diſperſit per caſtra ab utraque parte unius diei itinere duorum cubitorum altitudine in terræ ſuperficie. 32. Igitur populus toto illo die totaque nocte et die quoque ſequenti coturnices collegit (ad minimum decem faſciculos quisque collegerat) quas per caſtra expanderunt. 33. Caro adhuc erat eis inter dentes, necdum conſciſſa, cum ira Jovæ erupit et clade perquam magna eos affecit. 34. Hinc locus hic vocatur Kibhroth Hattaavah (ſepulcra deſiderii) quoniam ibi ſepulti erant iſti inſana cupiditate incitati. 35. Ab Kibhroth Hattaavah profecti ſunt Chazerotham.

CAPUT XII

Maria et Aaron nuptias ſecundas Moſis cum peregrina improbantes reprehenduntur a Deo, atque illa quidem lepra punitur, a qua tamen ad preces Moſis ſanatur.

1. Ibi Maria et Aaron indignabantur Moſi, quod mulierem Aethiopiſſam in matrimonium duxerat. 2. Num tantum per Moſen, inquiebant, Jova loqui-

tur, nonne etiam per nos? *a*) Quæ eorum dicta
Jova valde improbavit, (3. Moses quidem vir fuit
omnium quos terra ferebat, mitissimus,) 4. atque subito
jussit, ut Moses Aaron et Maria ipsi tres ad tabernacu-
lum conventus egrederentur. Quod cum fecissent, 5.
Jova in nube descendit et ad ostium tabernaculi subsi-
stens evocavit Aaronem et Mariam, eisque ambobus
egressis 6. dixit: audite quod dicam: Si quis vestrum
propheta est, ego ei in visione innotescere soleo, aut
in somnio cum eo loqui: 7. At cum Mose servo
meo non item: qui in omnibus mihi est fidelissimus *b*).
8. Ut præsens cum præsente loqui cum eo soleo,
coram, non per ænigmata, me ipse intuetur. Quare
igitur non veriti estis loqui adversus servum meum
Mosen? 9. Sic iratus in eos Jova discessit. 10. Nu-
bes quoque super tabernaculo disparuit. Et ecce
Maria leprosa erat, *candens* instar nivis. Quod cum
Aaron

a) Sensus est: se has nuptias non sua auctoritate, sed ex voluntate Dei improbare, quam, quoniam et ipsi revelationibus divinis non destituti essent, æque ac Moses cognitam haberent et perspectam. Qui sensus ex verbis Dei probatur, in quibus ostendit, quantum discrimen sit inter revelationes, quibus Mosen et quibus alios prophetas dignetur.

b) hebr. *in tota domo mea fidelis est.* Domus h. l. est populus Israeliticus.

Aaron videret, 11. dixit Mosi: noli, mi domine, nobis imputare peccatum tam imprudenter commissum. 12. Ne similis ista fiat fructui abortivo, qui dimidio corpore consumto ex utero materno prodit. 13. Tum Moses precibus apud Jovam pro ea intercessit, ut iterum sanaretur. 14. Respondit Jova Mosi: Si pater ei in vultum exspuisset, nonne per septem dies eam puderet? Includatur igitur extra castra in septiduum et postea recipiatur. 15. Igitur inclusa est Maria extra castra per septem dies, neque populus castra movit, donec esset recepta. 16. Tum vero profectus est ex Chazeroth et castra posuit in deserto Paran.

CAPUT XIII

Mittuntur jussu Dei duodecim exploratores in Palaestinam. Qui ea perlustrata et ad populares suos reversi terram quidem bonam esse referunt, sed incolas fortes et bellicosos, urbes munitas. Quo nuntio populus perterritus omnem terrae potiundae spem abjicit.

1. Ibi Jova Mosen jussit, 2. mittere exploratores in Cananaeam, quam Israelitis dare vellet, ex singulis tribubus singulos, eosdemque omnes viros principes. 3. Igitur misit Moses ex deserto Paran ex voluntate Jovae viros, qui omnes primarii erant inter Israelitas. 4. Nomina eorum erant haec: e tribu

Ruben,

Ruben, Schammum filius Sacchuris. 5. E tribu Simeon, Schabad filius Chori. 6. E tribu Juda, Caleb filius Jephunnæ. 7. E tribu Ifafchar, Jigal filius Jofephi. 8. E tribu Ephraim, Hofea filius Nuni. 9. E tribu Benjamin, Paldi filius Raphni. 10. E tribu Sebulon, Gaddiel filius Godi. 11. E tribu Jofephi, et quidem Manaffis, Gaddi filius Sufi. 12. E tribu Danis, Ammiel filius Gemalli. 13. E tribu Afcher, Setur filius Michaelis. 14. E tribu Naphtali, Nachbi filius Vophfi. 15. E tribu Gadis, Geuel filius Machi. 16. Hæc funt nomina virorum quos mifit Mofes ad explorandam terram. (Hofeam vero filium Nuni vocarat Jofuam.) 17. Cumque eos dimitteret, dixit: per tractum meridionalem convertite vos ad regionem montanam, 18. et videte qualis fit terra et qui populus eam inhabitans, num potens, an debilis? num exiguus, an multus? 19. Tum qualis terra quam incolit, num bona, an mala? tum cujusmodi urbes fint, quas incolunt, num in caftris, an in locis munitis degant? 20. Item quale terræ folum, pingue an macilentum? num arbores habeat an contra? Nec dubitetis fructus nonnullos afferre. Tempus autem erat, quo uvæ maturefcunt. — 21. Profecti igitur funt et explorarunt terram a deferto Sin usque ad Rechobam verfus Chamatham. 22. Primum a) per

a) cf. verf. 17.

per tractum meridionalem venerunt *b*) Hebronem. Ibi erant Achimanæi, Schefchæi, Talmæi *c*) ex posteris Enakæorum. Hebron autem condita eſt ſeptem annis ante Tanin Aegypti. 23. Hinc venerunt in vallem Eſchkol, ibi abſciderunt palmitem cum uva, quem duo palo impoſitum tulerunt. Item malogranata et ficus *ſecum attulerunt.* 24. Hinc locus hic vocatus eſt vallis *Eſchkol* (h. e. *uvarum vallis*) quod Iſraelitæ ibi uvam abſciderant. — 25. Poſt quadraginta dies ab exploranda terra redierunt, 26. et venerunt ad Moſen, Aaronem et univerſum Iſraelitarum cœtum Cadeſcham in deſertum Paran, eisque *quid egiſſent* retulerunt et oſtenderunt terræ fructus. 27. Fuimus in terra, quo nos miſiſti, (ita narrarunt Moſi) et ſane terra eſt rebus præſtantiſſimis abundans *d*), videte ejus fructus. 28. Ve-

b) In textu quidem legitur וַיָּבֹא *et venit*, ſed in plurali legendum eſſe יָבֹאוּ tum contextus docet, tum Cod. Sam. et verſiones antiquæ præter Onkeloſum et Arabem Erpenii probant.

c) Nomina hebræa Achiman, Scheſchai et Talmai non ſunt nomina hominum ſingulorum (nam ratio non eſſet, cur tres homines exploratorum attentionem tantopere excitaſſent); ſed integræ familiæ, ſive tribus Troglodytarum a progenitoribus ſuis nominatæ, cf. verſ. 28. et Geneſ. 36, 15. not. *c*).

d) hebr. *lacte et melle fluit.*

28. Verum enim vero populus qui eam inhabitat, fortis eſt: et urbes munitæ et permagnæ. Etiam Enakæos ibi vidimus. 29. In tractu meridionali habitant Amalekitæ, in regione montana Chittæi, Jebuſitæ, Amoritæ, Cananitæ ad mare et Jordanum. 30. *Orto ad hæc fremitu populi e)* Calebus mitigare animos in Moſen ſtuduit, aſcendamus, inquiebat, occupemus terram, prævalebimus ſine dubio. 31. Sed qui cum eo fuerant, negarunt ſe populum iſtum poſſe aggredi, utpote ipſis fortiorem. 32. Diffamarunt etiam terram quam exploraverant apud Iſraelitas. Terra, inquiebant, quam explorandi cauſa peragravimus, quam maxime eſt inſalubris. *f)* Homines quos in ea vidimus, immanis erant ſtaturæ. 33. Gigantes ex poſteris Enakæorum ibi vidimus, quibus nos et nosmetipſi cum illis collati locuſtæ videbamur.

CAPUT XIV.

Graves querelæ primum ſenatus, deinde totius populi de periculo eis in terræ occupatione timendo. Moſes et Aaron fruſtra placare populum tentant. Deus apparet, minatur mortem populo rebelli, jubet reverti in deſertum et in eo per quadraginta annos oberrare. Cum contra voluntatem Dei Cananitas aggrediuntur, ab his repelluntur.

1. Tum

e) Hæc ſupplenda eſſe contextus narrationis docet, coll. Devt. 1, 26. ſeqq.

f) hebr. *terra comedit incolas ſuos.*

1. Tum universus coetus sublata voce et populus quoque tota nocte ploravit. 2. Omnes Israelitæ murmurarunt contra Mosen et Aaronem, et universus cœtus eis dixit: utinam in Aegypto essemus mortui, aut in hac solitudine! 3. Quare vero Jova nos duxit ad hanc terram ut gladio pereamus, mulieres et parvuli nostri in prædam abducantur? Nonne præstat reverti in Aegyptum? 4. Immo jam agebant inter se de duce eligendo et de reditu in Aegyptum. 5. Hic Moses et Aaron coram universo Israelitarum cœtu supplices in faciem procidere. 6. Josua vero filius Nunis et Calebus filius Jephunnæ, qui erant de terræ exploratoribus, vestes suas dilacerare, 7. atque universo Israelitarum cœtui dicere: terra quam explorandi causa peragravimus, perquam bona est. 8. Si Deus nobis favet, ducet nos in hanc terram eamque nobis possidendam dabit, siquidem terra est rebus optimis et præstantissimis abundans. 9. Modo ne rebelletis contra Jovam, nec timeatis vobis ab illius terræ incolis, ad instar panis eos consumemus. Præsidium eorum ab eis discessit. Jova vero nobiscum est, nolite metuere. 10. Ad hæc totus cœtus eos lapidare minatus est. Tum vero Jovæ majestas in tabernaculo conventus conspiciebatur ab omnibus Israelitis: 11. atque Mosi dixit: Quousque me contemnet populus iste? quo-

usque

usque mihi non credent, post tot miracula, quæ inter eos patravi? 12. Peste eos perdam et delebo, et ex te gentem oriri faciam istis longe majorem et potentiorem. 13. Ad hæc Moses Jovæ respondit: Id vero audient Aegyptii, e quibus tu hunc populum virtute tua eduxisti, 14. atque dicent hujus terræ incolis, qui et ipsi audierunt te, Jovam, apud hunc populum versari, te ei conspiciendum præbere, nubem tuam ei incumbere, te in nube interdiu atque in igne noctu eum præcedere, 15. dicent, inquam, istæ gentes, quæ de fama tua audierunt, quando hunc populum ad unum omnes delevisti: 16. Non poterat Jova hunc populum in terram quam ei jurejurando promiserat, perducere, propterea mactavit eum in deserto. 17. Quare ostende jam virtutem illam tuam quam prædicabas de te his verbis: *a)* 18. Jova longanimis est et insigni benevolentia, condonans culpam et peccatum, non prorsus perdit, punit patrum iniquitatem in liberis tertia et quarta generatione. 19. Ignosce, quæso, culpæ hujus populi pro magna tua benignitate, quemadmodum ei inde ab Aegypto huc usque ignovisti. 20. Ignosco, inquit Jova, prouti precatus es. 21. Sed per vitam meam juro, majestatem meam in tota hac terra irrmani-

a) Respicit descriptionem, quam Deus de se ipse dederat Exod. 34, 6.

manifestatum. 22. Nullus enim istorum hominum, qui potentiæ meæ signa in Aegypto et deserto viderunt, meque jam decies tentarunt, nec mihi morem gerunt, 23. videbit terram quam majoribus eorum jurejurando promisi. Nemo eorum qui me spreverunt eam videbit. 24. Verum Calebus mihi deditus, alio in me animo affectus, constanti erga me obedientia, hunc perducam in terram in qua fuit, ejusque posteri eam possidebunt. 25. Amalekitæ et Cananitæ vallem istam tenent, cras convertite vos et proficiscimini in solitudinem versus mare rubrum. — 26. Porro Jova cum Mose et Aarone hunc in modum locutus est: 27. Quousque condonabo cœtui isti improbo, perpetuo murmuranti? Audivi fremitus istos Israelitarum. 28. Dic eis nomine meo: per vitam meam juro, ni vobis fecero quemadmodum me audiente dixistis. 29. In hoc deserto moriemini, nimirum omnes recensiti, qui vigesimum annum excesserunt, qui contra me murmurastis. 30. Non venietis in terram quam vobis habitandam jurejurando promiseram, præter Calebum Jephunnæ et Josuam Nunis filium. 31. At parvulos vestros, quos prædæ futuros esse dixistis, hos eo ducam, hi terræ a vobis repudiatæ bonis fruentur. 32. Moriemini in hac solitudine. 33. Filii vero vestri in ea oberrabunt quadraginta annos et defectionis vestræ poe-

 nam

nam luent, donec vos omnes eritis consumti in deserto, 34. pro numero dierum, quibus hanc terram explorastis, nempe quadraginta, dies pro anno æstimabitur, luetis culpam vestram per quadraginta annos. Sic iram meam experiemini. 35. Ego Jova hæc minitor et profecto ita faciam universo huic cœtui improbo adversus me conspiranti. Confecti in hac solitudine morientur. — 36. Viri autem isti a Mose ad explorandam terram missi, qui reversi universum cœtum in seditionem concitaverant, diffamando terram, 37. subita morte perierunt in loco sacro *b*). 38. Josua tantum filius Nunis et Calebus filius Jephunnæ ex illis terræ exploratoribus superstites manserunt. — 39. Postquam Moses hæc omnia ad Israelitas retulisset, omnes vehementer luxerunt. 40. Mane ut surrexerunt, montem voluerunt ascendere, atque *Mosi* indicarunt, sese jam paratos esse aggredi illum locum, de quo Jova dixisset, fateri se culpam admissam. 41. Moses quidem eos hortatus est, ne recusarent Jovæ obtemperare, infelicem successum rem esse habituram. 42. Ne igitur ascenderent, Jova eos non adjuvante, ne ab hostibus cæderentur. 43. Illic enim eos in Amalekitas et Cananitas esse incursuros et gladio casuros:

b) hebr. לִפְנֵי יְהוָה *coram Jova* h. e. cum adhuc starent ante tabernaculum. cf. vers. 10.

-furos: nam quoniam Jovæ morem non gessissent, eum ipsis non adfuturum. 44. Illi vero pertinaciter contenderunt montem escendere. Arca tamen fœderis et Moses e castris non discesserunt. 45. Amalekitæ igitur et Cananitæ montes illos incolentes eos cæciderunt et profligarunt usque ad Chormam.

CAPUT XV

De fertis et libaminibus Deo cum victima offerendis. De primitiis farinæ. De peccatorum per errorem admissorum expiatione. De supplicio ejus qui sabbatum violavit, et vestium fimbriis.

1. Has quoque leges Jova Mosen jussit 2. Israelitis promulgare: quando perveneritis in terram a) quam vobis habitandam daturus sum, 3. et sacra mihi facere velitis, holocausto aut alio sacrificio, sive ex voto, sive voluntarie, sive diebus festis ad me placandum b), sive sit ex armento, sive ex pecore: 4. is qui munus offert, fertum simul præbeat similæ decimam partem mistam cum quarta hinis olei, 5. item vinum ad libandum, quartam hinis

a) Igitur in deserto hæ leges non debebant observari, nec poterant propter similæ et vini inopiam.

b) hebr. *ad faciendum odorem placaminis Jovæ*. cf. quæ ad explicationem hujus formulæ dicta sunt ad Genes. 8, 21.

hinis partem, five holocauftum fit, five aliud facrificium quod agno conftat. 6. Si ariete facit, fertum fit duarum decimarum fimilæ miftæ cum tertia parte hinis olei, 7. et ad libationem etiam tertiam hinis partem vini. 8. Si juvencum aut holocaufto aut alio facrificio facitis, five ex voto nuncupato, five pro facrificio euchariftico: 9. fertum cum juvenco offerendum fit trium decimarum fimilæ miftæ cum dimidio hinis olei; 10. libatio vero fit dimidium hinis vini. 11. Sic fieri debet in fingulis bobus, arietibus, agnis aut hœdis. 12. Pro numero hoftiarum facietis etiam ferta. 13. Sic indigena facrificium faciat ad me placandum. 14. Sic quoque peregrinus qui inter vos commorabitur, aut quicunque inter pofteros veftros deget, fi me facrificio placare voluerit, idem quod vos facietis, faciat. 15. Vos omnes unum idemque inftitutum habeatis cum peregrino, idque in perpetuum apud vos fervetur. Sicuti vos, ita et peregrinus facra mihi faciat. 16. Una lex idemque jus fit vobis et peregrino, qui inter vos commoratur. — 17. Porro Jova Mofi dixit: 18. Hæc quoque Ifraelitis præcipito: quando perveneritis in terram, in quam vos duco, 19. et pane ejus *primum c)* vefcemini, munus mihi feponetis, 20: nimirum placentam ex pri-

c) Hoc fupplendum effe ex fequenti verfu apparet.

primitiis farinæ veſtræ ſubactæ. Sicuti manus ex area ſeponitis, ita etiam cum hoc fieri debet. 21. Has igitur primitias farinæ ſubactæ ſemper mihi poſteri veſtri ſeponant — 22. Quodſi per imprudentiam non fueritis exſecuti hæc præcepta omnia, quæ vobis dedi per Moſen, 23. inde a primo die quo leges vobis dare inſtitui, et deinceps: 24. Si inſcio univerſo cœtu per errorem aliquid commiſſum fuerit, faciat univerſus cœtus juvenco holocauſtum ad me placandum, cum ferto et libamine ex ritibus præſcriptis et hœdo caprino victimam piacularem. 25. Sic expiet ſacerdos univerſum Iſraelitarum cœtum et condonabitur ei, quoniam imprudentia fuit, illi vero ſolidum ſacrificium et piaculare propterea Jovæ obtulerunt. 26. Neque ſolum Iſraelitis, ſed etiam peregrinis inter eos degentibus condonabitur, cum univerſus populus in errore fuerit. — 27. Quodſi unus aliquis per imprudentiam peccarit, offerat capram anniculam ſacrificio piaculari, 28. et ſacerdos eum expiet in loco ſacro propter peccatum per errorem commiſſum, et condonabitur ei. 29. Indigenæ Iſraelitæ et peregrino apud vos degenti eadem lex eſto, ſi per errorem culpa eſt contracta. 30. Qui vero ſciens volensque malum fecerit, ſive indigena ſit, ſive peregrinus, is Jovam deſpicatus eſt, atque ex ſuorum numero exſcindatur; 31. Quoniam

legem Jovæ ſprevit ejusque præcepta violavit, tollatur e medio, luat culpam ſuam. — 32. Cum Iſraelitæ in deſerto eſſent, deprehenſus eſt quidam qui ſabbato ligna colligebat. 33. Deductus eſt ab iis, qui eum deprehenderant, ad Moſen, Aaronem et univerſum conventum, 34. qui eum in cuſtodiam dederunt, quia lege nondum erat definitum, quid ei faciendum ſit. 35. Juſſit Jova Moſi, ut ſupplicio afficeretur, ut lapidaretur ab univerſo cœtu extra caſtra. 36. Igitur eduxerunt hominem e caſtris atque eum lapidibus obruerunt, quemadmodum Jova Moſi præceperat. 37. Tum Jova Moſen juſſit 38. Iſraelitis edicere, ut ſibi facerent in poſterum fimbrias in veſtium ſuarum limbis, quibus fila hyacinthina adderent. 39. Quæ fimbriæ eis in mentem revocent omnia mea præcepta, ut ea obſervent, neque amplius vagentur ad animorum oculorumque ſuorum deſideria, quibus ſolent indulgere. 40. Sic recordentur præceptorum meorum, eis pareant et mihi ſacri ſint. 41. Ego ſum Jova Deus eorum, qui eos ex Aegypto eduxit, ut me tanquam Deum colerent. Ego ſum Jova eorum Deus.

CAPUT

CAPUT XVI

Seditionem excitant contra Mosen et Aaronem Korachus Datan et Abiramus propter sacerdotii honores hujus familiae collatos: Puniuntur a Deo.

1. Rebellarunt a) quoque Korachus filius Jizhari, Keha-

a) Lectio textus recepta וַיִּקַּח *et accepit* non commodam admittit explicationem. Judaei quidem interpretes, quos plerique ex Christianis sequuntur, vertunt *vel, tulit se ipsum*, sc. ut surgeret contra Mosen; At ויקח centies obvium nunquam in prima conjugatione habet significationem reciprocam, ut taceam modum loquendi prorsus inusitatum: *Vel, sumsit* sc. secum alios, nimirum illos centum et quinquaginta viros, de quibus in sequenti versu. At hunc sensum constructioni verborum nullo modo respondere, quisque qui textum inspicit, facile intelliget. — Propterea non dubito quin ויקח hoc loco sit derivandum non a לקח sed a קחח atque aliis punctis subjectis legendum וַיֵּקַח. Quod קחח in lingua Syriaca est *murmuravit, rixatus est*, vid. *Castellus* in Lex. Hept. Interpretes antiqui quid senserint non liquet, num aliud verbum quam לקח et fortasse illud ipsum קחח substituerint, an ex contextu tantum verterint, cum viderent vulgarem ejus significationem *et accepit* parum aptam esse. Syrus quidem et Onkelos habent: אִתְפְּלַג *divisionem s. separationem fecit*, cum quibus Arabs Erpenii consentit qui habet أختلّف *dissensit*.

Kehathita e tribu Levi, et Datan et Abiram, Eliabi filii et On filius Pelegi e tribu Ruben. 2. Adierunt Mosen una cum ducentis et quinquaginta Israelitis, qui omnes principes erant conventus, viri honoribus et dignitate clari. 3. Hi congregati contra Mosen et Aaronem sic eis dixerunt: nimium vobis arrogatis, universus cœtus sanctus est et Jova in eo versatur, quid igitur vos effertis supra Jovæ civitatem? 4. Quæ cum Moses audiret, in faciem concidit, *b*) 5. dixitque Koracho et sociis ejus: cras Deus indicabit, qui ejus sit et qui sanctus sit et qui ad eum accedere debeat. Quem enim electurus est, hunc ad se evocabit. 6. Hoc igitur facite, sumite thu-

Sed Arabs in Polygl. تقدم *accessit*, *οἱ ὁ, καὶ ἐλάλησε* Κορὲ, et Vulgatus: *Ecce autem Kore* etc. — Cæterum hanc horum hominum in Mosen conspirationem admodum fuisse periculosam facile intelligitur ex versu secundo, in quo narratur ducentos et quinquaginta illos viros non fuisse homines de plebe, sed principes populi קְרִאֵי מוֹעֵד legatos et deputatos populi, de quibus cf. dicta ad Levit. 8, 3. et Num. 1, 16. Quorum igitur seditio nisi vi esset repressa, verendum erat, ne universum populum ad suas partes traherent. Propterea Deus quoque legati sui auctoritatem præsentissimo miraculo probavit.

b) Fortasse ad placandos eos, uti in alia seditione fecerat. Cap. 14, 5.

thuribula, tu Korache tuique focii. 7. Igni eis impofito injicite fuffitum, cras coram Jova, et quem elegerit, ille fanctus fit. Nimium vobis arrogatis, Levitæ. 8. Præterea Mofes Koracho dixit: audite quod dicam, Levitæ! 9. Num parum vobis videtur, quod Deus Ifraelitarum vos fejunxerit ab univerfo Ifraelitarum cœtu, ut ad minifterium tabernaculi obeundum ad eum accedere poffitis, et vice ipfius populi fervire? 10. Te et contribules tuos omnes, Levitas admifit, et jam quoque facerdotium affectatis. 11. Igitur tu et focii tui contra Jovam confpiraftis. Nam quis eft Aaron ut contra eum murmuretis? 12. Mifit quoque Mofes arceffitum Datanem et Abiramum filios Eliabi, fed illi negarunt fe venturos effe. 13. Num parum eft, *inquiebant*, quod nos e terra lacte et melle abundante eduxifti in hac folitudine necandos, nifi quoque imperium in nos exerceas? 14. Profecto in terram lacte et melle feracem nos non duxifti, nec in agrorum aut vinearum poffeffionem immififti: num homines cœcos effe exiftimas? c) Non veniemus. 15. Ad hæc Mofes gravi ira commotus Jovæ dixit: ne *benigne* refpicias ad eorum oblationem. Nulli eorum afinum abftuli, nec quenquam injuria affeci. 16. Korachum vero juffit

c) hebr. *num effodies oculos horum hominum.*

juffit poftridie cum fociis fuis coram Jova comparere, Aaronem quoque adfuturum. 17. Sumerent quisque thuribulum fuum et injecto fuffimento accederent ad Jovam: ducentis nimirum et quinquaginta thuribulis. Ita ipfe æque ac Aaron, quisque cum thuribulo fuo adeffet — 18. Igitur quisque cum thuribulo fuo, igne et fuffimento injecto fiftebant fefe ad introitum tabernaculi; Mofes et Aaron quoque aderant. 19. Korachus vero convocavit univerfum cœtum ad tabernaculum. Tum majeftas Jovæ comparuit toti cœtui. 20. Et Jova Mofi et Aaroni dixit: 21. Separate vos ab his hominibus, derepente eos conficiam. 22. Tum illi in facies fuas prociderunt et dixerunt: o Deus, qui omnibus vitam dedifti, unus *d*) peccavit, et tu omnibus irafceris? 23. Refpondit Jova Mofi: 24. Jube ut omnes undique a tabernaculis Korachi Datanis et Abirami difcedant. 25. Adiit igitur Mofes Datanem et Abiramum comitantibus eum Ifraelitarum proceribus. 26. Atque omnem multitudinem fic eft allocutus: recedite a tentoriis hominum iftorum improborum, nec tangite quicquam eorum, ne eodem quo illi judicio auferamini. 27. Igitur omnes undique a tentoriis Korachi Datanis et Abirami difcefferunt. Datan vero et Abiramus egreffi ftete-runt

d) proverbialiter, unus pro paucis.

runt ante tabernacula sua una cum mulieribus suis et liberis. 28. Tum Moses infit: ex eo intelligetis, Jovam me misisse ut omnia sic ordinarem, neque me proprio consilio egisse. e) 29. Si morientur isti uti alii homines, aut si vulgari poena afficientur, Jova me non misit. 30. Sed si Jova insoliti quid fecerit ut terra dehiscens eos una cum omnibus quæ habent deglutiat, et vivi ad inferos descendant, cognoscetis homines istos Jovam contemsisse. 31. Quæ cum Moses dixisset, fissa est terra subter illis, 32. et hiatu aperta devoravit eos una cum tentoriis eorum et omni familia et facultatibus Korachi f). 33. Sic descenderunt isti cum suis omnibus vivi ad inferos, terra eos operuit e medio cœtu sublatos. 34. Tunc Israelitæ, qui circa illos erant, fugerunt ad illorum clamores, veriti ne et ipsos terra deglutiret. 35. Ignis vero qui a Jova erupit, absumsit ducentos et quinquaginta illos viros, qui suffitum obtulerant.

CAPUT

e) hebr. *ad faciendum omnia hæc facta et non ex corde meo.* Quæ non intelligo de omnibus facinoribus et miraculis a Mose inde a quo curam populi susceperat patratis, sed tantum de iis, super quibus contendebatur: nimirum de privilegio Aaronis, de sacerdotio et de Levitarum institutis.

f) Intelliguntur servi, nam filii Korachi criminis patris sui non se reos fecerant, hinc etiam non cum eo perierunt, quod diserte Moses addit infra Cap. 26, 11. et sæpe filiorum Korachi in Psalmis et alibi mentio fit.

CAPUT XVII

Novae populi querelae clade repentina puniuntur 1—16. Virga Aaronis viret in confirmationem sacerdotii ei collati 16—28.

1. Quo facto Jova jussit Mosen 2. praecipere Eleasari filio Aaronis sacerdotis, ut tolleret ista thuribula e medio combustorum et ignem disjiceret, quoniam consecrata essent. 3. Thuribula nempe istorum, qui sibi ipsi perniciem attulissent, et ut in laminas diducerentur, quibus arca operiatur: consecrata ea esse, quod Jovae fuissent oblata, Israelitis vero essent in signum. 4. Igitur Eleasar sacerdos sumsit thuribula ista aenea, quae combusti illi obtulerant, iisque in laminas diductis aram contexit, 5. ut Israelitae admonerentur, ne quis peregrinus, qui non esset de familia Aaronis accederet ad suffiendum coram Jova, ne idem ei eveniret, quod Koracho et sociis ejus, quemadmodum Jova Mosi praeceperat. — 6. Postridie totus Israelitarum coetus murmuravit contra Mosen et Aaronem, eosque accusarunt, quod populum Jovae occidissent. 7. Sed cum jam contra eos coirent et versus tabernaculum conventus tenderent, nubes illud contexit et Jova apparuit. 8. Ad haec Moses et Aaron accesserunt ad tabernaculum. 9. Tum Jova Mosi dixit: 10. Separate vos ab istis hominibus, eos derepente conficiam.

ficiam. Illi vero in facies ſuas procíderunt, 11. et Moſes Aaroni dixit: Sume thuribulum, ignem immitte de altari, ſuffitum injice et abi ſine mora ad cœtum, ut eum expies. Nam ira Jovæ jam erupit, incepit jam clades. 12. Aaron, uti Moſes juſſerat, currit cum thuribulo ad populum, in quo clades jam inceperat, et injecto ſuffitu eum expiat, 13. ſtans inter mortuos et vivos. Cohibita eſt clades, 14. in qua perierunt quatuordecim millia et ſeptingenti, præter eos, qui in cauſa Korachi mortui erant. 15. Cum clades ceſſaſſet, rediit Aaron ad Moſen ad introitum tabernaculi. — 16. Deinde Jova cum Moſe his verbis eſt locutus: 17. jube ut tibi principes ſingularum tribuum Iſraeliticarum tradant ſingulas virgas, numero igitur duodecim. Quibus ſingulis nomen cujusque tribus inſcribe. 18. Nomen Aaronis autem inſcribe virgæ tribus Levi. Nam ſingulis familiarum capitibus ſint ſingulæ virgæ. 19. Has depone in tabernaculo conventus, ante arcam legis, ubi reſponſa tibi *a*) dare ſoleo. 20. Quem igitur elegero, hujus virga florebit: hac ratione fremitus iſtos Iſraelitarum adverſus

a) In textu recepto legitur לָכֶם *vobis.* Sed Codex Samarit. οἱ ό, Vulgatus et Arabs habent לְךָ. Quod melius videtur, nam cum Moſe loquebatur Deus ex illo loco.

versus vos sedabo. 21. Quæ cum Moses ad Israelitas retulisset, tradiderunt ei singuli familiarum suarum principes singulas virgas, hoc est duodecim, inter quas etiam fuit virga Aaronis, 22. et Moses deposuit eas coram Jova in tabernaculo. 23. Postridie cum tabernaculum ingrederetur, vidit virgam Aaronis tribus Leviticæ florere: gemmas protruserat, flores emiserat, et amygdala maturaverat. 24. Tum Moses omnes virgas e loco sacro ad Israelitas extulit. Quibus visis quisque virgam suam accepit. 25. Sed Jova Mosen jussit reponere virgam Aaronis ante arcam legis in perpetuam hujus miraculi memoriam apud homines istos rebelles, ut supprimerentur tandem seditiosi eorum adversus eum clamores, neque perirent. 26. Quæ omnia Moses diligenter, quemadmodum Jova jusserat, curavit. — 27. Tum Israelitæ apud Mosen conquesti sunt: en exspiramus, perimus, interimus omnes, 28. quicunque audet accedere ad sanctuarium. Num omnibus erit moriendum? *b*)

CAPUT

b) Incertum mihi videtur, utrum hæc a populo dicta sint animo malo et indignante ob illas pœnas divinas peccatoribus illatas, an perterrito et timido ne forte ira Dei sævire pergeret. Quoniam non narratur, quid Moses populo responderit. In illa verborum ambiguitate, nam utramque explicationem admittunt, nolo eorum sensum definire.

CAPUT XVIII

Officia et jura sacerdotum et Levitarum denuo describuntur et familiae Aaronis et Levitis assignantur.

1. Tunc Jova cum Aarone hunc in modum est locutus: Tu, filii tui et domus tua patria pœnam feretis, si quid in sanctuario aut sacerdotio peccatum fuerit. 2. Contribules tuos, Levitas, eodem tecum patre prognatos adhibe, qui te in ministerio adjuvent. Tu quidem et filii tui *eritis* in anteriori parte tabernaculi. 3. Illi vero curabunt quæcunque eis per totum tabernaculum curanda committes, tantum ne ad vasa sacra, aut ad altare accedant, (quod cum illis, tum vobis mortem contraheret), 4. Modo administri vestri sint in omnibus, quæ spectant cultum tabernaculi, nec peregrinus ad vos accedat. 5. Vos tantum curam sanctuarii et altaris geretis, neque deinceps ira mea in Israelitas exardescet. 6. Ipse ego assumo fratres tuos Levitas ex Israelitis, mihi addictos vobis dono ad cultum tabernaculi curandum. 7. Tu vero et filii tui sacerdotio fungemini in omni eo quod pertinet ad aram, et quæ intra siparium sunt peragenda. Munus sacerdotii vobis assigno, peregrinus qui accesserit, morietur. — 8. Porro Jova Aaroni dixit:

Dono

Dono tibi oblationes mihi servatas, omnia quæ Israelitæ mihi consecrant, in tuam et filiorum tuorum portionem ex lege perpetua. 9. Sanctissima tibi sint quæ ex sacrificiis accipis: quidquid afferunt, sive fertum sit, sive sacrificium piaculare, sive pro delicto, quidquid de hoc genere est, sacrosanctum sit tibi et filiis tuis. 10. In loco sanctissimo ea comedetis, et quidem mares tantum. Sanctum tibi videatur. 11. Omnia præterea dona Israelitarum, quæ mihi consecrant, tibi dono, nec non filiis et filiabus tuis ex æterna lege; quilibet domesticorum tuorum, modo mundi sint, ea comedat. 12. Oleum, mustum, frumentum optimum, quæ mihi tanquam primitias afferunt, tibi dono. 13. Omnes primores terræ fruges mihi oblatæ, tuæ sunt. Vescantur iis domestici tui, dummodo mundi sint. 14. Omne devotum Israelitarum tuum esto, 15. nec non omnia primogenita hominum et animalium, quæ mihi debentur: modo hominum et animalium immundorum primogenita redimenda cures. 16. Redemtionem autem hominis unius mensis æstimes quinque siclis sacris, quorum unus est viginti gerarum. 17. In primogenito autem bovis, ovis, aut capræ, redemtionem noli accipere. Sancta hæc sunt. Sanguinem eorum sparges super altari, adipem vero adolebis, cujus sacrificii odore delector. 18. Caro au-

tem

tem tua erit æque *a*) ac pectus porrectum et armus dexter. 19. Omnia donaria ſancta quæ Iſraelitae mihi offerunt tibi aſſigno, filiis et filiabus tuis ex æterna lege. Salarium hoc ſit ſacrum *b*) et perpetuum a me tibi et poſteris tuis ſtatutum. — 20. Præterea Jova Aaroni dixit: Tu in terra Iſraelitarum non poſſeſſionem nec fundum habebis: quæ mihi debentur, *c*) pars et portio tua ſint inter Iſraelitas. 21. Levitis autem aſſigno decimas Iſraelitarum pro miniſterio, quo in tabernaculo conventus funguntur. 22. Neque enim amplius Iſraelitæ appropinquare debent ad tabernaculum, ne mortis rei fiant.

a) cf. Levit. 7, 29. ſeqq.

b) Verba textus בְּרִית מֶלַח עוֹלָם *fœdus ſalis æternum*, difficilia ſunt, ſi ex lectione recepta debent explicari. Cur enim *fœderis* mentio fit in loco, ubi de reditibus ſacerdoti debitis ſermo eſt? Cur hi vocantur *fœdus ſalis*? Ad durationem eorum indicandam? At hæc præcipitur quoque in ſequenti עולם. Quæ et ſimiles difficultates tolluntur, ſi Ill. *Michaelis* conjectura admittatur, qui aliis punctis ſubjectis legendum cenſet (in Commentt. Societat. Gœtting. prælectis P. I. p. 162.) בְּרִית *ſal purum* ſ. *ſacrum*. *Sal* vero pro *ſalario* dici non ſolum ex linguis occidentalibus notum eſt, ſed etiam in orientali uſurpatum fuiſſe plane apparet ex Eſr. 4, 14. cf. Levit. 2, 13.

c) hebr. *ego ſum pars et portio tua inter Iſraelitas.*

ſiant. 23. Sed Levitæ cultum tabernaculi procu
rent; hi quoque pœnam ferant, in quo peccant
Perpetuum hoc ſit inſtitutum apud poſteros veſtros
Nullas habebunt inter Iſraelitas poſſeſſiones, 24. quo
propterea a me ſtatuitur, quoniam eis omnes deci
mas mihi oblatas aſſigno. — 25. Cum Moſe au
tem Jova hæc locutus eſt: 26. Levitis hæc edic
to: Si ab Iſraelitis decimas, quas vobis poſſeſſic
num loco donavi, accipitis: ſeparetis ex iis mih
donarium, decimas de decimis. 27. In quo eader
ratione agetis, qua ſit cum frumento ex area, au
cum vino ex torculari. 28. Sic vos quoque mih
donarium ſeparare debetis ex decimis omnibus
quas ab Iſraelitis accipitis, quod meum donariur
Aaroni ſacerdoti dare debetis. 29. Ex omnibu
muneribus partem mihi ſacram eamque optimar
mihi ſeponetis. 30. Quod, ſi feceritis, (hoc ei
promitte) eodem loco vobis ſint *reliqua*, quo pro
ventus ex area aut torculari. 31. Edere ea pote
ſtis quocunque in loco cum familiis veſtris. Hæ
enim eſt merces veſtra pro miniſterio in taberna
culo conventus. 32. Nec culpam in eo contrahe
tis, ſi modo partem optimam ſeparaſtis, nec conſe
crata ab Iſraelitis profanabitis, neque moriemini.

CAPU

CAPUT XIX

De aqua lustrali ex cinere juvencæ rufæ conficienda et ejus usu in iis, qui immunditiem contraxerant.

1. Item Jova Mosi et Aaroni 2. hanc legem promulgavit: Jube ut Israelitæ ad te adducant juvencam rubram, vitii expertem, in qua macula non sit, et quæ jugum non subierit. 3. Hanc tradite Eleasari sacerdoti, qui eam extra castra educat et ipso spectante mactetur. *a*) 4. Tunc intingat digitum suum in sanguinem, et spargat eo septies versus tabernaculum conventus. 5. Deinde comburatur juvenca præsente *sacerdote* cum pelle, carne, sanguine et excrementis: 6. Cui flammæ sacerdos lignum cedrinum, hyssopum et lanam coccineam injiciat. 7. Quibus confectis lavet vestimenta et corpus suum, et redeat in castra, sed immundus sit usque ad vesperam. 8. Is quoque, qui juvencam combusserit, corpus et vestes aqua abluat, et immundus

a) שָׁחַט h. l. ut sequens שָׂרַף impersonaliter est explicandum. Nam non ipse sacerdos juvencam debebat mactare, quod patet ex addito לְפָנָיו. *Clericus* Kal pro Hiphil dictum putat: *cures mactandam*, quod idem est, quoad sensum.

dus ſit usque ad veſperam. 9. Tunc mundus aliquis colligat cinerem juvencæ, et extra caſtra in loco puro deponat, ubi ſervetur ad conficiendam pro Iſraelitis aquam luſtralem. Sacrificium eſt piaculare. 10. Item, qui hujus juvencæ cinerem collegit, lavet veſtimenta ſua, et immundus habeatur usque ad veſperam. — Hoc igitur perpetuum ſit inſtitutum inter Iſraelitas et peregrinos, qui apud eos commorantur: 11. Qui cadaver humanum attigerit, impurus eſt in ſeptem dies. 12. Is tertio et ſeptimo die ſe *hac aqua* expiet, et purus ſit. Quodſi his diebus non fuerit expiatus, manet impurus. 13. Qui cadaver hominis mortui tetigerit, neque fuerit expiatus, is Jovæ tabernaculum polluit: Hujusmodi autem homo tollatur ex Iſraelitis. Quamdiu aqua luſtrali non eſt conſperſus, impurus eſt, adhæret ei immundities ſua. 14. De homine qui in tentorio mortuus fuerit, hæc lege præcipiuntur: quisquis tentorium ingreditur, et quæcunque in eo ſunt, in ſeptem dies inquinantur, 15. ut et omnia vaſa aperta, quibus operculum non eſt impoſitum. 16. Item quisquis rure occiſum, aut mortuum, aut oſſa humana, aut ſepulcrum tetigerit, in ſeptem dies polluitur. 17. *In harum rerum expiationem* ſumatur de cinere ſacrificii illius piacularis combuſti, et miſceatur cum aqua viva in vaſe.

18.

18. Tum purus aliquis sumat hyssopum, quem huic aquæ immergat, atque ea conspergat tentorium, vasa et homines omnes, qui illic fuerint, aut eum qui ossa, aut occisum, aut mortuum, aut sepulcrum tetigerit. 19. Quod fieri debet tertio et septimo die quo expiatur, et si aqua vestimenta et corpus abluerit, circa vesperam mundus est. 20. Immundus qui non vult expiari, is e medio cœtu exscindatur. Nam Jovæ sanctuarium polluit, aqua lustrali non conspersus manet impurus. 21. Hoc perpetuum sit inter Israelitas institutum. Is quoque qui aquam lustralem sparserit, lavet vestimenta sua; item qui eam tetigerit, ad vesperam usque immundus est. 22. Quæcunque tetigerit impurus, impura redduntur, et qui eum tangunt, usque ad vesperam inquinantur.

CAPUT XX

Maria moritur. Israelitæ denuo conqueruntur ob aquæ penuriam. Jubetur Moses rupem alloqui, ut aquam emittat. Sed percutit eam. Ob quam diffidentiam Deus Mosen et Aaronem punit, dum neutrum in terram promissam perventurum minatur. Edomitæ Israelitis transitum per terram suam denegant. Propterea hi converso itinere veniunt ad montem Horum; in quo Aaron moritur, cui in munere succedit Eleasar filius.

1. Mense primo *a*) totum Israelitarum agmen venit

a) Anni nempe quadragesimi post exitum Israelitarum ex Aegy-

nit in desertum Sin, et Cadeschi ad tempus commorati sunt. Ibi mortua et sepulta est Maria. 2. Cum aquæ esset penuria, coeunt omnes contra Mosen et Aaronem. 3. Atque cùm illo sic rixantur: utinam mortui essemus, cum fratres nostri a Jova occiderentur. 4. Cur duxistis Jovæ cœtum in hanc solitudinem, ubi nos et jumenta nostra perimus? 5. Cur nos ex Aegypto perduxistis in loca hæc tristia? in quibus non sunt agri culti, non ficus, non vites, non malogranata, ne aqua quidem quam bibamus. 6. Tum Moses et Aaron a cœtu venerunt ad introitum tabernaculi. Ibi cum se in faciem abjecissent, apparuit Jova, 7. et cum Mose hunc in modum est locutus: 8. Prehende baculum, et convocato cœtu tu et Aaron frater tuus alloquimini petram illis audientibus, ut aquam emittat. Sic aquam eis elicies e petra, et potum præbebis omnibus, ut et eorum pecori. — 9. Moses igitur sumsit baculum *b*) e loco sacro, quemadmodum

Aegypto, cf. Cap. 33, 37. 38. Omnem igitur historiam septem et triginta annorum itineris et commorationis in deserto Moses silentio præteriit, quod eam a consilio suo alienam judicavit.

b) *Grotius*, *Clericus* et alii baculum Aaronis intelligunt, qui una nocte floruerat et amygdala emiserat, quoniam h. l.

modum Jova jusserat, 10. et convocato a se et Aarone cœtui e regione petræ dixit: audite rebelles, num aquam ex petra vobis eliciemus? 11. Simul sublata manu percussit petram bis baculo suo, et magna aquæ copia emanavit, ut populus et pecus haberent quod biberent. 12. Tum Jova Mosi et Aaroni dixit: quoniam mihi non credidistis c), ut honorem mihi coram Israelitis exhiberetis, non introducetis populum in terram ei destinatam. 13. Hæ sunt aquæ contentionis, ubi Israelitæ cum Jova contendebant, hic vero verendum se eis exhibuit. — 14. Deinde misit Moses legatos Cadeschо ad Edomitarum regem *cum his mandatis:* Sic dicunt Israelitæ cognati vestri: nostis multas et varias

h. l. narratur, Mosen sumsisse baculum *e loco sacro*, in quo ille fuerat depositus. cf. Cap. 17, 25. Ego vero intelligo baculum Mosis, quo miracula illa in Aegypto patraverat, quoniam vers. 8. simpliciter jubetur sumere baculum et vers. 11. narratur eum *suo baculo* rupem percussisse. Ex illis vero verbis colligo eum æque ac virgam Aaronis virentem in loco sacro, attamen non in arca legis, uti hæc, fuisse depositum.

c) Peccavit Moses primo dum populum per interrogationem allocutus est, quæ fere dubitantis erat, deinde dum rupem bis percussit, quod omnino non jussus erat. cf. vers. 8.

rias difficultates, in quas incidimus. 15. Majores nostri migraverant in Aegyptum ibique diu habitarunt. Sed cum Aegyptii nos et majores nostros valde affligerent, 16. Jovam invocavimus; qui audito clamore nostro misit legatum, qui nos ex Aegypto educeret. Jam sumus ad Cadeschum, extremum finium vestrorum oppidum. 17. Liceat nobis transire per terram vestram. Non per agros aut vineas ibimus, neque aquam ex puteis bibemus, via regia incedemus, neque ad dextram neque ad sinistram deflectentes, donec terminos vestros transiverimus. 18. Sed Edomitæ denegarunt Israelitis transitum, alioquin armata manu eis obviam ituros. 19. Et cum denuo Israelitæ promitterent, se velle via trita incedere, et si aquam eorum vel ipsi, vel pecora biberent, pretium esse soluturos, nulla re se *molestos futuros*, pedibus tantum transituros; 20. tamen constanter denegarunt Edomitæ transitum et cum magno exercitu et armata manu in occursum exierunt. 21. Quod cum Israelitæ viderent, ab iis deflexerunt, 22. atque a Cadescho profecti venerunt ad montem Horum, 23. qui et ipse est in finibus Edomitarum. Ibi Jova Mosi et Aaroni indicavit, 24. huic moriendum esse, eum non perventurum esse in terram quam Israelitis daturus sit, quoniam ipsi morem non gessissent ad aquas Meribæ;

25.

25. afcenderet igitur cum Aarone et Eleafare ejus filio montem Horum, 26. ibique exueret Aaronem veftimentis fuis, quibus amiciret ejus filium Eleafarem, illum vero ibi diem fuum obiturum. 27. Mofes fecit quod Jova jufferat. Afcendit Horum montem videntibus omnibus. 28. Ibi exuit Aaronem veftibus fuis, iisque amicivit Eleafarem ejus filium, et tunc mortuus eft Aaron in vertice montis. Cum vero Mofes cum Eleafare iterum defcendiffet de monte, 29. et populus videret, Aaronem mortuum effe, omnes eum per triginta dies deplorarunt.

CAPUT XXI

Ifraelitæ regem Aradenfem vincunt terramque ejus devotioni addicunt. Propter impatientiam ex itineris longinquitate Deus punit eos immiffis ferpentibus, a quorum morfu afpectu ferpentis ænei fanantur. Sichonem Amoritarum regem et Ogum regem Bafanis bello vincunt eorumque terram occupant.

1. Rex Aradenfis Cananæus in tractu meridionali cum audiret Ifraelitas via Atharim *a*) adventare, eos aggref-

a) Plerique interpretes דֶּרֶךְ הָאֲתָרִים vertunt *via exploratorum*, quos bene refutat *Drufius*. Exploratores dicti effent תָּרִים a תור non אתרים ut alia taceam. Oἱ ὁ vertunt ut nomen proprium loci *ὁδὸν Ἀθαρείμ*. Ill. *Mi-*

aggreſſus eſt, et nonnullos captivos fecit. 2. Tum votum fecerunt Iſraelitæ Jovæ, ſi hunc populum eis traderet, velle ſe ejus oppida devovere. 3. Annuit Jova votis Iſraelitarum tradiditque eis Cananæos. Illi igitur fecerunt quod voverant, hinc locus vocatur Chormah. — 4. Ab Horo monte profecti ſunt verſus ſinum Arabicum, ut regionem Edomitarum circumirent. Sed itineris pertæſi 5. cœperunt cum Deo et Moſe expoſtulare, qui eos ex Aegypto eduxiſſent in hac ſolitudine morituros panis et aquæ penuria, tædere eos cibi adeo levis *b*). 6. Tum Jova eis immiſit ſerpentes, baſiliſcos, ex quorum morſu multi perierunt. 7. Qua de re Moſen adierunt et culpam confeſſi ſunt, quod in Jovam et in ipſum locuti eſſent, intercederet apud Jovam, ut eos a ſerpentibus liberaret. Cum Moſes pro populo deprecaretur, 8. juſſit eum Jova baſiliſcum *æneum* perticæ imponere, morſi qui eum adſpicerent, ſanatum iri. 9. Fecit igitur Moſes ſerpentem æneum, quem in pertica ſuſpendit. Et ſi quem ſerpens momorderat,

chaelis ex ſignificatione chaldaica vocis אתר vertit *regiones*. Sed obſtare videtur conſtructio cum דרך *via regionum*. Propterea præfero verſionem τῶν ό, quam Arabs quoque habet in Polygl. quanquam nomen hujus non amplius occurrit.

b) Mannam intelligunt.

derat, aspexit serpentem illum æneum et convaluit. — 10. Inde profecti Israelitæ castra posuerunt in Oboth. *c*) 11. Ex Oboth profecti castrametati sunt in clivis Abarim, qui sunt in deserto, Moabitarum regioni ab Oriente. 12. Inde profecti castra posuerunt in valle Sared. 13. Inde cis Arnonem, qui per desertum fluens ex Amoritarum terminis oritur. Hic Arnon terminos constituit Moabitarum et Amoritarum. 14. Propterea in libro bellorum Jovæ memorantur: Vaheb in Supha, torrentes Arnonis *d*), 15. et defluxus torrentium, qui deflectit ad sedes Aris et tangit fines Moabitarum. — 16. Inde venerunt Beerum s. puteum. Hic est ille puteus, ad quem Moses jussu Jovæ populum convocavit, ut aquam acciperet. 17. Tunc cecinerunt Israelitæ hoc carmen: Ascende *e*) putee, accinite ei.

18.

c) cf. Cap. 33, 43. ubi hæ Israelitarum stationes plenius recensentur.

d) Hic versus et sequens 15. sumti sunt ex libro citato, sed ex medio contextu, hinc eorum obscuritas. Moses eos citavit, ut probaret Arnonem tangere Moabitarum fines. Id quod in ultimis verbis clare dicitur.

e) Tertiam personam עלה legerunt Codex Samaritanus et Vulgatus: *ascendat*. Quæ lectio propter sequentem versum præferenda videtur *Hubigantio*, sed Syrus, Arabs et Onkelos legerunt, uti est in lectione recepta, imperativum, qui et carmini aptior est. Oi ὁ hæc verba omittunt.

18. Puteus quem principes foderunt, quem d populi cavarunt et indicarunt baculis suis *f*).

f) Admodum variant interpretes antiquiores in vert verbis בִּמְחֹקֵק בְּמִשְׁעֲנֹתָם. Difficultas maxime e priori, quod οἱ ὁ vertunt: *ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτῶν*, Vulg *in datore legis*, sine sensu. Onkelos: סָפְרַיָּא *scribæ cum baculis suis*. Melius quoad sensum, sed legit Beth. Syrus habet: וְבַדְקוּ בְחוּטְרֵיהוֹן *et indica eum baculis suis*, cum quo Arabs in polyglottis conse ita tamen, ut verba textus aliter nectat: *nobiliores p signarunt eum baculis suis*. Quam lectionem ego in sione expressi, quoniam receptæ vix probabilem nov plicationem. Attamen etiam de horum interpretum le ne incertus sum, fortasse ea fuit וְחִקְּקָה vel וְחִקְּה Neque minus difficilia sunt ultima verba: וּדָבָר מַתָּנָה Etenim si non pertinent ad illius carminis fragmen (quod tamen plerique interpretes statuunt) debeban quentem versum inchoare. Sed Onkelos refert ea ac ad descriptionem putei: *qui datus est eis ex deserto*. que hæc solum, sed etiam duos versus sequentes. In tamen haud dubie errat, atque reliqui quoque interp sequentia sic intellexerunt, ut continuetur descriptio st num populi Israelitici. Sed vox וּמִמִּדְבָּר *et ex de* suspecta videtur. Neque enim in antecedentibus narr populum venisse in desertum, quod tamen, si lectio h vocis sana est, factum esse dicitur. Sed verba versus

Ex Beero *profecti sunt* Mattanem. 19. Ex Mattane Nachalielem, ex Nachaliele Bamotham, 20. ex Bamotha Gajam in campis Moabiticis, in cacumine Pisga, quod spectat versus solitudinem. — 21. Hinc miserunt Israelitæ legatos ad Sichonem regem Amoritarum, qui ab eo peterent, 22. ut sibi liceret per terram ejus transire, nolle se neque in agros, neque in vineas deflectere, neque aquam ex cisternis bibere, via regia se iter esse facturos, donec fines ejus superassent. 23. Sed denegavit Sichon Israelitis transitum, et collectis suis copiis eis obviam ivit et ad Jahzam prælio cum eis contendit; 24. in quo Israelitæ victoriam adepti sunt et occuparunt ejus terram ab Arnone usque ad Jabokum, *hoc est*, usque ad Ammonitas, quorum termini muniti erant. 25. Potiti igitur Israelitæ oppidis istis Ammonitarum omnibus in eis consederunt, in Hesbone et coloniis ejus. 26. Hesbon vero metropolis fuit Sichonis Amoritarum regis, qui olim cum Moabitarum rege bellum gesserat eique omnem ejus terram usque ad Arnonem eripuerat. 27. Unde dixe-

cum quibus hæc cohærent, dicunt populum venisse בארה. Cui igitur non maxime probabilis videatur lectio τῶν ό, καὶ ἀπὸ Φρέατος, *et ex puteo*, h. e. וּמִבְּאֵרָה. Quo certior mihi hæc lectio videtur, eo magis miror, reliquos interpretes in lectione recepta consentire.

dixerunt poetæ: Venite Hesbonem, exſtruatur et muniatur urbs Sichonis. 28. Ignis erupit ex Hesbone, flamma ex urbe Sichonis, conſumſit Aram Moabitarum, et quæ loca excelſa ad Arnonem incolebant. 29. Væ tibi, Moab, actum eſt tecum, gens Camoſchi. Sivit filios ſuos fugari, filias abduci captivas, a rege Amoritarum Sichone. 30. Sagittis eos confecimus, periit Hesbon usque ad Dibonem, vaſtavimus usque ad Nophachum, conflagravimus *g*) omnia usque ad Medbam. — 31. Cum igitur Iſraelitæ in terra Amoritarum conſediſſent *h*), 32. miſit Moſes exploratores Jaſeram. *Iſraelitæ* occuparunt oppida minora atque expulerunt *i*) Amoritas, qui in eis erant. 33. Hinc converſi Baſanem aggreſſi ſunt. Cujus rex Ogus eis obviam profectus eſt

g) Lectio recepta אֲשֶׁר in ipſis Codd. hebr. a Maſorethis ut ſuſpecta et dubia eſt notata. Literam ר puncto ſignarunt, ad indicandum eam in aliis Codicibus deeſſe. Atque ita etiam eſt. In Codice Samaritano legitur אש, et LXX. interpretes habent πῦρ. Præterea parallelismus membrorum favet huic lectioni. Languet etiam אשר in carmine, quod ſitum urbium non ſolet deſcribere.

h) Hoc jam dictum eſt verſu 25. et repetitur poſt inſertum illud carminis fragmentum.

i) Pro ויירש legendum eſt וַיּוֹרִישׁ. Sic Cod. Sam. et οἱ ό ἐξέβαλον.

eſt cum toto ſuo exercitu ad prælium cum eis committendum Edreæ. 34. Jova vero Moſi dixit: noli eum timere, tradidi tibi eum, omnem ejus populum et terram. Eandem ſortem habeat, quam rex Amoritarum Sichon Hesbone. 35. Igitur eum, filios ejus omnemque populum nullo relicto trucidarunt, ejusque terram occuparunt.

CAPUT XXII

Bileamus a Balako Moabitarum rege vocatus, ut Iſraelitis imprecaretur, renuit quidem venire, ſed legatione iterata proficiſcitur. In itinere viſione prophetica divinitus admonetur de voluntate Dei in omnibus exſequenda. a)

1. Quibus confectis Iſraelitæ longius progreſſi, caſtra-

a) Recte, uti arbitror, judicavit Celeb. Auctor epiſtolarum ſuper literis theologicis p. 26. (*Briefe das Studium der Theologie betreffend*) minus fortaſſe dubitatum fuiſſe de hujus hiſtoriæ veritate, ſi ejus interpretes eam noluiſſent noſtris temporibus et moribus accommodare. Etenim hinc factum eſt, ut partim in apparitionibus, quibus Deus hominem peſſimum dignatus eſſe narratur, partim in aſina loquente offenderent. Quodſi vero meminiſſent, quam ſæpe Deus cum illa gente, in qua ſui cognitionem ſervare volebat, modo plane extraordinario egerit, minus fortaſſe in utroque offendiſſent. Quid enim eſt in eo, quod Deus impedie-

pedierit conatus hostium populi Israelitici repugnans, aut adversarium curæ, quam pro hoc populo gessit? Immo aptissima fuit hæc occasio, qua Deus monstraret suam potentiam in falsos Deos, aut quam facile posset irritas reddere illas artes divinatrices, quas populo suo per Mosen severe interdixerat. Verum enim vero colloquium illud Bileami cum asina sua suspectum videtur plerisque, adeo ut nonnulli totam historiam propterea tanquam fabulam diversa tamen ratione rejicerent. Quanquam vero alii negant hoc recte fieri, quoniam neque ab omnipotentia Dei, neque a singulari ejus cum hoc populo agendi ratione alienum sit, tamen interpretes non contemnendi facti insolentiam alio modo mitigare sunt conati. Nimirum existimant illud quod asinæ evenisse narratur, Bileamo non vigilanti, sed in ecstasin rapto visum fuisse. Quæ sententia, jam a *Mose Maimonide* in Moreh Nebochim p. 310. allata, compluribus interpretibus christianis placuit, atque mihi quoque probabilis videtur. Celeb. *Herderus* quidem in Epistolis supra laudatis p. 27. negat hanc pericopam de somnio explicari posse, quoniam ejus nulla in tota narratione mentio injiciatur. Sed facilis videtur hujus dubitationis solutio exemplis, quibus prophetæ aliquid egisse aut vidisse narrantur, quæ tamen non vigilantes egerunt, aut viderunt, sed in ecstasin rapti. Sic Jesaias Cap. VI. narrat se vidisse Jovam in templo sedentem, neque addit hoc in visione prophetica factum esse, nec tamen de eo unquam aliquis dubitavit. Jeremias vidit amygdalum et ollam ebullientem Cap. I, 11. seqq. profecto non oculis corporeis, sed in ecstasin raptus, quanquam de eo in textu nihil legitur. Atque pleraque Ezechielis visa narrantur tan-

ſtrametati ſunt in campeſtribus Moabitarum cis Jordanem *e regione* Hierichuntis. — 2. Cum autem Balakus filius Zipporis videret iſta omnia, quæ Iſraelitæ Amoritis feciſſent, 3. vehementer ſibi timuerunt Moabitæ a populo tantæ multitudinis, et propter eum perquam anxii fuerunt. 4. Igitur cum principibus Midianitarum conſilia inierunt, verendum eſſe, ne iſta multitudo ſuos quoque terminos depaſceret inſtar bovis gramina agrorum depaſcentis.

tanquam ab eo dicta et facta, quæ tamen tantum in ecſtaſi prophetica ei contigerunt. Quid igitur impedit, quo minus et illud Bileami cum aſina ſua colloquium eodem modo explicemus, inprimis cum verſ. 9. et 20. ex eodem de his rebus uſu loquendi ſcripturæ ſacræ narretur, Deum noctu veniſſe ad Bileamum, quod de ſomnio omnes, etiam Celeb. *Herderus* p. 29. intelligunt. Quo admiſſo in reliqua hiſtoriæ ſerie nihil eſt, quod a veritate alienum videatur, aut quod nos cogat, eam vel fictioni poeticæ, vel impoſtoris fraudibus tribuere. Cui ſententiæ etiam adverſatur locus Deut. 23, 5. ubi Moabitæ prohibentur a jure civitatis Iſraeliticæ, quoniam mercede conduxiſſent Bileamum ad imprecandum Iſraelitis, cujus imprecationes vero Deus in bona vota convertiſſet. Quod factum Moſes profecto non ut legis ſuæ rationem attuliſſet, ſi illud tantum ex teſtimonio impoſtoris, non ex fide ſua certa minimeque dubia memoriæ prodidiſſet.

tis. *b*) — Balak filius Zipporis, qui tunc Mo
bitarum rex fuit, 5. misit legatos ad Bileamu
filium Beoris, qui Pethoræ, quæ *urbs* est ad flum
Euphratem, habitabat, eumque ad se invitavit, l
forte verbis: Populus exiit ex Aegypto, qui ter
superficiem tegit, et e regione mei consedit. 6. Ja
igitur, veni quæso, et diras imprecare huic popu
me potentiori, fortasse eum vincam et e terra e
pellam. Novi enim, cui tu bene precaris, eum e
felicem, et cui tu imprecaris, eum esse infelice
7. Moabitarum et Midianitarum principes præmi
divinationis secum ferentes venerunt ad Bileamu
eique Balaki mandatum exposuerunt. 8. Quibus i
respondit: Pernoctate apud me, referam vobis q
Jova mihi dicet. Cum igitur Moabitarum princi
apud Bileamum pernoctarent, 9. Deus ad eum v
nit *c*) et interrogavit: quinam sunt isti homines, q
apud te divertunt? 10. Respondit Bileamus: B
lak filius Zipporis Moabitarum rex ad me mi
11. migrasse ex Aegypto populum, qui totam te
ræ superficiem obtegat; rogare se, ut eum exsec
tum veniam, si forte prælio vincere et expelle
e

b) Supplenda sunt reliqua hujus consultationis ex seque
bus; evocatum nempe esse Bileamum ex consensu omni
principum Moabiticorum et Midianitarum, coll. vers. 7.

c) scil. in somnio.

eum posset. 12. Ad hæc Deus Bileamo dixit: Noli cum eis abire, neque mala imprecari populo, qui fortunatus est. 13. Postridie mane Bileamus Balaki principibus indicat, Jovam nolle permittere, ut cum illis proficiscatur. 14. Hi igitur Balako renuntiarunt, Bileamum recusare secum venire. 15. Tum ille iterum misit plures adhuc et illis nobiliores principes, 16. qui Bileamum suo nomine rogarent, ne recusaret ad se venire, 17. summo se honore eum esse affecturum, et quæcunque vellet facturum, veniret modo et exsecraretur hunc populum. 18. Bileamus vero eis respondit: Si mihi Balakus domum suam auro et argento plenam daret, non possem contra Dei voluntatem quicquam suscipere. 19. Interim manete apud me hac nocte, videbo quid Jova amplius mihi dicturus sit. 20. Jam Deus hac ipsa nocte Bileamo apparuit eique dixit: si homines isti ad eum arcessendum venissent, iret cum illis, modo nihil faceret quod non juberet. 21. Postridie Bileamus mane strata asina sua profectus est cum Moabitarum principibus. 22. Sed Deo displicuit hoc ejus iter, et constitit angelus Jovæ in via ad eum impediendum. Cum igitur equitaret in asina, duobus servis eum comitantibus, 23. vidit asina Jovæ angelum stantem in via et strictum gladium manu tenentem, propterea declinavit de via in agrum. Bi-

leamus eam cædebat, ut in viam eam redigeret.
24. Tunc angelus Jovæ fubftitit in vinearum femita,
in qua ab utraque parte maceries erat. 25. Afina
vifo angelo preffit fefe ad murum et compreffit
fimul pedem Bileami, qui propterea eam iterum
verberavit. 26. Sed Jovæ angelus ulterius proce-
dens fubftitit in loco adeo angufto, in quo nullum
deflectendi fpatium effet neque ad dextram, neque
ad finiftram. — 27. Hic afina vifo angelo fuccu-
buit fub Bileamo, qui vehementer iratus baculo
eam percuffit. 28. Tum Jova afinæ os aperuit, ut
Bileamum his verbis alloqueretur: quid tibi feci,
quod me jam ter verberafti? 29. Bileamus refpon-
dit: quod mihi illudis, fi modo gladium haberem,
te ftatim transfoderem. 30. Tum afina, nonne ego,
inquit, afina tua fum, qua inde a longo tempore
veheris? num fic antea facere folita fum? Non,
inquit ille. 31. Sed tunc Jova oculos Bileami ape-
ruit, ut videret angelum ftantem in via cum gladio
ftricto; quo confpecto in terram fe abjecit, 32. et
angelus ei dixit: Quid jam tribus vicibus afinam
tuam verberafti? Exii ut tibi adverfarer, iter enim
tuum eft perniciofum *d*). 33. Vidit me afina et ter
decli-

d) Verbum ירט ἅπαξ λεγ. recte illuftratur ex arabico ورط *præcipitem dedit in exitium* (*Golius* pag. 2654.) cui fimile eft

declinavit; quod nisi fecisset, profecto te, illa conservata, occidissem, 34. Tum Bileamus Jovæ angelo respondit: peccavi, sed nesciebam te mihi obsistere;

est רטה quod legitur Job. 16, 11. Antiquiores interpretes videntur veram verbi significationem ignorasse, et tantum ex contextu sensum divinasse: οἱ ὁ habent: ὀκ ἀστεία (fortasse εὐθεῖα) ἡ ὁδός σε ἐναντίον με. Vulgatus: *quia perversa est via tua mihique contraria.* Syrus: *ecce ego exii, ut essem tibi adversarius, quoniam direxisti viam contra me.* Onkelos: *quia notum mihi est, quod tu vis ire in via contra me f. mihi contraria.* — Codex Samaritanus aliam lectionem exhibet כי הרע דרכך *quoniam mala est via tua,* quæ quanquam facilior est, atque adeo propter responsionem Bileami in sequenti versu probabilis videatur, tamen ego quidem eam receptæ non putem præferendam, cum minime sit probabile hanc difficiliorem ex illa ortam esse, aut scribarum errore הרע sensu adeo commodo mutatum esse in ירט. Enimvero affixum secundæ personæ addendum esse τῷ הדרך ex lectione codicis Samaritani minime dubio, quod propter præcedens Caph omissum est, uti in præcedenti membro ad לשטן pro quo etiam rectius legitur in Cod. Sam. לשטנך quod Caph in Cod. hebræo excidit propter sequens כי cujus generis errores scribarum frequentes esse dudum observarunt critici. Interpretes antiqui supra citati haud obscure innuunt eos legisse affixa in illis vocibus præter Chaldæum, qui textum hebræum sequitur.

ſtere; jam ſi tibi iter meum diſplicet, revertar.
35. Perge, inquit angelus, cum his viris, verum
nihil loqui debes, quod non tibi dixero. — Igi-
tur profectus eſt Bileamus cum Balaki principibus.
36. Quem ubi advenire Balakus audivit, obviam ei
proceſſit ad urbem Moabiticam in extremis finibus
ad Arnonem ſitam, 37. et ſic eum eſt allocutus:
Nonne ego miſi ad te qui te invitarent, cur venire
recuſaſti? an te honorare non potero? 38. Reſpon-
dit Bileamus: Veni quidem ad te, ſed nihil loquar,
niſi quod Deus mihi ſuggeſſerit. 39. Tum venit
cum Balako in urbem Chuzot. 40. Balakus ſacri-
ficavit boves et oves, miſitque Bileamo et proceri-
bus, qui eum comitabantur, *de epulis ſacrificialibus.*
41. Poſtridie duxit Bileamum in loca excelſa Baa-
lis, unde ad extrema populi Iſraelitici caſtra poſſet
proſpicere.

CAPUT XXIII

Bileamus populo Iſraelitico bene precatur.

1. Hic rogavit Balakum, ut ſibi exſtrueret ſeptem aras, totidemque juvencos et arietes pararet. *a*) 2. Quod

a) Numerum ſeptenarium elegiſſe putatur Bileamus in honorem Jovæ Dei, cui ſacer erat hic numerus, quod intra ſeptiduum cælum terramque creavit, ut his ſacrificiis eum ſibi conciliaret. Sed hoc ejus conſilium fuiſſe, non ſatis

2. Quod cum Balakus, uti Bileamus dixerat, fecisset, utrique in singulis aris singulos juvencos et arietes immolarunt. 3. Tum hic illi: subsiste ad sacrificium tuum, discedam paullulum: fortasse Jova mihi occurrit mihique indicat, quod tibi renunciem. Sic abiit anxius *b*). 4. Occurrit ei Deus, cui dixit:

satis probabile mihi videtur. Crediderim eum plures Deos coluisse, in his quoque Jovam Deum Israelitarum, atque sperasse interventu alius cujusdam Dei voti sui particeps fieri. Propterea secessit a sacrificio non ad oracula Dei audienda, quanquam hoc prætendat vers. 3. sed ad alia auguria capianda, quod Cap. XXIV, 1. plane dicitur.

b) In textu legitur שְׁפִי in qua voce vertenda interpretes valde dissentiunt. Sunt qui ex significatione ejus vulgari eam explicent per *locum altum et eminentiorem.* Quæ non satis apta videtur explicatio *Lud. de Dieu* in Critica S. ad h. l. quoniam Bileamus a Balako jam in loco excelso constitutus erat, ibique sacrificium instruxerat, Cap 22, 41. Propterea שְׁפִי per *vallem* explicat atque hanc significationem ex lingua Syriaca illustrat, in qua שפא est *complanavit* et שְׁפִיא *planities* v. c. Luc. 3, 5. Sed haud scio, an hæc sufficiant ad notionem *vallis* τῷ שפי vindicandam. Nam complanatio potest etiam fieri in loco alto, atque omnino mihi videtur hæc esse primaria τῷ שפי significatio, ut sit locus altus, sed planus, in quo liber detur prospectus quoquoversum. Atque sumi posset, Bileamum

 in

xit: feptem aras inftruxi, in quibus juvencos et arietes immolavi. 5. Tum Jova fuggeffit Bileamo, quæ diceret, juffitque, ut ad Balakum rediret. 6. Cum ad eum veniffet, invenit eum adftantem facrificio fuo una cum omnibus Moabitarum principibus, 7. et orditur orationem in hunc modum: Ex Mefopotamia me arceffivit Balakus Moabitarum rex, ex montibus Orientis. Age, inquit, male imprecare Jacobitis! Deteftare Ifraelitas! 8. Quomodo imprecabor, Deo non imprecante? quomodo deteftabor, Jova non deteftante? 9. Ex vertice petrarum video eum,

in hujusmodi locum difceffiffe, ex quo profpectum habuiffet minus impeditum. At enim vero durior mihi videtur ellipfis præpofitionis אל in hac conftructione. — Antiquorum interpretum plerique illud שְׁפִי ad ipfum Bileamum referunt. Vulgatus: *cumque abiiffet velociter.* Onkelos et Arabs Erpenii: *abiit folus.* Arabs in Polygl. *abiit* في هدوّ *tranquille*, tandem Syrus: *abiit* ܒܫܦܝܐܝܬ quod non intelligo. Interpres ejus vertit: *abiit fincere.* Male, uti arbitror. Ex fignificatione chaldaica verbi שְׁפָה *contrivit*, *attrivit*, quæ fortaffe ex illa *complanandi* venit, nonnulli ex Iudæis interpretati funt de animo Bileami quafi attrito h. e. follicito et inquieto. Quod non difplicet. Animum enim pfeudoprophetæ anxium fuiffe et de incerto rerum fuarum eventu follicitum, nemo improbabile dixerit. Sed nihil definio.

eum, ex collibus eum contemplor. — Seorsim habitabit hic populus, nec aliis gentibus annumerabitur. 10. Quis numeret innumerabiles Jacobitas? *c*) quis computet quadrantem Israelitarum? *d*) Mori cupio ut probi illi! idem sit meus qui eorum exitus. — 11. Ad hæc Balakus Bileamo, quid agis? inquit, ad imprecandum hostibus meis te arcessivi, jam vero bene eis precaris. 12. Hic vero respondit: nonne mihi studiose eloquenda sunt, quæ Jova suggessit? 13. Tum Balakus ei dixit: veni mecum in locum alium, unde *hunc populum* videre poteris, nec

c) In textu est: *quis numeret pulverem Jacobi?* In vulgus notum est, pulverem metaphorice pro re innumerabili dici. Tropum h. l. cum paronomasia permutavi, quæ sonantior mihi videbatur.

d) Pro מִסְפָּר divisim מִי סָפַר legendum esse conjectat *Venema* in Comment. ad Mal. 1, 13. ut respondeat τῷ מִי מָנָה in priori membro, et sic facilior quoque est constructio cum sequenti רֹבַע, nec tamen necessaria est hæc emendatio, quoniam אֶת interdum quoque nota est genitivi, v. c. Num. 10, 2. et sic מִסְפָּר cum מָנָה potest construi. רֹבַע ex sententia plurimorum interpretum explicatur de quatuor illis castrorum Israeliticorum partibus, in quas duodecim tribus erant divisæ, Num. 2. quarum unam fortasse eminus Bileamus prospectabat.

nec tamen totum; atque inde mala ei imprecare.
14. Duxit igitur eum per campos speculatorum in
fastigium Pisgæ, exstruxit septem aras, in quibus
singulis juvencum et arietem immolavit. 15. Tum
mandavit Balako, ut adstaret sacrificio suo, *velle*
se paullisper secedere, ut *Deo* occurrat. 16. Atque
hic quoque obviam ei venit, jussitque ut ad Bala-
kum rediret, postquam eum dicendis instruxerat.
17. Ad quem ut venit, offendit eum adstantem sa-
crificio suo una cum Moabitarum principibus. Ba-
lakus quærit, quid Jova dixerit. 18. Tum ille sic
infit: Age, Balak, audi, attende ad me, fili Zip-
poris. 19. Deus non homo est, ut mentiatur, non
homine natus, ut eum pœniteat. Num ille aliquid
diceret quod non faceret? num promitteret quod
non impleret? 20. En! fausta omina accepi. Cum
ille bene cupiat, equidem non possum avertere.
21. Non video malum inter Jacobitas, non conspi-
cio ærumnas inter Israelitas *e*), Jova Deus eorum
eis adest, et læti clamores propter hunc regem *suum*
inter

e) Codex Samaritanus legit primam personam אביט, sed non æque in posteriori membro אראה. Syrus vero in utroque membro legit primam personam. Onkelos quoque eam exprimit, quanquam παραφράζει. Quorum lectionem ego in versione secutus sum, ut contextui convenientiorem.

inter eos audiuntur. 22. Deus eduxit eos ex Aegypto, alacres ſunt ad inſtar bubali. 23. Nihil artes magicæ adverſus Jacobum, nihil præſtigiæ contra Iſraelem *efficiunt*. Tempus inſtat, quo de Jacobo et Iſraele dicetur, quanta Deus iis præſtitit! 24. En! ſurget populus, ſicuti leæna, inſtar leonis ſeſe efferet. Non prius recubabit, quam prædam vorarit, quam ſanguinem occiſorum hauſerit. — 25. Tum Balakus Bileamo dixit: neque exſecrare hunc populum, neque bene ei precare. 26. Nonne tibi prædixi, reſpondit Bileamus, me facturum eſſe quod Jova juſſerit? 27. Ducam te, inquit Balakus, in locum alium, fortaſſe permittet Deus, ut illinc huic populo mala impreceris. 28. Igitur duxit eum in verticem Peoris, unde proſpectus eſt verſus ſolitudinem. 29. Ibi juſſit Bileamus Balakum exſtruere ſeptem aras, totidemque parare juvencos et arietes. 30. Fecit Balakus ſicut Bileamus dixerat, et immolavit *in ſingulis aris* ſingulos juvencos et arietes.

CAPUT XXIV

Reliqua Bileami vaticinia de magna populi Iſraelitici felicitate, inprimis de Moabitis ab eo ſubigendis, et de aliarum gentium fatis.

1. Cum autem Bileamus videret Jovam velle, ut bene precetur Iſraeli, non amplius ſicuti antea fecerat,

cerat, abiit ad auguria captanda. Sed facie versus desertum conversa 2. prospexit ad Israelitas secundum tribus suas tendentes, et divino spiritu afflatus 3. carmen infit his verbis: Dicit Bileamus filius Beoris, dicit vir cui oculus apertus est *a*). 4. Dicit, qui verba audit divina, qui visa Dei summi vidit, cui prolapso oculi retecti sunt *b*). 5. Quam pulcra sunt tentoria tua, Jacobe, sedes tuæ, Israel! 6. Ut valles patentes, ut horti ad flumina, ut aloe a Deo plantata, ut cedri ad aquam. 7. Manabit aqua ex ejus situla, et posteri in aquas multas *excrescent*. Rex ejus Agago erit potentior *c*); ejusque regnum extolletur. 8. Deus hunc *populum* ex Aegypto duxit, alacris est instar bubali. Consumit gentes sibi adversantes, ossa earum confringit, sagittis suis vulnerat

a) In textu est שְׁתֻם עָיִן, quod h. l. tantum obvium multi conferunt cum סתם *clausit*, et hinc vertunt *clausus s. obturatus oculis.* Sic *Vulgatus;* quod nempe antea angelum non viderit. Sed contraria potius est significatio verbi שתם in lingua chaldaica *perforare*, hinc *aperire.* Sic quoque ex antiquis interpretibus *οἱ ό, ὁ ἀληθινῶς ὁρῶν.* Onkelos: דְשַׁפִּיר חָזֵי *qui pulcre videt*, et Syrus: *vir cujus retectus est oculus.*

b) Alludit haud dubie ad id quod Cap. 22, 31. narratum est.

c) Agag fuit commune nomen omnium regum Amalekitarum. 1 Sam. 15, 8. legimus implementum hujus vaticinii.

nerat *d*). 9. Procumbit et recubat inſtar leonis et leænæ, quis eum excitet? Felices ſunt, qui tibi bene precantur; infelices qui te volunt eſſe infelicem. — 10. Hic Bileamo iraſcens Balakus comploſis manibus dixit: ad imprecandum hoſtibus meis te arceſſivi, et tu jam tertium eis bene ominaris. 11. Abi unde veniſti. Equidem volui te honorare, ſed Jova te ab illo honore prohibuit. 12. Reſpondit Bileamus: Nonne ego jam legatis tuis dixi: 13. Etiamſi Balakus mihi domum ſuam auro et argento plenam daret, non poſſem contra voluntatem Dei agere, nec boni malive quidquam pro arbitrio meo facere: quod Jova mihi dixerit, eloquar? 14. Jam quidem redibo ad meos, ſed indicabo tibi, quid hicce populus tuo populo ſequentibus temporibus ſit factu-

d) Sic verba habent: וְחִצָּיו יִמְחָץ. Sed non bene reſpondent *ſagittæ* præcedenti membro, nec verbum מחץ ſubſtantivo adjecto ſatis convenit. Conſentiunt tamen omnes interpretes antiqui in lectione recepta præter Syrum, qui habet: ܘܚܨܝܗܘܢ ܢܦܣܘܩ *dorſa eorum concidet.* Nemo neget lectionem parallelismo membri melius reſpondere. Sed propter unius Syri teſtimonium non auſus ſum a lectione textus hebræi recedere. Ill. *Michaelis* vertit: *et comundit eorum oſſa* (*und zerſchlægt ihre Gebeine*) de qua mutatione vero lectores ſuos, uti alias plerumque ſolet, non admonuit.

facturus. 15. Tum carmen in hunc modum ex
fus eſt: Dicit Bileam filius Beoris, dicit vir,
oculus eſt apertus, 16. dicit qui verba audit di
na, qui novit ſcientiam altiſſimi, qui viſa Dei ſu
mi videt, cui lapſo oculi ſunt retecti. 17. Vic
eum, ſed non nunc, intueor eum, ſed non prop
quum. Procedit ſtella ex Jacobitis, ſceptrum e
ſtit ex Iſraelitis e), percutiet tractus Moabi, exſc

e) Quanquam multi interpretes, antiquiores et recentio Judæi et Chriſtiani, hoc vaticinium de Meſſia explicaru tamen contextus tam parum favet huic opinioni, ut rum videatur, tam multos in errore adeo manifeſto tuiſſe conſentire. Nam præter ſtellæ et ſceptri nomi ſub quibus regem intelligendum eſſe, dubio caret, n eſt in toto loco, quod ad Meſſiam poſſit transferri; im reliqua omnia contrarium docent. Dixerat Bileamus v. verbis minime obſcuris Balako, velle ſe, antequam in triam ſuam rediret, indicare, quid populus Iſraeliti Moabitico ſequentibus temporibus ſit facturus. Jam p miſſa carmini ſuo prophetico præfatione verſu 15. et 16. c jam antea uſus fuerat verſu 3. et 4. dicit, regem aliquar inſignem exciturum eſſe, qui Moabitas et Edomitas ſit p diturus et deſtructurus etc. At enimvero qui poſſunt h niſi perquam coacte ad Meſſiæ regnum pacificum et neri humano ſalutare transferri? Sed non opus eſt, hoc pluribus refutemus, partim quoniam quivis, qui n præconcepta opinione impeditus ad loci interpretation

ac

det homines infeftos *f*). 18. Occupabitur Edom, immo

accedit, fenfum ejus facile poteft inveftigare; partim quoniam illius explicationis errores fatis demonftrati funt et refutati ab interpretibus linguarum peritis et a piis illis hypothefibus alienis. E quorum numero eft inter exteros S. R. *Verfchuir* LL. OO. Profeffor in Academia Franequer. qui in difputatione fuper hoc loco, (quæ primum Bibliothecæ Brem. novæ Claff. III. Fafc. I. p. 21. inferta eft, repetita deinde a Viro Celeb. in Differtt. philol. exeget. quæ 1773. Leowardæ et Franequeræ prodierunt) primo hoc egit, ut myfticæ illius explicationis vanitatem oftenderet, deinde pro infigni fua linguarum orientalium peritia verba hujus loci fane difficilia interpretaretur. E noftratibus autem Illuftris *Michaelis*, qui in notis ad verfionem bibliorum germanicam lectores fuos breviter quidem, fed folide docuit, quam manifefte errent, qui Chriftum humanæ falutis auctorem quærant in loco alia omnia loquente.

f) Verba textus fane difficilia: וְקַרְקַר כָּל־בְּנֵי־שֵׁת verti ex fententia S. R. *Verfchuir*, qui l. l. קרקר derivat a قار med. و quod eft *fecare*, *incidere*, hinc, ut alia fimilia, *exfcindere*, *delere*. Attamen filentio præteriri non debet lectio codicis Samaritani, qui habet קדקד *verticem*, quæ haud parum firmatur ex Jer. 48, 45. ubi ad hunc noftrum locum manifefte alluditur. Sed quoniam lectio recepta explicationem admittit non improbabilem, poffumus in ea acquiefcere. Enimvero de fequentibus verbis בני שת variæ funt virorum doctorum explicationes et conjecturæ, quarum

immo occupabitur. Seir ab hostibus suis *g*). Israel magna patrabit. 19. Tum dominabitur aliquis ex Jacobitis, qui et reliquos debellabit. *h*) — 20. Amalekitas

quarum complures attulit S. R. *Verschuir* l. l. p. 16. Equidem ei assentior, dum שֵׁת dictum putat contracte pro שְׁאֵת a שָׁאָה quod dicitur de strepitu et tumultu rerum, v. c. undarum, et deinde de strepitu et tumultu militari Jes. 13, 4. Jerem. 51, 55. Amos 2, 1. Sed ibi legitur alia forma substantivi שְׁאוֹן. Nostrum vero שְׁאֵת cum א radicali extat Thren. 3, 47. ubi jungitur [illegible] שֶׁבֶר quod de eversione rerum et calamitate gravissima dicitur. Quo minus vero hæc explicatio durior mihi videatur, facit locus Jeremiæ citatus Cap. 48, 45. ubi, u.i in nostro loco vocantur בְּנֵי שֵׁת a Jeremia vocantur בְּנֵי שָׁאוֹן vocabulo prorsus synonymico. Intelliguntur autem gentes Israelitis vicinæ, Moabitæ, Ammonitæ, Edomitæ, eis semper infestæ, sive, ut phrasi prophetæ utar, belli strepitus et tumultus excitantes. Quos repressit et subegit David, qui unus sub illa stella, aut sceptro ex Israele orituro est intelligendus. 2 Sam. 8.

g) sc. Israelitis. Hos enim intelligendos esse, totum vaticinii argumentum docet, atque etiam sequentia verba: *Israel magna patrabit.* Inter utramque gentem odium infensissimum intercessisse, historia et complura prophetarum loca probant.

h) In hoc versu de alio Moabitarum victore sermonem esse, appa-

lekitas conſpicatus in hæc verba erupit: Gentium primi ſunt Amalekitæ, ſed ad extremum peribunt. — 21. Cum Kenitas videret, hos verſus dixit: *i*) Habitatio tua fortis eſt. Pone in petra nidum tuum. 22. Tamen vaſtabitur Kain, ita ut Aſſyrii te captivum abducant. — 23. Porro hæc quoque dixit: Væ! quis vivet Deo hæc decernente? 24. Exeunt ex Chittim *k*) qui Aſſyrios affligent, qui affligent

apparet, quod is dicitur perditurus reliquos. In verbis equidem non hæreo, neque in ultimo מֵעִיר *ex urbe*, quod collective de urbibus Moabitarum reliquis accipio. Implementum ex hiſtoria plane conſtat in victoriis Alexandri Jannæi, quas *Joſephus* Antiqq. Lib. XIII. Cap. 15. et 16. narrat.

i) Cum de his Kenitis antiquis Palæſtinæ incolis Geneſ. 15, 19. nihil præter nomen memoriæ proditum ſit, vaticinium hoc, quod eorum facta reſpicit, non poteſt non nobis obſcurum eſſe; igitur neque de lectione, neque de ſenſu verborum aliquid definire audeo.

k) Ultimum Bileami oraculum omnium eſt obſcuriſſimum, neque ſolum quoad lectionem, ſed etiam quoad ſenſum verborum. Primum quidem vocabulum וְצִים propter diverſam apud antiquiores interpretes lectionem non ſine cauſa ſuſpectum videtur. Codex Samaritanus habet יוצאים *exeuntes* (pro quo alii minus bene habent יוציאם *educet eos*), *οἱ ὁ ἐξελεύσεται*, pro quo vix dubitem legendum

eſſe

gent Eberum, verum hi quoque peribunt. 25. Tum Bileamus rediit unde venerat, et Balakus quoque discessit.

CAPUT

esse *ἐξελεύσονται*, quoniam sequitur *καὶ κακώσουσιν*. Vulgatus: *venient in triremibus de Italia*. Onkelos: וְסִיעָן יִצְטַרְחָן מִכִּתָּאֵי *cœtus emittentur ex Cittæis*, in quo tamen quoque est lectionis varietas, quam *Buxtorfius* annotavit in Lexico Talmud. et Rabb. sub h. v. Syrus habet: וְלֶגְיוֹנֵא נֶפְקוּן מִן אַרְעָא דְכִתָּיֵא *legiones egredientur e terra Cittæorum*. Ex qua versione id quidem patet, Syrum interpretem locum, ut Onkelos et Vulgatus, de Romanis intellexisse. Sed hos interpretes, uti codex Samaritanus et versio græca, pro וצים legisse יוצאים non dixerim cum *Hubigantio*, quoniam substantiva illa, *triremes* Vulgati, *cœtus* Onkelosi, *legiones* Syri, respondent *τοῖς* וצים ad quæ necessario verbum eis aptum supplendum fuit. Attamen mihi codicis Samaritani et versionis græcæ lectio videtur receptæ præferenda, partim quod non satis certa sit significatio *navium* *τοῖς* צים pro ציים dictis tributa; partim quod contextui non satis apta videtur. De quo duplex est interpretum sententia pro duplici *τῶν* כִּתִּים explicatione. Alii quidem sub eis Græcos, in specie Macedones intelligunt. Hi igitur hoc Bileami vaticinium de bellis Alexandri M. cum Assyriis eorumque successoribus Medis et Persis explicant. Sic *Grotius* et qui eum sequuntur. Alii כתים Romanos esse defendunt, horumque bella et victorias in his regionibus putant indigitari. Sic ex antiquioribus interpretibus Judæi. E recentioribus interpretibus Ill. *Michaelis* in notis ad versionem bibliorum germ.

CAPUT XXV

Israelitæ a Moabitis ad idololatriam et scortationem seducuntur. Puniuntur a Deo. Pinehasi ira laudabilis graviores poenas prohibet. Jubentur bellum inferre Midianitis.

1. Cum Israelitæ in Schittim commorarentur, cœperunt scortari cum puellis Moabiticis, *a*) 2. a quibus invitati ad deorum suorum sacrificia, interfuerunt epulis eorum sacrificalibus, adorarunt eorum deos, 3. atque in honorem Baalpeoris fascias gestarunt *b*). Quo facto Jova vehementer iratus Israelitis, 4. jussit Mosen principes populi ad solem *c*) suspendere ad iram suam pacandam. 5. Hic igitur præcepit judicibus, ut omnes hoc supplicio afficerent, qui in honorem Baalpeoris fascias gestarent. 6. Tum Israe-

a) Quod factum est ex consilio Bileami pessimo, uti narratur infra Cap. 31, 15. 16.

b) צָמַד hoc loco in genere est *conjunxit se*, s. *copulavit*, sed in specie uti arab. ضمد *tænia*, s. *fascia caput religavit;* quo signo profitebantur se colere Baalem, cf. vers. 5. Eundem sensum, sed non propriam verbi significationem indicarunt οἱ ὁ et Vulgatus. Illi habent: καὶ ἐτελέσθη Ἰσραήλ. Hic: *Initiatus est Israel.*

c) hebr. נֶגֶד הַשָּׁמֶשׁ nempe usque ad occasum solis, ex lege Devt. 21, 22. 23.

Israelita quidam introduxit ad populares suos Midianitidem Mose spectante et universo Israelitarum senatu, qui ante tabernaculi introitum lacrimabantur. 7. Quod cum Pinehas filius Eleasaris nepos
Aaronis sacerdotis videret, surrexit e medio cœtu, et prehensa hasta 8. insecutus est virum Israeliticum in conclave et transfixit ambos virum et fœminam per vulvam ejus. Quo facto cohibita est plaga Israelitarum, 9. in qua viginti quatuor millia interierunt. — 10. Tum Jova Mosen sic est allocutus: 11. Pinehas filius Eleasaris, nepos Aaronis sacerdotis, avertit iram meam ab Israelitis, quo minus eos prorsus perderem, cum meum inter eos honorem vindicaret. 12. Promitte ei igitur meo nomine præmium d). 13. Nimirum cum ipsius, tum posterorum ejus sit sacerdotium in perpetuum, quod Dei sui studiosus Israelitas expiavit. — 14. Israelita vero iste, qui cum Midianitide occisus est, fuit Simri filius Sala, princeps familiarum tribus Simeoniticæ. 15. Nomen autem mulieris Midianiticæ fuit Cosbi filia Suri, qui et ipse familiæ in gente

d) Verba textus sunt: *ecce ego do illi foedus meum pacis.* *Foedus* hoc loco idem esse quod *promissum*, apparet ex sequenti versu. *Pacem* vero de omnis generis felicitate dici inter omnes constat. Igitur hebraicas significationes in versione latina non putavi esse servandas.

gente sua princeps erat. — 16. Deinde Jova Mosen jussit 17. bellum inferre Midianitis eosque cædere, 18. quoniam hostiliter sese in eos gessissent, dum astute eos ad Peoris cultum seduxissent, subornata hunc in finem quoque Cosba Midianitici principis filia ipso cladis die occisa.

CAPUT XXVI

Moses et Eleasar jubentur a Deo novum populi censum inire.

1. Post illam cladem jussit Jova Mosen et Eleasarem filium Aaronis sacerdotem, 2. omnium Israelitarum secundum familias summam subducere, qui annum vicesimum excederent et arma ferre possent. 3. Moses igitur et Eleasar sacerdos hoc eis promulgarunt in campestribus Moabiticis juxta Jordanum e regione Hierichuntis. 4. *Atque numerum inierunt a)* eorum qui annum vicesimum excesserant, quem-

a) Quivis qui verba textus vel negligenter inspexerit, intelliget deesse ad initium hujus versus nonnulla. Desinit versus tertius in לֵאמֹר et hic incipit cum verbis: וּמִבֶּן עֶשְׂרִים שָׁנָה וָמָעְלָה Neque possunt hæc ex modo narrandi Hebræorum sæpe parum accurato excusari, uti *Clericus* fecit, nam integræ formulæ omissio post לאמר prorsus inusitata est. Error tamen iste perquam antiquus

fuerit

quemadmodum Jova Mosi præceperat et Israelitis. cum ex Aegypto essent egressi. 5. Rubeni quidem pri-

fuerit necesse est, quoniam codex Samaritanus et versio græca cum textu hebræo consentiunt. Ex reliquis vero interpretibus non satis tuto possumus veram lectionem constituere, quoniam omnes variant et nexum verborum faciunt, qui eis facillimus videretur. Vulgatus sic habet: v. 3. *locuti sunt itaque Moses et Eleasar ad eos qui erant* v. 4. *a viginti annis et supra.* Omittit igitur לאמר in quo v. 3. desinit. Quod Syrus quoque facit et supplet v. 4. *et numeravit eos Moses a viginti annis et supra.* Onkelos: *Locutus est Moses et Eleasar sacerdos, et decreverunt numerare eos in campestribus — a viginti annis* etc. Arabs in Polygl. (nam Erpenii consentit pro more cum lectione recepta) v. 3. *Præcepit Moses Eleasari sacerdoti numerationem eorum — in deserto* v. 4. *a filio viginti annorum* etc. — Neque hæc una est hujus loci difficultas. Sequentia verba: *quemadmodum præcepit* etc. non possunt esse verba Mosis ad populum loquentis. Nunquam enim de se in tertia persona loquitur, si ad populum verba facit. Igitur etiam ante כאשר supplendum esset verbum, si initium hujus versus cum præcedenti לאמר connectitur. *Hubigantius* quidem supplet ויעשו *et fecerunt, sicuti præceperat Jova Mosi.* Sequentia *et filii Israel* connectit cum sequenti versu: *Illi autem sunt filii Israel qui Aegypto egressi sunt: 5. Ruben primogenitus Isr.* etc. Ego quidem in loco tantum ex conjectura emendando (nam Kennicottia-

primogeniti Israelitarum filii fuerunt Chanochus, e quo gentilitas Chanochitarum, Phallu, e quo Phalluitæ, 6. Chezron, e quo Chezronæi, Charmi, e quo Charmæi originem habent. 7. Hæ sunt gentilitates Rubenitarum, quorum recensiti sunt quadraginta tria millia septingenti triginta. 8. Phallui filius fuit Eliabus, 9. qui Nemuelem, Datanem et Abiramum filios habuit. Qui Datan et Abiramus socii fuerunt eorum, qui cum Mose et Aarone contendebant, Korachi nimirum et conjuratorum ejus. Qui cum contra Jovam contenderent, 10. terra fissa eos deglutivit. In his quoque Korachum, dum ignis ducentos et quinquaginta consumsit, qui *aliis* essent exemplo. 11. Filii tamen Korachi illorum supplicio non sunt sublati. — 12. Filii Simeonis secundum gentilitates suas fuerunt Nemuel, e quo Nemuelitæ, Jamin, e quo Jaminitæ, Jachin, e quo Ja-

cottiana collatio nihil nos juvat) omitto לֵאמֹר et repeto ad initium v. 4. formulam mandati divini ex v. 2. שְׂאוּ אֶת רֹאשׁ *numerum inierunt eorum qui* etc. Circa alterum membrum hujus versus dubito. Possunt verba inter se connecti, uti ego in versione feci; attamen tunc fortasse ex genio linguæ, quantum ego sentio, repetenda fuisset nota casus: ואת בני Quodsi ובני connectitur cum sequenti versu, formula alias usurpata esse solet: וְאֵלֶּה בְּנֵי יִשְׂרָאֵל. Judicent alii, nihil definio.

chinitæ, 13. Serach, e quo Serachitæ, et Saulus, e quo Saulæi. 14. Quæ Simeonitarum gentilitates numerum efficiunt millium viginti duorum et ducentorum. — 15. Filii Gad fecundum gentilitates fuas fuerunt Zephon, e quo Zephonitæ, Chaggi, e quo Chaggæi, Schuni, ex quo Schunæi, 16. Ofni, ex quo Ofnæi, Eri, ex quo Eræi, 17. Arod, ex quo Arodæi, Areli, ex quo Arelitæ. 18. Recenfitorum ex his Gadi gentilitatibus fuerunt quadraginta millia et quingenti. — 19. Filii Judæ, Er et Onan, qui in Cananæa mortui funt. 20. Verum ex Sela filio Judæ originem habet gentilitas Selanæorum, ex Perezo Parzæorum, ex Seracho Sarchæorum. 21. Perez filios habuit Chezronem, ex quo Chezronitæ, et Chamulum, ex quo Chamulæi. 22. Ex quibus Judæ gentilitatibus in cenfum venerunt feptuaginta fex millia et quingenti. — 23. Filiorum Ifafcharis gentilitates fuerunt Tolæi ex Tola, Puvæi ex Puva, 24. Jafchubæi ex Jafchubo, Schimronæi ex Schimrone. 25. Ex quibus Ifafcharis gentilitatibus cenfiti funt fexaginta quatuor millia et trecenti. — 26. Gentilitates filiorum Sebulonis fuerunt Sardæi ex Seredo, Elonæi ex Elone, Jachlealitæ ex Jachleælo. 27. Ex quibus, qui in cenfum venerunt, fuerunt fexaginta millia et quingenti. — 28. Filii Jofephi fuerunt Manaffe et Ephraim. 29. Et illius qui-

quidem gentilitates fuerunt Machiritæ ex Machire, qui genuit Gileadum, ex quo Gileaditæ orti funt. 30. Hujus Gileadi filii fuerunt Jeferus, ex quo Jeferitæ, Chelek, ex quo Chelkæi. 31. Afriel, ex quo Afrielitæ, Schechem, ex quo Schichmæi. 32. Schemida, ex quo Schemidæi, Chepher, ex quo Chephræi. 33. Zelophchat filius Chepheri non habuit filios, fed filias. Quarum nomina fuerunt: Machla, Noa, Chogla, Milca et Thirza. 34. Numerus ex Manaffis gentilitatibus cenfitorum fuit quinquaginta duo millia et feptingenti. — 35. Ephraimi filii fuerunt Schutelach, ex quo Schutelachæi, Becher ex quo Bechræi, Tachan, ex quo Tachnæi. 36. Schutalach filium habuit Eranum, ex quo Eranæi orti funt. 37. Recenfiti funt ex Ephraimi gentilitatibus triginta duo millia et quingenti. Hæ funt filiorum Jofephi gentilitates. — 38. Benjamin filios habuit Belæum, ex quo Belæi, Afchbelum, ex quo Afchbelæi, Achiramum, ex quo Achiramæi. 39. Schephuphamum, ex quo Schephuphamæi, Chupham, ex quo Chuphamæi. 40. Filii Belæ fuerunt Ard et Naaman, ex quibus gentilitates ejus nominis ortæ funt. 41. Cenfitorum ex Benjamini gentilitatibus fuerunt quadraginta quinque millia et fexcenti. — 42. Dan filium habuit Schuchamum, ex quo Schuchamæi, 43. qui cenfiti numerum effecerunt fexaginta quatuor millium et quadringentorum.

44. Filii Afcheri fuerunt Jimna, ex quo Jimnæi, Jifchoi, ex quo Jifchoæi, Beria, ex quo Beriæi. 45. Beria filios habuit Cheberum, ex quo Chebræi, Malchielem, ex quo Malchielæi. 46. Filiam quoque habuit Afcher nomine Saracham. 47. Ex his Afcheri gentilitatibus recenfiti funt quinquaginta tria millia et quadringenti. — 48. Naphtali filios habuit Jachzeelem, ex quo Jachzeelæi, Gunum, ex quo Gunæi, 49. Jezerum, ex quo Jezræi, Schillemum, ex quo Schillemæi. 50. Ex his Naphtali gentilitatibus in cenfum venerunt quadraginta quinque millia et quadringenti. 51. Numerus Ifraelitarum omnium cenfitorum fuit fexcenta millia et mille feptingenti et triginta. — 52. Tum Jova hæc Mofi dixit: 53. His terra dividatur in poffeffionem pro numero capitum, 54. ita tamen, ut quanto plures aut pauciores effent *in familia*, tanto vel major, vel minor fit poffeffio eis affignanda, quæ pro numero cenfitorum conftituatur. 55. Sorte terra dividatur, fecundum tribuum familias, 56. quæ cuique cum numerofiori, tum pauciori poffeffionem fuam defignet. — 57. Hæ funt Levitarum gentilitates recenfitæ. Ex Gerfchone orti funt Gerfchonitæ, ex Kehato Kehatitæ, ex Merare Meraritæ. 58. Item Libnæi, Chebronæi, Machlæi, Mufchæi, Korchæi. Kehat genuit Amramum. 59. Is uxorem habuit nomine Jochebetam Levi filiam,

quam

quam ei *uxor ejus* in Aegypto peperit *b*). Hæc Amramo peperit Aaronem et Mosen, et Mariam eorum sororem. 60. Aaroni nati sunt Nadab et Abihu, Eleasar et Ithamar. 61. Nadab vero et Abihu mortui sunt, cum alienum ignem Jovæ offerrent. 62. Summa censitorum *de tribu Levi* fuit viginti tria millia. Nimirum omnes mares, qui mensem non excesserant. — Nam inter reliquos Israelitas non censiti sunt, quoniam nullas inter eos possessiones accipiebant. 63. Hic est Israelitarum census a Mose et Eleasare sacerdote peractus in campis Moabiticis ad Jordanum e regione Hierichuntis, 64. in quibus nemo fuit eorum, qui a Mose et Aarone sacerdote censi fuerunt in deserto Sinai. 65. Jova enim minatus eis erat, omnes in deserto esse morituros, nec eorum

b) Verti textum ex lectione recepta, quæ tamen, ut verum fatear, suspecta mihi videtur. Ellipsis nominis *uxoris*, quæ peperit, dura est, et integra formula est contra usum loquendi in hujusmodi genealogiis. Accedit dissensus interpretum antiquiorum; Vulgatus, Syrus et Arabs habent: *quæ nata est ei in Aegypto*. Sic passive legendum est יָלְדָה et redundat אֹתָהּ. Aliter vero *οἱ ό', ἣ ἔτεκε τούτους τῷ Λευὶ ἐν Αἰγύπτῳ*, videntur legisse אֹתָם. Obscure. Ill. *Michaelis* aliis punctis subjectis אתה habet pro nomine proprio uxoris Levi: *die ihm Ata in Aegypten gebohren hatte*. Pluribus egit de hoc loco in Tractatu de legibus Mosis matrimonialibus, §. 36.

eorum quenquam superstitem futurum esse præter Calebum filium Jephunnæ et Josuam Nunis filium.

CAPUT XXVII

Lex de successione filiarum in bona patris qui filios non habet. Designatur a Deo Josua, ut successor Mosis, qui populum in terram promissam ducat.

1. Tum filiæ Zelophchati, filii Chepheri, filii Gileadi, filii Machiri, filii Manassis de Manassis Josephi filii gentilitate; quarum nomina erant Machla, Noa, Chogla, Milca et Thirza: 2. Hæ, inquam, adierunt Mosen, Eleasarem sacerdotem et principes totius cœtus ad introitum tabernaculi, 3. eisque ostenderunt, patrem suum mortuum esse in deserto, eum tamen non fuisse inter eos, qui cum Koracho contra Jovam conjurassent, sed ob suum peccatum *a*) e vita discessisse, neque filios habuisse. 4. Propterea, ne patris nomen e gentilitate sua tolleretur, sese rogare, ut sibi inter patris sui cognatos detur possessio. 5. Cum Moses rem ad Jovam retulisset, 6. hic sic respondit: 7. Aequum est quod Zelophchati filiæ rogant, dato eis hæreditariam possessionem inter consanguineos suos, et jura possessionis paternæ in eas trans-

a) scil. commune illud omnibus Israelitis, qui propter incredulitatem suam intra quadraginta annos commorationis in deserto mortui erant.

transferto. 8. Atque omnino Israelitis hæc debes promulgare: Si quis sine filio moritur, possessio ejus transit ad filiam. 9. Si filiam non habet, tradatur ejus fratribus. 10. Si neque fratres habet, dare debetis ejus hæreditatem fratribus patris sui. 11. Si neque patris fratres supersunt, cedat hæreditas in reliquos de propinquitate ejus et familia. Hoc juris sit inter Israelitas, quemadmodum Jova Mosi præcepit. — 12. Deinde Jova Mosi dixit: Ascende montem Abarim, et prospice ad terram, quam daturus sum Israelitis; 13. quo facto diem tuum obibis, sicut Aaron frater tuus, 14. eo quod mihi non morem gessisti in deserto Sin altercante universo cœtu, qua occasione hunc honorem coram iis mihi tribuere debebatis. (hæ aquæ sunt contentionis Kadeschi in deserto Sin). 15. Ad hæc Moses Jovæ respondit: 16. Utinam Jova omnium mortalium Deus præficiat aliquem huic cœtui, 17. qui dux ejus sit et rerum publicarum curam gerat, *b*) ne similis sit gregi, qui pastorem non habet. 18. Hic erit, inquit Jova, Josua filius Nunis, vir præclaris animi dotibus instructus; huic manum tuam impone, 19. eumque siste coram Eleasare sacerdote et coram universo cœtu, et

b) hebr. *qui eos educat et reducat.* Forma loquendi sæpe obvia: *exire et redire*, pro: res et negotia curare et administrare.

et præsentibus omnibus instrue eum mandatis. 20. Et de tua auctoritate aliquid ei tribue, ut Israelitarum legati ei morem gerant. 21. *In causa dubia* adeat Eleasarem sacerdotem, qui pro eo per Urim c) consulat. Ex ejus sententia ipse et senatus Israelitarum agant. 22. Moses igitur fecit, quod Jova jusserat. Deduxit Josuam ad Eleasarem sacerdotem et Israelitarum legatos. 23. Et manibus impositis rerum publicarum curam ei demandavit, quemadmodum Jova præceperat.

CAPUT XXVIII

Leges de sacrificio quotidiano et de victimis Sabbatho, Neomenia, Paschate et festo septimanarum offerendis.

1. Jova cum Mose hunc in modum est collocutus: 2. Hæc Israelitis promulgato: oblationes mihi sacras, quæ sicut dapes meæ igne mihi immolantur, diligenter curate suis quasque temporibus. 3. Sacrificium vero, ita perges ad eos, quod mihi quotidie offerre debetis, sunt duo agni anniculi sine vitio, 4. quorum alterum mane, alterum circa vesperam facere debetis, 5. una cum decima parte Ephæ similæ et admixta quarta parte Hini olei tusi in fertum.

c) Intelligitur Urim et Tummim in pectorali sacerdotis summi, de quo cf. dicta ad Exod. 28, 30.

tum. 6. Hoc eſt jüge ſacrificium mihi jam ad montem Sinai oblatum ad me placandum a). 7. Libamen ejus conſtet quarta parte hini pro ſingulis agnis, in loco mihi ſacro libandum. 8. Alterum agnum circa veſperam, ſicuti matutinum una cum eodem ferto et libamine faciatis, in ſacrificii odorem mihi accepti. 9. Die ſabbati duos agnos anniculos eosque integros offeretis una cum ferto duarum decimarum ſimilæ et olei admixti et libamine ſuo. 10. Quod ſabbati ſacrificium præter juge ſacrificium cum ſuo libamine offerendum eſt. 11. Noviluniis ſolidum ſacrificium mihi facietis duobus tauris bovillis, ariete uno et ſeptem agnis anniculis integris. 12. In ſingulos tauros fertum conſtet tribus decimis ſimilæ oleo mixtæ, atque in arietes ſingulos duabus decimis ſimilæ itidem oleo conſperſæ. 13. In ſingulos agnos autem ſingulis decimis ſimilæ oleo mixtæ. Cujus ſacrificii odor ad me placandum aſcendet. 14. Vini libatio ſit dimidium hini in ſingulos tauros; tertia pars hini in arietem, et quarta in agnum. Hoc ſit ſolidum ſacrificium ſingulis anni menſibus faciendum 15. una cum hoedo caprino pro ſacrificio piaculari. Præter juge holocauſtum cum libamine ſuo. — 16. Quarto decimo die primi

a) לְרֵיחַ נִיחֹחַ cf. de hac phraſi in ſeqq. ſæpe obvia annotata ad Geneſ. 8, 21.

mi menſis Paſſa eſt mihi ſacrum, 17. et quintodecimo ejusdem menſis feſtum celebratur, per ſeptem dies panibus azymis veſcemini. 18. Primo die ſacer conventus indicitur et ab omni labore debetis abſtinere. 19. Solidum ſacrificium mihi facietis duobus tauris bovillis, ariete uno et ſeptem agnis anniculis iisque integris. 20. Fertum eorum conſtet tribus decimis ſimilæ oleo mixtæ in taurum et duabus decimis in arietem, 21. et ſingulis decimis in ſingulos agnos. 22. Hœdum quoque caprinum ut ſacrificium pro peccato ad vos expiandos, 23. præter ſacrificium matutinum quotidie a vobis offerendum. 24. Hæc ſacrificia per omnes hujus feſti ſeptem dies ad ſuavem mihi odorem excitandum offeretis, præter juge holocauſtum cum libamine ſuo. 25. Die ſeptimo ſacer conventus a vobis indicetur, et omnem laborem intermittetis. — 26. Die primitiarum, quando mihi fertum libatis poſt ſeptem ſeptimanas, ſacrum conventum indicetis, quo ab omni debetis labore abſtinere. 27. Solidum vero ſacrificium facietis duobus tauris bovillis, ariete uno et ſeptem agnis anniculis. 28. Una cum ferto ſimilæ trium decimarum in bovem oleo admixto, duarum decimarum in ſingulos arietes, 29. et in ſingulos agnos ſingularum decimarum. 30. Hoedum caprinum ad vos expiandos, 31. præter juge ſacrificium

cum

tum ferto suo. Quae sacrificia omnis vitii expertia esse debent, ut et eorum libationes.

CAPUT XXIX

Leges de sacrificiis in sacris anniversariis festisque mensis septimi.

1. Primo die mensis septimi sacrum conventum debetis proclamare, quo omnis labor intermittetur. Hoc die buccinis clangetur *a*). 2. Solidum sacrificium facietis ad me placandum, tauro bovillo, ariete uno, agnis anniculis septem iisque integris. 3. Quorum fertum constet tribus decimis similae oleo perfusae in taurum, duabus decimis in arietem: 4. et singulis decimis in singulos septem agnos. 5. Tum hoedum caprinum piacularem ad vos expiandos, 6. praeter holocaustum novilunii cum ferto suo et juge sacrificium cum ferto suo et libatione ex instituto. — 7. Porro decimo die mensis hujus septimi sacrum conventum indicetis *b*), jejunabitis et omni labore abstinebitis. 8. Sacrificia vero, quibus me placetis, sint haec: Juvencus, aries, septem agni anniculi integri. 9. Quorum fertum constet tribus decimis similae oleo perfusae pro juvenco, duabus decimis pro ariete

a) cf. Levit. 23, 24.

b) cf. Levit. 16, 29. 23, 27.

ariete 10. et singulis decimis pro septem singulis agnis. 11. Hoedum caprinum piacularem, præter sacrificium piaculare die expiationis et juge sacrificium cum ferto suo et libamine — 12. Quinto decimo die mensis hujus septimi facer conventus indicetur, quo omnem laborem intermittetis. Festum mihi celebrabitis per septem dies. 13. *Quorum primo* vos mihi expietis his sacrificiis: nempe tredecim juvencis, arietibus duobus et quatuordecim agnis anniculis iisque integris, 14. eorumque ferto, nempe trinis similæ decimis oleo mixtæ in singulos juvencos, binis decimis in arietes, 15. et singulis decimis in singulos agnos, 16. itidem hœdo caprino piaculari; præter juge sacrificium cum suo ferto et libatione. — 17. Secundo die *offeretis* juvencos, duodecim, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim integros 18. cum fertis suis et libationibus in juvencos, arietes et agnos pro numero et ritibus præscriptis. 19. Item hœdum caprinum piacularem, præter holocaustum quotidianum cum ferto suo et libamine. — 20. Tertio die *facietis* undecim juvencos, duos arietes, agnos anniculos quatuordecim vitii expertes, 21. cum fertis suis et libationibus in juvencos, arietes et agnos pro numero et ritibus præscriptis. 22. Item hoedum caprinum piacularem, præter sacrificium juge cum ferto suo et libamine. 23. Quarto die decem

cem juvencos, arietes duos, agnos anniculos quatuordecim eosque integros, 24. cum fertis suis et libationibus in juvencos, arietes et agnos pro numero suo et ritibus præscriptis. 25. Item hœdum caprinum piacularem præter juge sacrificium cum ferto suo et libamine. — 26. Quinto die novem juvencos, arietes duos, quatuordecim agnos, anniculos, vitii expertes, 27. cum fertis suis et libationibus in juvencos, arietes et agnos pro numero suo et ritibus, 28. Item hœdum piacularem præter juge sacrificium cum ferto suo et libamine. — 29. Sexto die juvencos octo, arietes duos, agnos anniculos vitiique expertes quatuordecim, 30. cum fertis suis et libationibus in juvencos, arietes et agnos pro numero et ritu suo. 31. Item hœdum piacularem, præter juge sacrificium cum ferto suo et libamine. 32. Septimo die juvencos septem, arietes duos, agnos anniculos vitii expertes quatuordecim, 33. cum fertis suis et libationibus in juvencos, arietes et agnos pro numero et ritu suo. 34. Item hoedum piacularem præter juge sacrificium cum ferto suo et libamine. 35. Octavus dies, dies festus est, quo ab omni labore abstinebitis, 36. atque sequentia sacrificia mihi ad me placandum offeretis. Juvencum unum, arietem unum, agnos anniculos septem vitii expertes, 37. cum fertis suis et libationibus in ju-

vencum, arietem et agnos pro numero et ritu suo. 38. Item hoedum piacularem præter juge sacrificium cum ferto suo et libamine. 39. His sacra mihi facietis diebus vestris festis, præter vota vestra, aut spontanea sacrificia, aut oblationes, aut libationes, aut sacrificia eucharistica.

CAPUT XXX

Leges de votis.

1. Moses autem retulit ad Israelitas omnia quæ Jova ei præceperat. — 2. Deinde hæc quoque primoribus tribuum Israeliticarum ex auctoritate Jovæ edixit: 3. Si quis Jovæ votum fecerit, aut jure jurando sese obstrinxerit, non revocet votum suum, sed quod ore pronunciavit, præstet. 4. Verum si mulier Jovæ votum nuncuparit, cum adhuc in domo paterna ut puella vivit, 5. et pater audierit votum ejus *et jus jurandum* quo sese obstrinxit, et tacuerit: rata sunt ejus vota, et tenetur jurejurando suo. 6. Quodsi autem pater ejus improbarit ejus votum, aut promissum quo se obstrinxit, utrumque irritum est. Jova ei remittit omnia propter denegatam patris approbationem. — 7. Si porro nupserit, quæ vota suscepit, aut temerario promisso sese obstrinxerit, 8. et maritus eo audito non contradixerit, rata sunt vota ejus, tenetur promisso suo.

9. Quodsi

9. Quodsi vero maritus eam prohibuerit et irritum reddiderit votum aut promissum temere prolatum, Jova ei ignoscet. 10. Votum viduæ aut repudiatæ, quocunque modo sese obstrinxerit, ratum esto. 11. Si mulier domi viri sui voverit, aut jurejurando se obstrinxerit, 12. et vir eo audito non contradixerit, nec eam prohibuerit, rata sunt vota ejus et quæcunque jurejurando promisit. 13. Quodsi vero improbarit maritus cum audiret quæ voveret, aut quibus se obstringeret, irrita sunt omnia, et Jova ei condonabit. 14. Omne votum et omnem jurati jejunii religionem potest maritus ejus ratam et irritam reddere. 15. Qui, si per aliquod tempus non contradixerit, rata fecit ipso illo silentio suo omnia ejus vota aut quæcunque promiserit. 16. Quodsi postea ea dissolverit, illius culpam sustinebit. 17. Hæc sunt instituta quæ Jova Mosi præcepit, virum inter et uxorem ejus, inter patrem et filiam puellam in ædibus paternis adhuc degentem.

CAPUT XXXI.

Bellum cum Midianitis, et prædæ divisio.

1. Tum dixit Jova Mosi: 2. ulciscere Israelitas de Midianitis, postea morieris. 3. Ille igitur jubet populum armare *a*) exercitum, qui contra Midianitas egrediatur, et Jovæ pœnas ab eis expetat, 4. atque hunc in finem ex singulis tribubus millenos seligant. 5. Quo delectu ex Israelitarum copiis habito. duodecim millium exercitus instruitur, 6. quem Moses in expeditionem emittit una cum Pineaso Eleasaris filio sacerdote, qui instrumenta sacra nempe tubas clangoris secum habebat. 7. Igitur hi Midianitas aggressi sunt, sicuti Jova Mosi præceperat, atque omnes mares interfecerunt. 8. Reges quoque Midianitarum quinque, Eveum, Rekemum, Zurum, Churum et Rebam, item Bileamum Beoris filium gladio trucidarunt. 9. Mulieres vero et parvulos captivos abegerunt Israelitæ, jumenta, pecudes et reliquas facultates diripuerunt, 10. oppida vero eorum atque arces igne combusserunt. 11. Quam prædam omnem et rapinam hominum et animalium 12. abduxerunt ad Mosen et Eleasarem sacerdotem et

a) Pro imperativo Niphal הֵחָלְצוּ legendum est sine dubio in Hiphil הַחֲלִיצוּ. Sic οἱ ό, ἐξοπλίσατε. Vulgatus: armate. Syrus: זַיְנוּ Onkelos: זָרִיזוּ.

et ad senatum Israelitarum, qui in campis Moabiticis juxta Jordanum e regione Hierichuntis castra habebant. 13. Tum Moses, Eleasar sacerdos et principes populi eis obviam processerunt extra castra. 14. Moses vero succensuit exercitus ducibus, tribunis et centurionibus, qui de expeditione illa veniebant. 15. Itane vero, inquit, vivas servastis omnes fœminas? 16. At istæ ipsæ Israelitas auctore Bileamo induxerunt, ut a Jova deficerent in festo Peoris, unde cladem istam sacer coetus accepit. 17. Igitur occidite omnes mares impuberes, et mulieres omnes, quæ cum viris rem habuerunt. 18. Fœminas autem impuberes, marium conjunctionis ignaras vobis servate. 19. Vos autem extra castra manete septem dies. Qui hominem interfecit, aut occisum tetigit, expiet se die tertio et septimo. Hoc vos et captivæ vestræ facitote, 20. nec non vestimenta omnia et supellectilem pelliceam et quæ ex pellibus caprinis facta sunt, et omnia instrumenta lignea expiate. — 21. Deinde Eleasar sacerdos militibus, qui ex illo bello redierant, dixit: Hoc vobis Moses ex voluntate Jovæ edicit: 22. aurum, argentum, æs, ferrum, stannum et plumbum, 23. quicquid ignem sustinet, igne adhibito purificate et deinde aqua lustrali expiate. Quicquid autem ignem non sustinet, in aquam immittite, 24. et septimo

die vestes vestras lavate. Sic mundi eritis et tunc in castra poteritis redire. — 25. Tum Jova Mosi dixit: 26. tu adhibito Eleasare sacerdote et principibus familiarum summam subducite captivorum, tum hominum, tum animalium, 27. et divide prædam inter milites, qui ad hanc expeditionem egressi sunt, et inter universum cœtum. 28. Quo facto ab illis sume partem pro me, nempe unum de quingentis, sive homines sint, sive boves, sive asini, sive oves, 29. a dimidia eorum parte hæc accipe et trade ea Eleasari sacerdoti, ut donarium mihi datum. 30. A dimidia vero parte Israelitarum sume quinquagesimam partem hominum, boum, asinorum, ovium et alius pecoris, quam Levitis dabis curam mei tabernaculi gerentibus. 31. Moses igitur et Eleasar fecerunt, quod Jova illi præceperat. 32. Summa autem captorum, quæ milites diripuerant, fuit ovium sexcentorum millium, septuaginta quinque millium, 33. boum septuaginta duorum millium, 34. asinorum unius et sexaginta millium, 35. hominum autem sexus muliebris, quæ virum expertæ non erant, omnino fuerunt triginta duorum millium. 36. Dimidia igitur pars, quam milites accipiebant, fuit ovium trecentorum triginta septem millium et quingentarum. 37. Et pars Jovæ debita ex ovibus, sexcentæ septuaginta quinque. 38. Boum *pars dimidia* fuit triginta

triginta sex millium, e quibus septuaginta duo Jovæ debebantur. 39. Asinorum triginta millium et quingentorum, e quibus unus et sexaginta Jovæ erant reddendi. 40. Hominum sedecim millium, e quibus duo et triginta Jovæ cedebant. 41. Quam donarii Jovæ facti summam Moses Eleasari sacerdoti tradidit ex mandato, quod a Jova acceperat. 42. De dimidia autem parte *prædæ*, quam Israelitæ a militibus accipiebant, 43. quæ constabat ex ovibus trecentis septem et triginta millibus et quingentis, 44. ex bobus triginta sex millibus, 45. ex asinis triginta millibus et quingentis, 46. ex hominibus sedecim millibus: 47. De illa, inquam, Israelitarum parte sumsit Moses quinquagesimam partem hominum et animalium, eamque dedit Levitis, curam sacri tabernaculi habentibus, quemadmodum Jova ipsi præceperat. — 48. Tum duces exercitus, tribuni et centuriones Mosen convenerunt, 49. eique monstrarunt, sese commissos sibi milites recensuisse, nullumque omnino desideratum esse. 50. Igitur offerre se munus Jovæ ex rebus pretiosis quas accepissent, armillas, torques, annulos, inaures, globulos, ut sibi propitium redderent Jovam. 51. Acceperunt Moses et Eleasar sacerdos aurum ab eis, quod constabat vasis artificiose elaboratis, 52. et summa ejus fuit sedecim millium sexcentorum et quinquaginta siclorum.

rum. Quod donarium Jovæ oblatum fuit tantum a tribunis et centurionibus, 53. milites enim gregarii sua sibi servabant. 54. Tum Moses et Eleasar sacerdos illud deposuerunt in tabernaculo conventus in memoriam Israelitarum coram Jova.

CAPUT XXXII

Rubenitæ, Gaditæ, et dimidia tribus Manassis regionem Jordani orientalem pecori alendo aptam sibi a Mose expetunt. Qui precibus eorum concedit, sed sub hac conditione, ut, qui ex eis arma ferre possent, populares suos in occupatione terræ trans Jordanum adjuvarent.

1. Rubenitæ vero et Gaditæ perquam numerosos greges habebant. Cum igitur viderent, terram Jaserem et Gileaditidem alendo pecori esse aptissimam, 2. adierunt Mosen, Eleasarem sacerdotem et principes cœtus, atque hunc in modum apud eos verba fecerunt: 3. Atarot, Dibon, Jaser, Nimra, Cheschbon, Eleale, Sebam, Nebo et Beon, 4. terra, quam Israelitæ Deo juvante occuparunt, terra est pecori alendo apta: nos autem habemus pecus. 5. Rogamus igitur, ut id beneficii nobis concedatis atque hanc terram in possessionem assignetis, neque jubeatis nos Jordanum trajicere. 6. Ad hæc Moses Gaditis et Rubenitis respondit: Itane fratres vestri bellum

bellum gerent et vos hic desidebitis? 7. Cur avertitis animos Israelitarum a transitu in terram, quam Jova eis dedit? 8. Ita quoque fecerunt patres vestri, cum eos misissem ex Cadesch Barnea ad explorandam terram. 9. Venerunt usque ad vallem Eschkol, explorarunt terram, deinde alienarunt mentes Israelitarum, ut nollent terram a Jova eis promissam adire. 10. Quo facto hic iratus juravit, 11. ex illis, qui Aegypto essent egressi, atque annum vicesimum excessissent, neminem terram visurum esse, quam jurejurando Abrahamo, Isaaco et Jacobo promisisset, quia eum sequi recusarent, 12. præter Calebum filium Jephunnæ Kenisitam et Josuam Nunis filium constantes in sua erga eum obedientia. 13. Qua Jovæ ira in Israelitas factum est, ut per quadraginta annos oberrarent in deserto, usque dum consumta esset tota ista hominum generatio, quæ eum tam graviter offenderat. 14. Et jam vos surgitis loco patrum vestrorum, progenies hominum improborum, ut augeatur ira Jovæ in Israelitas. 15. Nam si Jovam sequi detrectaveritis, ulterius populum in deserto detinebit, et sic eum perdetis. — 16. Tum illi pergebant in hunc modum: caulas tantum pecori nostro hic exstruemus et oppida liberis nostris. 17. Nos vero armati Israelitas præcedemus, donec eos ad loca sua perduxerimus. Interea

terea maneant parvuli nostri in oppidis munitis, ut tuti sint ab hujus terræ incolis. 18. Non domum revertemur, donec Israelitæ ad suas possessiones pervenerint. 19. Neque enim cum illis fundos nobis expetemus trans Jordanum et ulterius, si nostras possessiones fortiti fuerimus in citeriori parte Jordani orientali. 20. Tum Moses eis respondit: Si hoc facietis, si armati ad bellum præsente Jova procedetis, 21. et sic quoque Jordanum trajicietis, tum demum redituri, cum ille hostibus suis expulsis 22. terram sibi subjecerit: vos promissis vestris apud Jovam et Israelitas soluti eritis, atque hanc terram favente vobis Jova possidebitis. 23. Sin minus, scitote vos contra Jovam peccare, vestrique peccati poenas esse daturos. 24. Aedificate oppida parvulis vestris et caulas pecori vestro, verum præstate quoque quod promisistis. 25. Ad hæc Gaditæ et Rubenitæ Mosi responderunt: Utique faciemus, quod tu, domine, jussisti. 26. Parvuli nostri, mulieres nostræ, pecus et jumentum remanebunt in oppidis Gileaditicis; 27. Nos vero armati præsente Jova ad bellum procedemus, quemadmodum dominus noster dixit. — 28. Tum Moses Eleasari sacerdoti, Josuæ filio Nunis et principibus tribuum Israeliticarum præcepit: 29. Si Gaditæ et Rubenitæ vobiscum Jordanum armati ad bellum trajecerint,

rint, et terra a vobis occupata est, dabitis eis terram Gileaditicam in possessionem. 30. Sin minus, accipient suas possessiones inter vos in Cananaea. 31. Tum denuo Gaditae et Rubenitae polliciti sunt, se facturos esse quod Jova jusserit: 32. se velle armatos in Cananaeam coram Jova trajicere, suas sibi manere possessiones cis Jordanum. 33. Sic Moses Gaditis, Rubenitis et dimidiae tribui Manassis filii Josephi dedit regnum Sichonis Amoritarum regis et regnum Ogi regis Basanis, terram cum suis oppidis, quam longe lateque in toto circuitu suo patebat. 34. Gaditae aedificabant Dibon, Ataroth, Aroer, 35. Atrot, Schophan, Jaser, Jogbehah, 36. Bethnimra et Bethcharan, oppida munita, et caulas pecori. 37. Rubenitae aedificabant Chesbon, Elale, Kiriatajim, 38. Nebo, Baalmeon mutatis nominibus, et Sibmam, quibus urbibus a se instauratis *pristina* nomina reliquerunt. 39. Posteri Machiri filii Manassis expeditionem fecerunt in Gileaditidem, eamque occuparunt ejectis incolis Amoriticis. 40. Quibus propterea Moses eam regionem habitandam assignavit. 41. Jair vero Manassis nepos villas *Amoritarum* cepit, easque Jairi villas vocavit. 42. Nobach cepit Kenatham ejusque municipia, eamque ex nomine suo Nobacham nominavit.

CAPUT

CAPUT XXXIII

Stationes Israelitarum toto itinerum suorum tempore, ex quo Aegypto erant egressi 1—49. Novum de Cananitis expellendis et exstirpanda omni idololatria praeceptum 50—56.

1. Hae sunt profectiones Israelitarum, cum ex Aegypto ductu Mosis et Aaronis secundum agmina sua essent egressi. 2. Literis eas consignavit Moses secundum stationes *a*) quas ex voluntate Jovae fecerunt. Sunt vero sequentes: 3. Profecti sunt ex Raemse quinto decimo die primi mensis postridie paschatis potenter vindicati *b*) spectantibus omnibus Aegyptiis, 4. qui primogenitos a Jova occisos sepeliebant. A diis adeo eorum Jova poenas sumserat. 5. Ex Ramse igitur profecti Israelitae castra posuerunt in Succoth. 6. Inde in Etham, quod in extremo deserti. 7. Ex Ethamo profecti converterunt versus Pihachiroth, quod est e regione Baal Zephon, et castra fecerunt ante Migdol. 8. Ex Pihachiroth profecti mare transierunt in desertum atque itinere trium dierum in deserto Etham confecto,

a) מַסָּע et מוֹצָא sunt synonyma. Indicant vero loca in quibus Israelitae ad tempus aliquod cum castris suis commorati sunt.

b) hebr. בְּיָד רָמָה *manu elata.* cf. Exod. 14, 3. Sequens versus haec verba explicat.

ĉto, caſtrametati ſunt in Mara. 9. Ex Mara profeĉti venerunt Elimam, ubi duodecim fontes et ſeptuaginta palmas inveniebant, ibique caſtra poſuerunt. 10. Ex Elima profeĉti caſtrametati ſunt ad ſinum Arabicum, 11. inde in deſerto Sin, 12. inde in Dophka, 13. inde in Aluſch, 14. inde in Rephidim, ubi aqua carebant; 15. inde in deſerto Sinai, 16. inde ad ſepulcra deſiderii, 17. inde in Chazeroth, 18. inde in Rithma, 19. inde in Rimmonperez, 20. inde in Libna, 21. inde in Riſſa, 22. inde in Kehelata, 23. inde ad montem Schepher, 24. inde in Charata, 25. inde in Makheloth, 26. inde in Tachat, 27. inde in Tarach, 28. inde in Mitka, 29. inde in Chaſchmona, 30. inde in Moſerot, 31. inde apud poſteros Jakanis, c) 32. inde in Horhaggidgad, 33. inde in Jotbata, 34. inde in Abrona, 35. inde in Ezjongeber, 36. inde in deſerto Sin, ſive Kadeſch, 37. inde ad montem Hor in finibus Moabiticis. 38. Hunc montem aſcendit Aaron ſacerdos ex voluntate Jovæ, ibique mortuus eſt, anno quadrageſimo poſt exitum Iſraelitarum ex Aegypto, die primo menſis quinti, 39. cum annum ageret centeſimum tertium et viceſimum. 40. Tum rex Cananitarum Arat in traĉtu meridionali Cananææ de adventu Iſ-

rae-

c) De diſſenſu h. l. ab Deut. 10, 6. dicetur ad illum locum.

raelitarum audivit *d*). 41. Ex monte Hor profecti castra habuerunt in Salmona, 42. inde in Phunan, 43. inde in Obot, 44. inde in Jjje Abarim, in terminis Moabitarum, 45. inde in Dibongad, 46. inde in Almon Diblatajim, 47. inde in montibus Abarim e regione Nebonis, 48. inde in campis Moabiticis ad Jordanum e regione Hierichuntis. 49. Quae eorum castra ad Jordanum sese extendebant inde a Bethjeschimoth usque ad Abel Schittim per campestria Moabitarum. 50. Ibi Jova Mosi haec dixit: 51. Admone Israelitas; ut, quum trajecto Jordane in Cananaeam venerint, 52. expellant omnes ejus incolas, lapides figuris inscriptos et fusa simulacra perdant, et sacella in locis altis exstructa destruant. 53. Quo facto terram incolant, nam ego eam ipsis possidendam dedi. 54. Sorte vero terram dividant secundum familias, ita ut quo vel plures, vel pauciores in familia sint, eo vel plus, vel minus possideant; et quem cuique locum sors assignaverit, eum habeat. Secundum tribuum familias possessiones dividant. 55. Quodsi non ejecerint terrae incolas, quos reliquerint, fient illis quasi aculei in oculis et spinae in lateribus; eosque affligent in terra quam inhabitant. 56. Tunc quod ego illis facere decreveram, id ipsis faciam.

CAPUT

d) cf. Num. 21, 1. seqq. ubi historia haec narratur.

CAPUT XXXIV

De terminis terræ promiſſæ ejusque inter novem tribus et dimidiam diſtributione.

1. Porro Jova cum Moſe locutus eſt in hunc modum: 2. Hæc Iſraelitis edicito: Cum jam perventuri ſitis in terram Cananæam ſorte inter vos diſtribuendam, termini ejus ita ſunt conſtituendi. 3. Terminus extremus meridionalis ſit a deſerto Sin juxta Edomum. Qui termini meridionales inde ab extremo maris ſalſi verſus orientem pateant, 4. vergant porro ad juga montium Akrabbim, inde ad Sinam, pertingant a meridie ad Kadeſchbarneam, Chazar Adarem, Azmonam. 5. Ab Azmona convertant ſe ad fluvium Aegypti, atque deſinant in mari. 6. Terminum occidentalem conſtituit mare magnum, quod vobis eſt ab occidente. 7. Terminus ſeptentrionalis ſit vobis a mari magno, unde lineam ducetis ad montem Hor. 8. Inde ad Chamatam, porro pergat ad Zedadam, 9. porro ad Siphronam et tandem Chazar Enanem. Hic t terminus veſter a ſeptentrione. 10. Meridionalem terminum deſignetis a Chazar Enane verſus Schephamam. 11. Inde deſcendat ad Riblam ab Oriente fontis a) *Jordani*; inde pertingat ad ripam Orientalem

a) Intelligitur lacus ille, a figura rotunda *Phiala* dictus, ex quo

talem lacus Cinnereth. 12. Pergat ulterius ad Jordanum, et tandem desinat in mari salso. Hæc sit vobis terræ descriptio secundum terminos suos. — 13. Porro Moses Israelitis his verbis præcepit: Terram hanc secundum sortem distribuere debetis ex voluntate Jovæ inter novem tribus et dimidiam. 14. Nam Rubenitæ, Gaditæ et dimidia tribus Manassis possessiones secundum familias suas acceperunt 15. cis Jordanum e regione Hierichuntis versus Orientem. 16. 17. In hac vero terræ divisione, sic pergebat Jova ad Mosen, adhibere debetis Eleasarem sacerdotem et Josuam filium Nunis, 18. atque ex singulis tribubus singulos principes. 19. Quorum nomina hæc sunt: E tribu Juda Caleb filius Jephunnæ. 20. E tribu Simeon Samuel filius Ammihudi. 21. E tribu Benjamin Elidad filius Cisloni. 22. E tribu Dan, ejus principem Bukkum filium Jogli. 23. Ex posteris Josephi et quidem e tribu Manassis principem Channielem filium Ephoti. 24. E tribu Ephraimi principem Kemuelem filium Schiphtani. 25. E tribu Sebulon principem Elisaphanem filium Parnachi. 26. E tribu Issacharis principem Paltielem filium Assani. 27. E tribu Ascheri principem Achihudum filium Schelomi. 28. E

quo Jordanus oritur. cf. *Bachiene* in descriptione Palæstinæ P. I. p. 134.

E tribu Naphtali principem Pedaelem filium Ammihudi. 29. Hæc ſunt quæ Jova præcepit quoad diviſionem terræ Cananææ inter Iſraelitas.

CAPUT XXXV

De oppidis Levitarum et de aſyli oppidis, ad quæ, qui alium caſu occiderit, confugeret.

1. Item Jova cum Moſe in campis Moabiticis ad Jordanum e regione Hierichuntis ſic locutus eſt: 2. Jube ut Iſraelitæ de ſuis poſſeſſionibus Levitis oppida quædam et pomœria in eorum circuitu aſſignent. 3. In oppidis habitent Levitæ, pomœria vero inſerviant eorum jumentis, pecori et omnis generis poſſeſſionibus. 4. Quod ad pomœria oppidorum attinet, quæ Levitis dare debetis, ea foras extra murum oppidi mille cubitos pateant. 5. Nimirum menſurabitis extra oppidum a latere orientali duo cubitorum millia, totidem a latere meridionali, occidentali et ſeptentrionali. Ipſum autem oppidum ſit in medio. Sic ſe habeant omnia oppidorum pomœria. 6. In oppidis autem quæ Levitis dare debetis, ſunt ſex illa aſyli oppida, ad quæ homicida perfugere poteſt, præter ea vero adhuc duo et quadraginta. 7. Omnino igitur duo de quinquaginta cum ſuis pomœriis. 8. Oppida autem quæ de poſſeſſionibus veſtris Levitis dabitis, ita diſpertiantur,

ut

ut quo vel majores, vel minores illæ sint, eo vel plura vel pauciora oppida hunc in usum conferantur. — 9. Porro Jova sic cum Mose est collocutus: 10. Edicito Israelitis: quando Jordanum in Cananæam trajeceritis, 11. seligatis oppida certa, quæ oppida asyli vocentur, ad quæ homicida perfugiat, talis nimirum, qui alterum per imprudentiam occiderit. 12. Hæc igitur oppida asylum ei præstent a vindice sanguinis, *a*) ne indicta causa moriatur.

a) Hebraice vocatur גֹאֵל de quo accurate egit Ill. *Michaelis* in Jure Mosaico P. II. §. 131. seqq. Nimirum ille גֹאֵל minime a Mose fuit constitutus, ut ex homicida vindictam peteret, sed ex antiquissimo more hoc fuit receptum inter Hebræos, et omnino inter Arabes, (inter quos etiamnum hic mos obtinet,) ut proximus ex cognatione, qui גֹאֵל vocabatur, homicidam persequeretur et quocunque modo posset, sive vi manifesta, sive per insidias cædem ulcisceretur, et qui hoc facere recusaret, ignominia afficeretur maxima. Igitur cum Moses videret, Israelitas hunc a majoribus suis traditum morem ægre esse mutaturos, ejus rigorem et hinc quoque incommoda multa, quæ ex eo proveniebant, lege hac sapienter mitigavit, ita ut non nisi reus Goeli h. e. sanguinis vindici traderetur; innocens vero, qui casu, non animo malo, aliquem interfecisset, in vita conservaretur. Plura dabit lectu digna *Michaelis* l. l.

riatur. 13. Quorum oppidorum ſex debetis conſtituere. 14. Tria cis Jordanum, tria in Cananæa. 15. Tum vobis, tum peregrinis, aut advenis apud vos degentibus hæc ſex oppida aſylum præbeant, ut eo confugere poſſit, quicunque aliquem per imprudentiam interfecerit. 16. Qui aliquem inſtrumento ferreo læſerit, ut moriatur, homicida eſt, ſupplicio afficiendus. 17. Qui lapide letifero e manu projecto aliquem percuſſerit ut moriatur, mortis pœnam is ipſe luat. 18. Item, ſi idem ſit cum inſtrumento ligneo. 19. Vindex ſanguinis poteſt homicidam interficere, ubicunque ei occurrerit. 20. Si quis alium per odium impulerit, aut per inſidias aliquid in eum jecerit ut moriatur, 21. aut ex inimicitia eum manu percuſſerit ut moriatur, capitis poenam luat hujusmodi homicida; ſanguinis vindex eum interficere poteſt ubicunque ei occurrerit. 22. At ſi eum fortuito, non animo hoſtili impulerit, aut inſtrumento aliquo, nec tamen inſidioſe, eum læſerit, 23. aut lapidem in eum dejecerit, ut moriatur, cum tamen hoſtis ejus non fuerit, nec malum ei intenderit; 24. tum judicet magiſtratus inter homicidam et ſanguinis vindicem ex his legibus, 25. atque illum ab hoc defendat et reducat in oppidum aſyli ad quod confugerat, ibique maneat usque ad mortem pontificis maximi ſacro oleo uncti. 26. Si

hujusmodi homicida egressus fuerit extra terminos oppidi, ad quod suæ salutis causa confugerat, 27. et inciderit ibi in eum sanguinis vindex et occiderit eum, cædem non commisit. 28. Etenim manere debebat in urbe asyli usque ad mortem pontificis maximi, et tum demum domum suam redire poterat. 29. Secundum has leges semper apud posteros vestros in omnibus oppidis debet judicari. 30. Qui alium interfecerit ex testimonio *duorum aut plurium*, supplicio afficiatur. Unus tamen testis in causa capitali admittendus non est. 31. Pretium pro vita homicidæ non accipiatis, reus moriatur. 32. Neque pretium accipiatis pro redimenda fuga ad urbem asyli, ut *homicida* redire ad patriam suam possit antequam sacerdos *summus* moriatur. 33. Ne profanetis terram, quam inhabitatis. Cædes vero commissa profanat eam, nec potest expiari, nisi sanguine homicidæ. 34. Ne polluatis terram, quam incolitis, ego ipse in ea habito. Ego Jova habito inter Israelitas.

CAPUT


CAPUT XXXVI

Lex de filiabus hæredibus, ne per matrimonia bona sua in aliam tribum transferant, sed nubant suis tribulibus.

1. Tunc patres familiarum cognationis Gileadi filii Machiris nepotis Manassis, ex posteris Josephi, adierunt Mosen et principes tribuum Israeliticarum, 2. atque in hunc modum apud eos verba fecerunt: Jova dominum nostrum jussit terram sorte inter Israelitas distribuere, et tamen idem jussit possessionem Zelophchadi contribulis nostri filiabus ejus dari *a*). 3. Quodsi igitur cuidam ex alia tribuum Israeliticarum nupserint, possessio earum a possessione familiarum nostrarum avelletur et accrescet possessioni ejus tribus in quam nupserint. Quo facto sors possessionis nostræ imminuetur. 4. Nam anno jubilæo earum possessio addetur possessioni ejus tribus, cui junctæ sunt et sic earum possessio de possessione tribus nostræ detrahetur. 5. Ad hæc Moses Israelitis ex voluntate Jovæ sic respondit: Recte monuerunt tribules Josephitarum: 6. propterea sic pronuntiat in hac causa filiarum Zelophchadi: nubant pro lubitu, dummodo de familia tribus paternæ nubant. 7. Neque enim Israelitarum possessiones ab una tribu in aliam transferentur, sed quisque in possessione tribus pa-

a) cf. Cap. 27.

ternæ maneat. 8. Filia igitur Israelitica, cujuscunque tribus ea sit, possessionis cujusdam hæres facta, nubat alicui de familia tribus paternæ. Sic Israelitæ manebunt in suis patrimoniis. 9. Neque transferetur possessio ex una tribu in aliam. Quilibet enim in suo patrimonio maneat. 10. Atque ita etiam, ut Jova Mosi præceperat, fecerunt filiæ Zelophchadi. 11. Nupserunt Machla, Tirza, Chogla, Milca, Noam, Zelophchadi filiæ, patruelibus suis 12. in gentilitatibus posterorum Manassis, Josephi filii. Et sic mansit earum patrimonium in tribu paternæ familiæ. 13. Hæc sunt præcepta et jura, quæ Jova per Mosen Israelitis dedit in campestribus Moabiticis ad Jordanum e regione Hierichuntis.



DEV-



DEVTERONOMIUM

CAPUT I

*Argumentum libri. Sermones Mosis ad Israelitarum praefectos * non ita longe ante mortem suam habiti v. 1—4. In primo sermone Moses repetit partem rerum gestarum ab Israelitis in deserto. Primo seditionem, quam exploratorum timiditas excitasset, et poenam subsecutam v. 5—46.*

1\. Hi sunt sermones, quos Moses ad Israelitas habuit, cis Jordanum in deserto, in planitie e regione Suphae inter Paran, Tophel, Laban, Cha-

* Facile intelligitur, Mosen hos sermones, qui in hoc libro leguntur, non ad omnes Israelitas habuisse, quanquam hoc primi versus dicere videntur. Quomodo enim Moses coram tot hominum millibus, quorum castra circuitum aliquot milliarium germanicorum occupabant, tam clara voce loqui potuisset, ut omnes eum audirent? Sed repetenda est h. l. observatio, quam supra Levit. 8, 3. adscripsimus, Mosen semper cum populo egisse per legatos s. deputatos ejus, qui mandata Mosis referebant ad singulos. Coram hoc igitur senatu ex omnibus tribubus electo Moses hos sermones habuit et deinde literis mandavit, ut eorum memoria semper in populo servaretur.

Chazeroth et Dishahab. (2. Undecim dierum iter est ab Horebo ad Kadesbarneam, via per regionem montanam Seiri facta.) 3. Anno quadragesimo, primo die mensis undecimi Moses ad Israelitas ex mandato Jovæ hunc in modum locutus est: 4. postquam Sichonem Amoritarum regem Chesbone sedem suam habentem, et Ogum Basanis regem Aschtaroto regnantem Edreæ a) profligaverat. 5. Cis Jordanum in terra Moabitica incepit Moses legem his verbis explicare: 6. Jova Deus vester in Horebo sic nobis dixit: Jam satis diu in hoc monte estis commorati. 7. Convertite vos atque aggredimini regionem montanam Amoritarum, et loca eis finitima, tum campestria, tum montana, tum convallium, tum meridiana, tum maritima, terram Cananitarum et Libani usque ad flumen magnum Euphratem. 8. Addixi vobis hanc terram, occupate eam. Jurejurando promisi eam majoribus vestris Abrahamo, Isaaco et Jacobo, eorumque posteris. — 9. Circa illud tempus vobis monstravi, me solum non posse diutius vos sustinere. 10. Jova Deus vester, inquiebam, vos ita auxit, ut jam stellarum multitudinem æquetis. 11. Augeat vos Deus ille patrum vestrorum millecuplo, vosque prouti promisit, fortunet. 12. Sed quomodo ego solus feram onus, res

a) cf. Cap. 3, 1.

res et lites veſtras? 13. Igitur circumſpicite viros ſapientiſſimos, prudentiſſimos et ſpectatiſſimos tribuum veſtrarum, quos vobis præficiam. 14. Tum vos approbaſtis quæ dixeram. 15. Ego igitur delegi tribuum veſtrarum capita, viros ſapientes et ſpectabiles, quos vobis Chiliarchos, Centuriones, Pentecontarchos, Decuriones et tribunos conſtitui. 16. Atque hortatus ſum hos judices veſtros, ut audirent controverſias popularium ſuorum, atque ex æquo dirimerent, cum inter illos, tum inter peregrinos, 17. ut nullum in judiciis perſonarum reſpectum haberent, ſed tenuem æque ac potentem audirent, et neminem timerent, nam judicium Dei eſſe. Cauſſas vero difficiliores ad me referrent, has me eſſe dijudicaturum. 18. Simul alias leges tunc vobis promulgabam. 19. Quibus conſtitutis ab Horebo profecti peragravimus deſertum illud magnum et horribile, quod noſtis, verſus regionem montanam Amoritarum, quemadmodum Jova Deus noſter præceperat, et ſic pervenimus usque ad Kadesbarneam. 20. Ibi vobis dicebam: jam veniſtis ad Amoritarum montes, quos Jova Deus noſter nobis tradidit. 21. Hic vobis hanc terram donavit, aſcendite, occupate eam, quemadmodum Jova Deus majorum veſtrorum vobis juſſit, nolite timere, aut conſternari. 22. Tum vos omnes me conveniſtis

atque

atque indicaſtis, placere vobis exploratores præmittere *b*), qui vos certiores faciant de via qua aſcendendum ſit et de urbibus quas eſſetis aggreſſuri. 23. Et mihi quoque hæc placuerunt, igitur delegi e vobis duodecim, ſingulos ex ſingulis tribubus. 24. Qui cum montes eſcendiſſent, pervenerunt ad vallem Eſchkol. Atque regione explorata 25. ſecum ſumſerunt de terræ frugibus: et ad nos reverſi retulerunt, terram, quam Jova Deus noſter nobis donaſſet, bonam eſſe. — 26. At vos noluiſtis aſcendere et rebellaſtis contra Jovam Deum veſtrum, 27. et murmurantes in tabernaculis veſtris dixiſtis: Jovam odio permotum vos ex Aegypto eduxiſſe, ut vos Amoritis objiceret trucidandos. 28. Nunc neſcire quo vos verteritis, populares veſtros timidos vos feciſſe, qui retuliſſent populum iſtum eſſe vobis et majorem et potentiorem, urbes maximas et ad cœlum usque munitas; Troglodytas quoque ſe vidiſſe. — 29. Equidem vos hortabar, ne terreremini, aut eos timeretis. 30. Jovam Deum veſtrum, qui vos præcederet, pro vobis eſſe pugnaturum, quemadmodum vobis ſpectantibus fecerit

b) Num. 13, 1. ſeqq. narratur Moſen juſſu Dei hos exploratores miſiſſe. Quæ ſic poſſunt conciliari, Deum populi incredulitati conceſſiſſe et permiſiſſe, ut exploratores mitterentur.

cerit cum Aegyptiis; 31. tum quoque in deserto; in quo vos ab eo sic esse portatos, ut a patre filium toto eo itinere, quod fecissetis, donec ad huc locum perveneritis. 32. Sed vos ea in re fidem Jovæ Deo vestro non habuistis, 33. qui vobis præibat, ad locum stationibus vestris explorandum, noctu in igne, ut viam qua incederetis monstraret, interdiu autem in nube. 34. Cum vero Jova sermones vestros audiret, iratus juravit: 35. neminem ex tam pravo hominum genere visurum esse terram, quam eorum majoribus jurejurando interposito promisisset, 36. præter Calebum Jephunnæ filium, eum visurum esse terram, quam peragrasset, et posteri ejus, quod constanti in se reverentia fuisset. 37. Mihi quoque Jova succensuit vestra causa *c*), neque tu, inquiebat, eam ingredieris. 38. Sed Josua Nunis filius famulus tuus. Huic animum adde, is enim Israelitas in terræ ejus possessionem immittet. 39. Parvuli vestri, quos dicebatis prædam *hostium* futuros esse, et liberi, qui discrimen inter bonum et malum adhuc ignorant, hi eo venient, his eam dabo possidendam. 40. Vos igitur revertimini in desertum versus sinum Arabicum. 41. Ad hæc

c) Sed alia longe occasione et diu post illam populi seditionem. Historia legitur Num. 20, 1. seqq.

hæc mihi refpondiftis: Peccavimus in Jovam, volumus afcendere et aggredi *hoftem*, et fimul armis fumtis parati fuiftis *d*) ad expeditionem fufcipiendam. 42. Jova autem juffit, ut vos ab ea dehortarer, ne ab hofte cæderemini, fe enim vobis non effe adfuturum. 43. Sed quanquam hoc vobis indicaram, tamen non morem geffiftis, et contra Jovæ voluntatem pertinaciter montem contendiftis. 44. Igitur Amoritæ hos montes incolentes vos aggreffi funt et perfecuti, uti apes folent, et cæciderunt vos a Seire usque ad Chormam. 45. Tum reverfi fleviftis coram Jova, ille vero non audivit preces veftras. 46. Manfiftis igitur Kadefchæ per tempus bene longum, uti noftis.

CAPUT

d) hebr. תָּהִינוּ quod ἅπαξ λεγ. ex arabico هان explicandum, pro duplici fua fignificatione (*Golius* p. 2593.) duplicem fenfum admittit. Nam هان fignificat *lenis*, *facilis fuit*, hinc תָּהִינוּ verti poteft: *faciles vos præbuiftis ad afcendendum.* Idem vero verbum in IV. conjugatione eft *defpexit*, *vilipendit*, hinc fenfus effet: *rem nullius negotii putaftis montem afcendere*, vel, *contemfiftis* fc. mandatum Dei. Priorem fenfum præfero propter locum parallelum Num. 14, 40. cf. *Lud. de Dieu* in Crit. S. ad h. l. et *Schultenfius* in Animadv. philol.

CAPUT II

Pergit Moses in commemorandis iis, quæ Israelitis in Edomitarum, Moabitarum et Ammonitarum finibus evenissent. De victoria ex Sichone rege Hesbonis.

1. Tandem profecti sumus in solitudinem versus sinum Arabicum, quemadmodum Jova mihi præceperat, atque per complures annos montes Seiriticos circumivimus *a*). 2. Quibus exactis Jova mihi dixit: 3. Jam satis circa hunc montem vagati estis, convertite vos versus septentrionem. 4. Sed populo præcipe *meo nomine* his verbis: Mox transituri estis fines fratrum vestrorum *b*) ex Esavo progenitorum Seiram incolentium. Timent vos. Sed cavete diligenter, 5. ne eos infestetis. Nam de eorum terra ne minimam quidem partem *c*) vobis concedam, sed Esavitis Seiri montes in possessionem assignavi. 6. Cibum et potum ab eis pecunia emetis. 7. Fortunavi vos in negotiis vestris *d*) omnibus. Curam

a) cf. Num. 21, 4. seqq.

b) Videntur Edomitæ Israelitis ab initio transitum concessisse, coll. v. 29. quem postea eis denegarunt Num. 20, 20.

c) hebr. *usque ad calcationem plantæ pedis.*

d) Ex hoc versu clarum est, Israelitas quadraginta illis peregrinationum suarum annis ab aliarum gentium consuetudine non separatos vixisse, sed negotia exercuisse cum illis gentibus, in quarum finibus degebant.

Curam veſtri geſſi ſingularem in itinere per vaſtam illam ſolitudinem. His quadraginta annis vobis ita adſui, ut nulla re egeretis. — 8. Deflleximus igitur ab Eſavitis *e*), noſtris conſanguineis Seiram incolentibus, e locis campeſtribus Ela et Ezeongebere, atque progreſſi ſumus in ſolitudinem Moabiticam. 9. Ibi Jova mihi interdixit infeſtare aut bello laceſſere Moabitas, nolle enim ſe de eorum terra quicquam nobis concedere, quod Loti poſteris Aram aſſignaſſet. (10. Emæi olim hanc terram inhabitarunt, populus magnus et potens, et ſtatura uti Enakæi procera *f*). 11. Gigantibus annumerandi ſunt

e) ſcilicet cum ulteriorem tranſitum denegabant. Num. 20, 20.

f) In hoc verſu et duobus ſequentibus, infra verſu 20 — 23. et Cap. 3, 9 — 11. et 14, 13. inſerta ſunt nonnulla de origine et ſedibus gentium quarundam antiquiſſimis, quæ vel prorſus non ſunt a Moſe, ſed ab alia manu hiſtoriæ illuſtrandæ cauſa addita, *vel*, ſi ipſe Moſes hæc ſcripſerit, (quod nolim fidenter negare) factum hoc eſt, cum hos ſermones ad populi legatos habitos literis mandabat. Nam cum conſilium Moſis eſſet, populo in mentem revocare, quid ipſe egiſſet, prorſus fuiſſet alienum in illo cœtu commemorare, quæ gentes olim has regiones incoluiſſent, a quibus expulſæ, quæ in earum locum ſucceſſerint, quæ diverſa earum fuerint nomina. Quoniam poſterius ſatis probabile mihi videtur, עֵשָׂו de Iſraelitis dictum verſ. 12. verti in

ſunt uti Enakæi, ſed Moabitæ eos vocarunt Emæos. 12. Seiram olim incolebant Choritæ, ſed Eſavitæ eos ejecerunt et perdiderunt, et in eorum locis conſederunt, quemadmodum Iſraelitæ faciunt regionibus, quas Jova eis poſſidendas dedit.) 13. Et juſſit nos flumen Saredum trajicere, quod etiam fecimus. 14. Tempus autem quo in itinere fuimus a Kadeſchbarnea, donec flumen Saredum trajecimus, fuit octo et triginta annorum, usque dum omnes ad bellum idonei e caſtris eſſent conſumti, quemadmodum Jova jurejurando minatus erat, 15. qui ipſe eis adverſatus eſt atque e caſtris ad unum omnes vi ſuſtulit. 16. Iſtis vero omnibus morte ſublatis, 17. Jova mihi hæc dixit: 18. Tu mox præteribis Moabitarum terminos juxta Aram, 19. atque accedes ad Ammonitas, ſed noli eos infeſtare, aut bello laceſſere. Nihil enim de eorum terra tibi dabo, quippe eam Lothi poſteris aſſignavi. (20. Hæc quoque regio gigantum fuiſſe putabatur *g*), quam olim inhabitarint. Ammonitæ eos vocabant Samſummim. 21. Populus magnus et potens, corporis proceritate ut Enakæi. Sed Deo juvante Ammonitæ eos deleverunt atque eis ejectis ſedes eorum occuparunt. 22.

in tempore præſenti, quod ex ſignificatione temporum hebræorum indefinita fieri poſſe ſatis conſtat.

g) cf. notata ad verſ. 10.

22. Quod idem fecerat Esavitis Seiram incolentibus. Perdidit propter eos Choritas, ut his expulsis loca eorum etiamnum inhabitent. 23. Sic Auvæos in villis usque ad Gazam habitantes Caphthoræi ex Caphtore egressi exterminarunt, atque eorum sedes occuparunt.) 24. Jam castra movete et trajicite Arnonem fluvium: tradidi vobis Sichonem Chesbone sedentem regem Amoritarum et terram ejus. Incipite jam occupare, hunc bello impetite. 25. Inde ab hoc die incipiam tanto vestri terrore et timore omnes terrarum orbis gentes percellere, ut qui de vobis audierint contremiscant et expavescant. 26. Miseram autem ex deserto Kedemoth legatos Chesbonem ad Sichonem regem, qui verbis humanissimis rogarent, 27. ut rectà via transitum per terram suam concederet, nos in neutram partem esse deflexuros, 28. cibum et potum parata pecunia emturos, nihil amplius quam transitum nobis permitteret: 29. Eundem nobis concessisse Esavitas Seiram et Moabitas Aram incolentes, donec trajecto Jordano pervenerimus ad terram, quam Jova Deus noster nobis destinavit. 30. Noluit autem Sichon rex Chesbonis transitum nobis concedere, sed obfirmavit, Jova Deo nostro sic rem dirigente, mentem animumque suum, ut in nostram veniret potestatem, quod etiam factum est. 31. Jova enim mihi indica-

dicarat, se velle Sichonem et terram suam nobis tradere, initium igitur faceremus eam occupandi. 32. Cum igitur Sichon cum exercitu suo nobis obviam procederet ad prælium nobis Jahzæ committendum, 33. Jova Deus noster eum nobis tradidit, ut eum, filios ejus et exercitum profligaremus. 34. Quo facto oppidis ejus potiti sumus, quæ cum incolis suis, mulieribus etiam et liberis delevimus, neminem superstitem esse sivimus, 35. tantum pecora et prædam urbium occupatarum nobis diripuimus. 36. Ab Aroere, quod est ad Arnonem fluvium, et ab urbe, quæ est in insula illius fluminis usque ad Gileaditidem, nullum fuit oppidum, quod non expugnassemus. Jova Deus noster nobis omnia tradidit. 37. Tantum regionem Ammonitarum non accessistis; omnem illum tractum, qui est ad flumen Jabok et urbes regionis montanæ et omnia illa loca, quæ nobis Jova Deus noster interdixerat.

CAPUT III

Victoria de Ogo rege Basanis. Divisio regionis occupatæ inter Rubenitas, Gaditas et dimidiam tribum Manassis. Josuæ electio in ducem populi. Mosis irritæ preces.

1. Postea iter convertimus versus Basanem; inde obviam nobis processit Ogus rex Basanis cum toto suo exercitu, ut prælio nobiscum decertaret Edreæ.

2. Sed Jova me admonuit, ne timerem, nam velle se eum cum toto suo exercitu et terra mihi tradere, ut eodem modo cum eo agam, quo cum Sichone Amoritarum rege. 3. Atque ita etiam fecit; vicimus Ogum regem Basanis cum suis copiis, quas omnes nemine relicto occidimus. 4. Deinde etiam omnia ejus oppida cepimus. Nullum fuit quod non expugnassemus. Erant autem numero sexaginta in illo tractu Argob, quem Ogus de Basane tenuit, 5. eaque omnia munita muro præalto, portis et repagulis, præter pagos perquam multos. 6. Devovimus vero, quemadmodum Sichoni regi Chesbonis feceramus, omnes urbium incolas, mulieres et infantes. 7. Pecus tantum et prædam urbium nobis diripuimus. 8. Sic occupavimus eo tempore regionem cis Jordanum duorum regum Amoriticorum, ab Arnone flumine usque ad montem Hermonem. (9. Sidonii vocant Hermonem Sirjon, Amoritæ vero Senir. 10. Omnes urbes in planitie sitæ, tota Gilead, et tota Basan usque ad Salcam et Edream pertinebant ad oppida regni Ogi regis Basanis. 11. Hic enim tantum superstes erat ex gigantum istorum reliquiis. Feretrum ejus ferreum adhuc videri potest Rabbæ Ammonitarum. Cujus longitudo est novem cubitorum, latitudo quatuor, mensura

cubiti

cubiti virilis *a*).) 12. Hanc regionem a nobis tunc occu-

a) De hac pericopa multo magis quam de illis in praecedente capite dubitari potest, an sit a manu Mosis et non potius ab alia addita. Minime quidem necessarium videtur, ut Moses Israelitas doceat Ogum Basanis regem fuisse gigantem, quippe eum viderant, et praelio cum eo decertarant. — עֶרֶשׂ verti non *lectum* sed *feretrum* ex conjectura Ill. *Michaelis* non improbabili. Quis non miretur lectum hujus regis Rabbae Ammonitarum metropoli monstrari, et non potius Astharotae urbe ejus regia? Hinc suspicatur vir Celeb. Ogum in praelio vulneratum fugisse Rabbam, ibique mortuum esse et sepultum. Feretra autem Hebraeorum lectis similia idem cum his nomen gessisse, plane constat ex 2 Sam. 3, 31. ubi legitur Davidem in funere Abneri secutum esse הַמִּטָּה *feretrum*. Sic עֶרֶשׂ eandem sine dubio in lingua hebraea habuit significationem, quam in lingua Syriaca habet Luc. 7, 14. Hinc minus quoque mirum videtur τὸ עֶרֶשׂ hujus gigantis fuisse ferreum. Sed sive per lectum, sive per feretrum vertatur, neutrum Israelitis innotescere potuit, antequam David hanc Ammonitarum metropolin expugnaret 2 Sam. 12, 26. multo minus Mosi, qui non ita longe post illud praelium cum Ogo commissum e vita discessit. — In lectione vocabuli הֲלֹה dissensus est in Codicibus et versionibus. Ill. quidem *Michaelis* defendit et explicat lectionem receptam, sic, ut dubitanter a scriptore narretur, *num est ejus?* scil. lectus s. feretrum. (*wenn es anders der Könige,*

occupatam ab Aroere juxta Arnonem et dimidium montis Gilead cum oppidis suis Rubenitis dedi et Gaditis. 13. Reliquam Gileadi partem et totam Basanem de regno Ogi dedi dimidiæ tribui Manassis. (Totus ille tractus Argob regni Basanitici vocabatur terra gigantum. 14. Jair nepos Manassis occupavit tractum illum Argob usque ad terminos Geschuri et Maacha, eumque ex nomine suo vocavit pagos Jairi; quod etiamnum nomen eorum est *b*).) 15. Machiri posteris dedi Gileadum. 16. Rubenitis et Gaditis dedi partem Gileadi usque

nige ist.) Sed Codex Samarit. et undecim a *Kennicotio* citati habent הֲלֹא *nonne?* quæ est interrogatio affirmans, ut Cap. 11, 30. et sæpe. LXX interpretes vertunt *ἰδὲ*, vel quod legerunt הִנֵּה *ecce!* vel quod הלא sic affirmative expresserunt; quod etiam faciunt Syrus et Arabs in Polyglottis. Onkelos et Arabs Erpenii haud dubie legerunt הלא. Ex tot testium consensu equidem non dubitavi hanc illi præferre.

b) Neque hæc, quæ uncis inclusi, mihi videntur a Mose scripta propter formulam *usque ad hunc diem*, quæ semper de tempore longe præterito dicitur. Moses igitur ea uti non potuit, quoniam inde ab occupatione istorum pagorum usque ad mortem ejus, paucorum mensium tempus præteriit. Ista enim omnia ultimo vitæ ejus anno evenerunt. Num. 32, 40. ubi id ipsum a Mose loco suo proprio narratur, non addita est illa formula: *usque ad hunc diem.*

que ad Arnonem fluvium, qui terminum debet constituere, atque usque ad fluvium Jabok, qui terminat regionem Ammonitarum. 17. Item planitiem et Jordanum qui terminus sit, a lacu Genezaret usque ad mare campestre, quod est mare salsum, sub radice *montis* Pisgæ versus Orientem. 18. Simul vos his verbis sum adhortatus: Jova Deus vester dedit vobis hanc terram possidendam, *sed sub hac conditione*, ut armati, qui bello idonei essent, consanguineos vestros Israelitas præcederetis. 19. Tantum mulieres vestræ, infantes et greges, (quos multos habetis, uti novi) maneant in urbibus vobis a me assignatis. 20. Donec Jova vestros quoque populares ad quietem perduxerit, ut et hi occupent terram, quam eis daturus est trans Jordanum: tum demum quisque vestrum redeat ad possessionem suam a me tributam. 21. Josuam vero his verbis eodem tempore admonui: Vidisti oculis tuis omnia, quæ Jova Deus vester fecit his duobus regibus. Idem vero faciet omnibus illis regnis, ad quæ perges. 22. Nolite timere, nam Jova Deus vester pugnat pro vobis. 23. Equidem Jovam tunc suppliciter rogavi, 24. ut, quoniam jam initium fecisset, manifestare suam magnitudinem et potentiam, qua nullus Deus neque in cælo neque in terra agere posset; 25. mihi permitteret

transfire Jordanum et videre terram illam bonam, montes illos fertilissimos et Libanum. 26. Sed iratus mihi propter vos, me non exaudivit, immo vetuit amplius hac de re loqui. 27. Jussit verticem Pisgæ adscendere, atque inde prospicere versus occidentem, septentrionem, meridiem et orientem, ipsum Jordanum me non esse transiturum; 28. Josuam vero instruerem et animum ejus confirmarem; hunc enim ducem hujus populi futurum esse, eique divisurum terram, quam ego essem spectaturus. 29. Mansimus igitur ad tempus in valle e regione Bethpeoris.

CAPUT IV

Commendat obedientiam erga leges divinas, inprimis ab idololatria dehortatur 1 — 40. Separatio trium asyli oppidorum cis Jordanum, et conclusio primi sermonis.

1. Jam igitur, Israelitæ, observate jura et statuta, quæ ego vos doceo, ut felices sitis, et perveniatis ad possessionem terræ, quam Jova majorum vestrorum Deus vobis daturus est. 2. Nihil addite eis, quæ vobis præcipio, nec quicquam eis detrahite, sed diligentem operam navate legibus Jovæ Dei vestri, quas vobis jam exponam. 3. Ipsis oculis vestris vidistis, quæ Jova fecit propter Baalpeorem a); omnes

a) Num. 25, 3 seqq.

omnes qui eum sectabantur, e medio vestrum sunt sublati. 4. Vos vero, qui Jovæ Deo vestro adhæsistis, vos omnes etiamnum vivitis. 5. Docui vos jura et statuta, quæ a Jova Deo meo accepi, ut eis obtemperetis in terra, ad cujus possessionem jam contenditis. 6. Diligenter ea observate, hoc enim sapientiæ et prudentiæ laudem vobis apud alias nationes conciliabit, ut si de his legibus vestris audierint, fateantur, hanc tantam gentem vere sapientem esse et prudentem. 7. Quæ enim gentium magnarum est, cui dii sui tam propinqui sint, quam Jova Deus noster nobis est, ubicumque eum invocaverimus? 8. aut quæ tanta gens est, quæ jura et statuta habeat tam justa, quam hæc sunt, quæ vobis jam promulgavi? 9. Cavete modo, si salus vestra vobis curæ est, ne obliviscamini eorum quæ vidistis, nec excidant ex animis vestris quamdiu vivitis, sed tradatis ea quoque filiis et nepotibus vestris. 10. Diem nimirum illum, quo stetistis coram Jova Deo vestro in Horebo, cum hic me jussisset vos omnes ad se convocare, ut eum ipsum audiretis leges suas enunciantem, eumque per omnem vitam vestram revereremini et liberos quoque vestros ejus timore imbueretis. 11. Tum vos accessistis et ad montem constitistis, qui tenebris, nube et caligine obductus ad medium usque

cælum igne ardebat. 12. Ex igne Jova ad vos locutus eſt; verborum quidem ſonum audiviſtis, ſed nullius rei vidiſtis imaginem. 13. Tum promulgavit vobis fœderis ſui *conditiones*, quas ut impleretis præcepit, decem numero duabus tabulis lapideis inſcriptas. 14. Mihi vero Jova eodem tempore alias leges et inſtituta edixit, juſſitque ut eas vos docerem obſervandas in terra ad quam occupandam jam contenditis. 15. Igitur diligenter vobis cavete, ſi vitam veſtram amatis, quoniam nullius rei imaginem vidiſtis, tum cum Jova in Horebo ex igne loqueretur, 16. ne peccetis et ſculptam imaginem ullius ſimulacri viri aut fœminæ faciatis, 17. aut ſimulacrum ullius animalis in terra viventis, aut avis per aerem volantis, 18. aut ſimulacrum animalis humi ſerpentis, aut piſcis. 19. Porro ne, ſi forte ſublatis verſus cælum oculis, contemplemini ſolem, lunam, ſtellas et reliqua aſtra cæleſtia, impellamini ad ea adoranda et colenda, quæ Jova ab aliis quidem terrarum orbis nationibus ut numina coli concedit *b*): 20. vos vero

b) In textu eſt: *quæ* חָלַק *diſtribuit Jova Deus tuus inter omnes gentes ſub cælo.* Verbum activum, quod h. l. de permiſſione Dei ex genio linguæ orientalis adhibetur, verti ſecundum verum ſenſum, de quo plura dixi ad *Glaſſium* p. 244.

vero ex duriſſima Aegypti ſervitute c) liberatos elegit, ut populus ei eſſetis peculiaris. Quod eventus comprobat. 21. Mihi quidem Jova veſtra cauſa iratus noluit concedere, ut trajecto Jordano veniam in terram illam egregiam, quam vobis poſſidendam dabit. 22. Ego enim moriar in hac terra, non trajiciam Jordanum, vos vero eum trajicietis et poſſidebitis terram illam pulcherrimam. 23. Igitur cavete vobis, ne immemores fœderis, quod Jova Deus veſter vobiscum pepigit, faciatis ſculptam ullius rei imaginem. 24. Eſt enim ille Jova Deus veſter ignis conſumens, Deus æmulus. 25. Quodſi deinde natis filiis et nepotibus inveterati jam fueritis in illa terra, et peccaveritis faciendo ſculptum ullius rei ſimulacrum, aut committendo quidquam quod Deo diſpliceat, quo indignationem ejus excitetis: 26. Cælum

c) hebr. מִכּוּר הַבַּרְזֶל *ex fornace ferri.* Tropum, in cujus explicatione interpretes diſſentiunt, recte, uti arbitror, explicavit Ill. *Michaelis* in notis ad verſ. germ. Nimirum fornax ferri (*ein Eiſenofen*) in qua ferrum coquitur et liquefit, ob ignis ardorem et aſpectum, quem noctu inprimis præbet, terribilem, translate dicitur de ſervitute iſta Aegyptiaca, cujus memoria Iſraelitis non niſi terribilis eſſe poterat. cf. *Glaſſius* p. 1098. edit. recent. Sed quoniam tropus ſine explicatione adjecta non intelligitur, in verſione pro eo verba propria adhibui.

lum et terram testor hodie, vos cito perituros esse ex illa terra, ad quam occupandam mox Jordanum estis trajecturi; non diu in ea vivetis, sed exterminabimini. 27. Nam Jova vos dispergerget inter gentes, pauci numero supereritis inter nationes, ad quas Jova vos abiget. 28. Ibi coletis Deos manibus humanis factos, ligneos, lapideos, qui neque videre, neque audire, neque edere, neque odorari possunt. 29. Quæretis tunc Jovam Deum vestrum, et invenietis quoque eum, si modo toto corde et animo eum quæsiveritis. 30. In his angustiis evenient vobis sequentibus temporibus mala ista omnia, sed ad Jovam Deum vestrum iterum conversi, ei obtemperabitis. 31. Est enim Deus misericors, qui vos non deseret, neque prorsus perdet, non obliviscetur fœderis quod cum majoribus vestris jurejurando pepigit. — 32. Quærite modo de temporibus vobis prioribus, ex quo Jova homines a se creatos in terra collocavit, *quærite* ab uno cæli extremo usque ad alterum, num unquam tanta res facta aut audita fuerit, 33. num unquam populus Deum audierit loquentem ex igne salva vita sua, *d*) quemadmodum vos, 34. aut num unquam Deus tentaverit

d) Ex opinione vulgari illorum temporum, hominem Deum salva vita videre non posse. Genes. 16, 13. Exod. 20, 19. Jud. 6, 22.

verit sumere sibi ex alia gente gentem per mala illata, per signa et prodigia, per bella, per præsentissima summæ potentiæ documenta *e*) et facta terribilia, quemadmodum Jova Deus vester ista omnia vobis spectantibus fecit in Aegypto. 35. Quæ omnia vidistis, ut intelligeretis Jovam tantum Deum esse, nec alium præter eum ullum. 36. E cælo vos allocutus est ad vos erudiendos et in terra vidistis ignem ejus ingentem, et verba ejus audivistis e medio igne. 37. Propterea quod majores vestros dilexit eorumque posteros adamavit: vos ipse insigni virtute sua duxit ex Aegypto, 38. ut expelleret gentes majores et potentiores quam vos estis vestra causa, vobisque earum terram daret possidendam, uti eventus docuit. 39. Scitote igitur et ad animos vestros sæpe revocate, Jovam Deum esse in cælo et in terra, nec alium ullum. 40. Atque ejus jura et statuta, quæ ego vobis jam præcipio, diligenter observate, ut vobis et posteris vestris bene sit, et diu vivatis in terra, quam Jova Deus vester vobis in perpetuum assignavit. — 41. Tunc separavit Moses tria oppida cis Jordanum *f*) orientalia, 42. ad quæ confugeret homicida, qui aliquem per imprudentiam occidisset, in quem antea animo non fuisset infenso. Is

e) hebr. *manu forti et brachio extenso.*

f) Ex lege, quæ extat Num. 35, 14. seqq.

Is in unum horum oppidorum fugeret, et ſic vitæ ſuæ proſpiceret. 43. Nimirum Beſerum in ſolitudine in campeſtri tractu Rubenitarum, Ramotam in Gileade Gaditarum, et Golanam in Baſane Manaſſitarum. — 44. Hæc fuit lex *g*) quam Moſes Iſraelitis expoſuit, 45. hæc edicta, jura et inſtituta, quæ eis explicavit poſt exitum eorum ex Aegypto. 46. Cis Jordanum in valle e regione Bethpeoris, in terra Sichonis Amoritarum regis Chesbone habitantis, quem Iſraelitæ Moſe duce poſt exitum ſuum ex Aegypto cæciderant, 47. ejusque terram, ut et terram Ogi regis Baſanis (qui duo reges fuerunt Amoritarum cis Jordanum verſus orientem) occuparunt. 48. Ab Aroere, quod eſt ad ripam fluminis Arnonis usque ad montem Sionem *h*), qui eſt Hermon. 49.

g) Hæc videtur eſſe concluſio primi ſermonis habiti a Moſe in ſolenni legatorum populi conventu, in quo ſimul ſeparatio iſtarum aſyli urbium, de qua verſu 41. ſeqq. facta videtur. Sequens enim caput novam habet inſcriptionem.

h) In textu hebræo ſcribitur hoc nomen שִׂיאֹן. Pro quo legendum שִׂרְיֹן ex Cap. 3, 9. ubi Sidonios ſic hunc montem vocaſſe narratur. Syrus interpres habet quoque illud nomen in utroque loco ܣܪܝܘܢ. Sed quoniam reliqui cum textu hebræo conſentiunt, nolui hanc lectionem quanquam probabilem in verſionem recipere.

49. Nec totum tractum campestrem cis Jordanum orientalem usque ad mare planitiei sub radicibus montis Pisgæ.

CAPUT V

Quæ in hoc capite et sex sequentibus leguntur, dicta sunt a Mose in alio conventu solenni seniorum s. legatorum populi ab eo convocato sec. v. 1. In hoc quidem capite repetit decalogum ejusque historiam.

1. Convocavit Moses Israelitas, atque hunc in modum ad eos locutus est: Audite, Israelitæ, jura et statuta, quæ ego jam promulgabo, diligenter a vobis discenda et exequenda. 2. Jova Deus noster fœdus nobiscum pepigit in Horebo. 3. Non cum majoribus nostris pepigit illud fœdus, sed nobiscum omnibus, qui hic præsentes sumus et vivimus. 4. Coram locutus est Jova vobiscum in monte et in medio igne. (5. Ego vero tunc stabam inter Jovam et inter vos, ut vobis dicta Jovæ renunciarem, timebatis enim ignem, neque ipsi montem ascendistis *a*).) Ita

vero

a) Hæc parenthesi includenda esse historia docet. Post decalogi promulgationem Moses interpres fuit Deum inter et populum. Exod. 20, 16. Neque solum propter timorem, sed etiam ex severa Dei lege populus montem non ascendit. Exod. 19, 21. Sed scriptores hebræi in narrando non semper summam solent ἀκρίβειαν adhibere, atque ipse Mo-

ses

vero dixit: 6. Ego Jova ſum Deus veſter, qui vos ex Aegypto et ergaſtulo eduxit. 7. Ne alios Deos præter me colatis. 8. Ne faciatis vobis ſculptam imaginem, aut ſimulacrum ullius rei, ſive ſit in cælo, ſive in terra, ſive in aqua ſub terra. 9. Ne ea adoretis, aut colatis. Nam ego ſum Jova Deus veſter, Deus æmulus, qui parentum culpam etiam in liberis tertiæ et quartæ generationis mei oſoribus punit. 10. Benignum vero me præbeo ad milleſimam usque ſtirpem mei amantibus, meorumque præceptorum ſtudioſis. 11. Ne enuncietis nomen Jovæ Dei veſtri in mendacii aſſeverationem, nam non impunitum eſſe ſinit Jova eum, qui hoc fecerit. 12. Sabbatum ſancte peragite, quemadmodum Jova Deus veſter vobis præcepit. 13. Sex diebus laborate et negotia veſtra curate. 14. Septimo autem die ſabbatum eſt Jovæ Dei veſtri, quo ab omni omnino labore abſtinere debetis, cum vos, tum filiæ veſtræ, ſervi, ancillæ, boves et aſini et omne jumentum veſtrum, nec non peregrini inter vos degentes, ut et ſervi veſtri et ancillæ æque ac vosmet ipſi quiete fruantur. 15. Meminiſſe enim debetis, vos ſervos fuiſſe in Aegypto, et Jovam Deum veſtrum vos illinc manu valida et brachio exſerto eduxiſſe, et propterea

ſes deinde verſu 19. et ſeqq. accuratius res ex ordine, quo geſta ſunt, enarrat.

pterea velle, ut hoc die feriemini. 16. Honorate parentes veſtros, quemadmodum Jova Deus veſter vobis præcepit, ut diu vivatis et bene vobis ſit in terra, quam Jova Deus veſter vobis daturus eſt. 17. Ne cædem committatis. Ne adulteremini. Ne furemini. Ne falſum perhibeatis teſtimonium in alios. 18. Ne alterius uxorem concupiſcite; nec appetite alterius agrum, aut ſervum, aut ancillam, bovem, aut aſinum, et quidquid poſſideat. — 19. Hæc verba effatus eſt Jova ad univerſam veſtram concionem in monte e medio igne, nube et caligine, voce magna, et tum quidem nihil addidit, ſed inſcripſit ea duabus tabulis lapideis, quas mihi tradidit. 20. Vos vero cum audiretis vocem ex tenebris, et *videretis* montem igne ardentem, ad me acceſſiſtis, nempe tribuum veſtrarum principes et ſeniores, 21. et dixiſtis: Oſtendit nobis Jova Deus noſter majeſtatem ſuam inſignem, vocem ejus audivimus e medio igne. Jam quidem experti ſumus Deum cum hominibus loqui poſſe ſalva eorum vita. 22. Sed quare moriamur? ignis ille ingens nos conſumet. Si ulterius Jovæ Dei noſtri vocem audimus, perimus. 23. Quis enim mortalium unquam Deum immortalem e medio igne loquentem audivit, ſicut nos, ſalva vita ſua? 24. Accede tu et audi, quæ Jova Deus noſter tibi dicet,

et deinde ad nos ea refer. Diligenter omnia observabimus. — 25. Quos vestros ad me sermones cum Jova audisset, dixit mihi: Novi omnia quæ populus ad te est locutus: Bene habet quod dixerunt. 26. Sed utinam semper ita essent affecti, ut me timerent et præcepta mea servarent, sic enim ipsi et posteri eorum in perpetuum felices essent futuri. 27. Jube igitur, ut in tabernacula sua revertantur. 28. Tu vero mane hic apud me, et tibi indicabo omnia præcepta, jura et statuta, quæ eos edoceas observanda in terra, quam ego eis possidendam dabo. 29. Igitur diligenter observate, quæ Jova Deus vester vobis præcepit, neque ad dextram neque ad sinistram deflectentes. 30. Sedulo incedite in via, quam Jova Deus vester vobis præscripsit, ut bene et feliciter et diu vivatis in terra, quam estis possessuri.

CAPUT VI

Commendat summum studium et diligentiam in observanda lege divina, ejusque ad posteros traditionem.

1. Hæc sunt præcepta, jura et statuta, quæ Jova Deus vester vos edoceri jubet, ut ea observetis in terra, ad quam occupandam jam contenditis: 2. ut timeatis Jovam Deum vestrum, ejusque jura et præcepta, quæ jam vobis expono, diligenter exequamini,

mini, cum vos, tum filii veſtri et nepotes per omnem vitam veſtram, quæ tunc erit longæva. 3. Audite igitur, Iſraelitæ, et curate ut audita faciatis, ut bene vobiscum agatur et ut plurimum augeamini, ſiquidem Jova Deus majorum veſtrorum vobis promiſit terram rebus optimis abundantem. 4. Audite, Iſraelitæ, Jova Deus noſter eſt unus Jova. 5. Hunc igitur toto corde, toto animo, omnibusque viribus veſtris amare debetis. 6. Hæc verba perpetuo animis veſtris obverſentur. 7. Hæc inculcate liberis veſtris, de his loquamini domi et foris, cubantes et ſurgentes. 8. Hæc alligate tanquam inſignia manibus veſtris, hæc ſint frontalia inter oculos veſtros. 9. Hæc inſcribite poſtibus ædium veſtrarum et *oppidorum* portis. 10. Quando perduxerit vos Jova Deus veſter in terram, quam jurejurando majoribus veſtris, Abrahamo, Iſaaco et Jacobo promiſit, ad urbes magnas et egregias, quas non ædificaſtis, 11. ad domos omnis generis bonis refertas, quas non impleviſtis, ad ciſternas a vobis non exciſas, ad vineas et oliveta a vobis non plantata. Quando ſic in rerum omnium copia et abundantia conſtituti eſtis: 12. cavete, ne obliviſcamini Jovæ, qui vos ex Aegypto, ex ergaſtulo eduxit. 13. Jovam Deum veſtrum ſemper timete et colite, et per nomen ejus jurate. 14. Ne ſectemi-

ni alios Deos ex diis gentium vobis finitimarum. 15. Nam Deus æmulus est Jova Deus vester, inter vos versans, ne vobis irascatur, vosque auferat e terra *vestra*. 16. Neque eum tentetis, quemadmodum Massæ fecistis. 17. Summo studio observate omnia ejus præcepta, instituta et jura quæ vobis dedit. 18. Quæ ei probantur et placent, hæc facite, tunc felices eritis et pervenietis ad terram illam bonam, quam majoribus vestris jurejurando promisit. 19. Hostes vero vestros ante vos expellet, quemadmodum vobis promisit. — 20. Si filii vestri vos in posterum interrogabunt, quid sibi velint illa instituta, jura et præcepta, quæ Jova Deus vester vobis præscripsit, 21. sic eis debetis respondere: Servi fuimus Pharaonis in Aegypto, sed Jova nos illinc eduxit magna potentia. 22. Atque signa edidit et prodigia multa et perniciosa Aegyptiis, Pharaoni et hominibus ejus, nobis videntibus. 23. Nos vero illinc eduxit, ut nobis daret hanc terram, quam majoribus nostris jurejurando promiserat: 24. tunc nobis quoque has leges dedit, ut eum, Jovam Deum nostrum timeremus, et sic semper felices viveremus, uti videtis eventum comprobare; 25. atque hæc nostra erga præcepta ejus obedientia ut meritum nobis ab eo reputatur.

CAPUT

CAPUT VII

Injungitur exstirpatio gentium Cananiticarum, et idololatriæ earum, cum promissione certissimæ victoriæ.

1. Quum Jova Deus vester vos introduxerit in terram, ad quam occupandam mox estis perventuri, atque ejecerit ante vos gentes magnas, Chittæos, Gergesenos, Amoritas, Cananitas, Pheresitas, Chivvæos et Jebusitas, septem gentes vobis majores et potentiores, 2. easque vobis dederit trucidandas: funditus eas debetis evertere, nullum cum eis fœdus inire, neque earum misereri, 3. nullam cum eis affinitatem contrahere, non filias vestras earum filiis elocare, neque eorum filias filiis vestris in matrimonium sumere. 4. Alioquin filios vestros a Jova ad peregrinorum Deorum cultum seducent, quo facto ille iratus vos brevi est perditurus. 5. Verum sic eis debetis facere: aras earum destruite, statuas frangite, lucos succidite, sculptas eorum imagines igne comburite. 6. Vos enim estis sacer populus Jovæ Deo vestro, qui vos ex omnibus aliis totius terrarum orbis populis elegit, ut ei essetis populus peculiaris. 7. Non quia numerosiores eratis aliis populis, Jova vos eo amore amplexus est et elegit, estis enim omnium populorum minimus. 8. Sed propter amorem suum erga vos, et propter jusju-

randum, quod majoribus veſtris juravit, eduxit vos manu valida et redemit ex ſervitute, e manu Pharaonis regis Aegypti. 9. Scitote enim Jovam Deum veſtrum Deum eſſe verum *a*), Deum fidelem, qui fœdus ſervet et benignitatem ſui amantibus et præcepta ſua ſervantibus ad milleſimam generationem: 10. qui vero etiam rependat ſui oſoribus præſentiſſima pernicie *b*), nec pœnam promeritam eis differat. 11. Igitur ſervate leges, jura et inſtituta, quæ ego jam vobis præcipio. 12. Habebitis etiam præmium hujus obedientiæ veſtræ. Etenim Jova Deus veſter ſervabit vobis fœdus et benignitatem, quam

a) הוּא הָאֱלֹהִים *ille Deus* h. e. Jova ſolus eſt, Deus dici meretur. Alii aliarum gentium dii hoc nomine ſunt indigni.

b) Verba textus ſunt: אֶל פָּנָיו לְהַאֲבִידוֹ. Quid ſit h. l. *in faciem ejus*, de eo non convenit inter interpretes. Alii per *palam* explicant, ut *Grotius*. Alii: *in viſa ejus*, ſic ex antiquioribus Syrus et multi alii. *Michaelis: vor ihren Augen*, quod eſſet לְעֵינָיו. In his omnibus deſidero probationem ex uſu loquendi. Mihi quidem videtur פָּנִים dictum eſſe pro nomine reciproco *ille*, *ipſe*, ut Exod. 33, 15. Devt. 4, 37. 2 Sam. 17, 11. vid. *Noldius* ſub h. v. num. 2. Latine non commode iisdem verbis exprimi poteſt. Igitur notionem, quæ vocabulo hebræo ſubeſſe videtur, cum ſequenti להאבידו conjunctim indicavi.

quam majoribus vestris jurejurando interposito promisit. 13. Amabit, fortunabit, augebit vos. Copiosam prolem habebitis c). Terræ proventus, frumentum, mustum, oleum erunt largissimi, boum et ovium greges erunt fœcundissimi in terra illa, quam majoribus jurejurando promisit. 14. Omnibus aliis gentibus eritis beatiores, non erit neque inter homines, neque inter animalia apud vos sterilis. 15. Amovebit Jova a vobis morbos. Languores illos Aegypti pessimos, quos nostis, vobis non immittet, sed inimicos vestros eis afficiet. 16. Gentes omnes quas Jova Deus vester vobis tradet, conficietis, nolite eis parcere, nec deos earum colere; hoc enim futurum esset vobis perniciosum d). — 17. At fortasse existimatis vos illis tantis gentibus debellandis impares esse. 18. At enim vero nolite timere. Memores estote eorum, quæ Jova Deus vester fecerit Pharaoni omnibusque Aegyptiis. 19. Tentaminum istorum maximorum, quæ oculis vestris vidistis, signorum et prodigiorum, manus fortis et erecti brachii, quibus vos ex Aegypto eduxit. Idem etiam faciet omnibus gentibus, quas timetis. 20. Crabrones e) eis immittet, donec et reliqui,

c) hebr. *benedicet fructui uteri tui.*
d) hebr. *quoniam laqueus hoc esset tibi.*
e) cf. Exod. 23, 28. not. d).

reliqui, qui se propter vos abdiderint, perditi fuerint. 21. Nolite igitur eas timere, nam Jova Deus vester est inter vos, Deus magnus et tremendus. 22. Attamen ille Jova Deus vester expellet istas gentes paullatim. Non potestis eas celeriter delere, ne nimis augeantur contra vos feræ agrestes. 23. Tradet eas vobis, et tam diu affliget, donec confectæ fuerint. 24. Regès quoque earum vobis tradet, quorum et nomina e terrarum orbe tolletis. Nemo poterit vobis resistere, omnes conficietis. 25. Sculptas deorum suorum imagines igne comburite. Aurum et argentum, quo ornatæ sunt, nolite appetere, ne in eo offendatis. Jova Deus vester ista abominatur. 26. Rem vero abominabilem ne in domos vestras inferte; qua devoti fieretis, uti ipsa est. Sed detestamini et exsecramini ea omnia tanquam devota.

CAPUT VIII

Commendat obedientiam legi divinæ præstandam, partim a beneficiis in itinere acceptis, partim a præstantia terræ possidendæ.

1. Omnia præcepta quæ ego vobis injungo, diligenter observate, ut felices et fortunati perveniatis ad possessionem terræ, quam Jova majoribus vestris jurejurando promisit. 2. Recordamini totius itineris,

itineris, quo vos duxit Jova Deus vester his quadraginta annis in deserto, ut vos per mala immissa tentaret, et quo essetis animo exploraret, utrum præcepta ejus servaretis, an minus. 3. Fame vos afflixit, sed *mox* manna aluit, cum vobis tum majoribus vestris ignota *a*), ut intelligeretis, non pane tantum vivere hominem, sed omni eo quod Deo placet hominis victui destinare *b*). 4. Vestes vestræ non fuerunt detritæ *c*), nec pedes vobis intumuerunt,

a) cf. quæ de Manna dicta sunt ad Exod. 16, 15.

b) hebr. *sed omni eo quod egreditur ore Jovæ, vivet homo.* מוֹצָא פִי י׳ est idem quod Deus jubet. Sensus igitur phraseos est: non necessarium esse, ut homo alatur iis cibis, quibus hoc fieri solet ex ordine a Deo constituto, sed posse eum etiam alio modo quocunque, qui ipsi placuerit, idem præstare. In hunc sensum etiam Christus hæc verba citavit. Matth. 4, 4.

c) Complures interpretes jam observarunt, hæc non ad literam esse intelligenda, neque cum Judæis inepta et ridicula miracula esse fingenda, quasi vestimenta Israelitarum cum ipsis creverint neque usu fuerint detrita. Moses, qui omnino hoc loco phrasibus utitur elegantioribus, ut v. 3. et 9., nihil aliud vult, quam Israelitas non necessitate fuisse coactos vestibus incedere tritis et laceratis; non defuisse eis occasionem novas sibi subinde comparare. Id quod etiam historia plane docet. Supra jam Cap. 2, 7.

 Moses

muerunt, per hos quadraginta annos. 5. Plane poteſtis eſſe perſuaſi ad inſtar patris filium ſuum educantis, ſic Jovam Deum veſtrum vos educaſſe. 6. Igitur obſervate ejus præcepta, ut ad normam ab eo præſcriptam vivatis, eumque revereamini. — 7. Cum vos introduxerit in terram bonam; in terram quæ flumina, fontes, lacus habet, qui in vallibus et montibus ſcaturiunt, 8. in terram tritico, hordeo, vino, ficubus, malis punicis, olivis et melle abundantem, 9. in terram, in qua non tenui victu vivetis, nulla re egebitis, cujus lapides ferrum ſunt, ex cujus montibus æs effodietis: 10. ſumto cibo et ſatiati gratias agite Jovæ Deo veſtro pro terra hac bona quam vobis dedit. 11. Cavete, ne ejus obliti, præcepta, jura et ſtatuta, quæ vobis jam injungo, negligatis. 12. Ne, ſi victu abundetis, domos ele-

Moſes Iſraelitis in mentem revocavit, eos ſuis cum finitimis populis commerciis opes ſibi feciſſe multas. Greges ovium et caprarum habebant magnos et copioſos, Num. 32, 1. Devt. 3, 19. mulieres adeo artis textoriæ erant peritæ Exod. 35, 25. Num igitur credibile eſt Deum miracula edidiſſe per tot annos in tot hominum millibus continuanda, qui ipſi poterant veſtitui neceſſario large proſpicere? vid. *Herm. von der Hardt* Ephemerid. philol. Diſſ. XII. *Clericus* in Comment. et S. R. *Jeruſalem* in epiſtolis ſuper libris Moſaicis p. 34.

elegantes exſtruatis et habitetis, 13. armento et pecore, argento et auro omnisque generis facultatibus aucti: 14. per animi faſtum Jovæ Dei veſtri obliviſcamini, qui vos ex Aegypto ex ergaſtulo eduxit, 15. qui vos per deſertum vaſtum et terribile, in quo ſerpentes, baſiliſci, ſcorpiones frequentes, duxit; in locis ſiticuloſis aqua carentibus aquam vobis ex petra duriſſima elicuit, 16. qui vos manna pavit in deſerto, majoribus veſtris ignota, ut vos per afflictiones tentaret et tandem beneficiis afficeret: 17. ne, inquam, vobis perſuadeatis, vos viribus veſtris, aut virtute veſtra vobis has tantas divitias comparaſſe. 18. Memores eſtote Jovæ Dei veſtri, is vobis vires conceſſit ad has divitias acquirendas. Nimirum volebat promiſſa ſervare, quæ majoribus veſtris jurejurando dederat. Quod etiam revera præſtitit. 19. Quodſi Jovæ Dei veſtri obliti alios Deos ſequemini eoſque coletis et adorabitis, vobis jam certo aſſevero, vos cito perituros eſſe, 20. ſicuti gentes quas Jova ante vos perdidit, quoniam voluntati Jovæ Dei veſtri non obtemperaſtis.

CAPUT

CAPUT IX

Demonſtrat Moſes Iſraelitis, Deum non propter ſingularem eorum virtutem eos in terram promiſſam ducere, potius indignos eos eſſe tanto beneficio propter creberrima ſua peccata; e quibus potiſſimum hiſtoriam vituli aurei repetit.

1. Audite Iſraelitæ! Mox trajicietis Jordanum ad aggrediendas gentes vobis et majores et potentiores, ad urbes magnas munitas usque ad cœlum, 2. ad populum magnum et potentem Anakæorum *a*) de quibus noſtis dici ſolere: quis Anakæis poteſt reſiſtere? 3. Scitote igitur Jovam Deum veſtrum qui vos præcedit, eſſe ignem conſumentem. Is eos perdet et ſubiget ut mox expellere et conficere eos poſſitis, quemadmodum vobis promiſit. 4. Nolite vero exiſtimare, quando Jova Deus veſter iſtas gentes vobis expulerit, propter merita veſtra vos ab eo introduci ad illius terræ poſſeſſionem, atque gentes iſtas propter impietatem ſuam eſſe ejectas. 5. Non propter merita veſtra, aut animi probitatem vos earum terram occupatis, ſed propter earum impietatem a Jova Deo veſtro exterminantur, atque ut impleat promiſſa majoribus veſtris, Abrahamo, Iſaaco et Jacobo, jurejurando interpoſito data. 6. Scitote igitur non propter

a) Troglodytæ, Num. 13, 22. not. *c*).

pter merita vestra Jovam Deum vestrum vobis donare terram illam præstantissimam, homines potius estis contumacissimi. 7. Recordamini, nec unquam obliviscimini; quomodo Jovam Deum vestrum irritastis in deserto. Ex quo die ex Aegypto emigrastis, donec in hunc locum venistis, contra eum rebellastis. 8. Atque in Horebo adeo iram ejus provocastis, ut vos præ indignatione delere minaretur. — 9. Cum montem ascendissem, ut acciperem tabulas lapideas fœderis, quod Jova vobiscum pepigerat, atque ego in illo monte quadraginta dies totidemque noctes mansissem, neque cibum neque potum sumsissem, 10. et Jova mihi jam tradidisset duas illas tabulas lapideas digito suo inscriptas, illis nimirum verbis, quæ vobiscum in monte ex medio igne solenni illo conventus die locutus erat; 11. Finitis illis quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et acceptis illis duabus lapideis fœderis tabulis: 12. Jova mihi dixit: Age, descende hinc celeriter, peccavit populus tuus, quem ex Aegypto eduxisti. Cito deflexit a via, quam ei præceperam, fecit sibi fusum idolum. 13. Porro tunc Jova mihi dixit: video hunc populum esse pertinacissimum. 14. Sine me, eum perdam et nomen ejus ex terrarum orbe delebo, et te populum eo potentiorem et numerosiorem efficiam. 15. Cum igitur de monte, qui adhuc igne flagrabat, descen-

descendebam, duas legis tabulas manibus tenens:
16. vidi vos graviter in Jovam Deum vestrum
peccasse, fecisse vobis vitulum fusum, cito vos de-
seruisse viam a Jova præscriptam. 17. Tum ego
ambas tabulas manibus meis abjeci, ut vobis viden-
tibus frangerentur. 18. Ante Jovam autem me sic-
uti antea quadraginta dies totidemque noctes, nec
cibo nec potu usus abjeci, propter scelus illud ve-
strum gravissimum, quo iram ejus provocaveratis. —
19. Timebam enim iram Jovæ vehementissimam, qua
vos perdere volebat. Sed tum quoque Jova me ex-
audivit. 20. Aaroni quoque vehementer iratus mor-
tem minabatur, igitur pro eo quoque tum precabar.
21. Scelus autem vestrum, vitulum quem feceratis,
sumsi et igne partim combussi, partim conterendo in
pulverem redegi, quem in aquam e monte defluen-
tem abjeci. 22. Taberæ, Massæ et ad sepulcra cu-
piditatis etiam iram Jovæ provocastis. 23. Cum
vos jussisset ex Kadesch Barnea terram promissam
aggredi, rebellastis contra eum, non credidistis ei,
neque morem gessistis. 24. Ex quo ego vos novi,
semper rebelles in Jovam fuistis. 25. Abjeci igitur
me ante eum quadraginta dies totidemque noctes,
quoniam vos delere minitabatur, 26. atque his ver-
bis coram eo precatus sum: o Domine Jova, noli
perdere populum tuum, quem virtute tua tibi vin-
dicasti,

dicasti, quem ex Aegypto manu forti eduxisti. 27. Recordare cultorum tuorum, Abrahami, Isaaci et Jacobi. Noli respicere pertinaciam hujus populi, ejus impietatem aut scelera. 28. Ne dictitent illi, *b*) ex quorum terra tu nos eduxisti: quoniam non poterat Jova eos perducere in terram eis promissam, aut, propter odium in eos, eduxit eos et interfecit in deserto. 29. Cum tamen sint tuus populus, quem insigni potentia et brachio exerto eduxisti.

CAPUT X

Novæ legis tabulæ. Pericopa inserta de Israelitarum stationibus et Levitarum separatione v. 6—10. Adhortatio ad obedientiam Deo præstandam.

1. Tum Jova jussit, ut secarem duas tabulas lapideas prioribus similes, et ut montem ascenderem, faceremque arcam ligneam, *a*) 2. velle se inscribere his

b) Quanquam lectio recepta פֶּן יֹאמְרוּ הָאָרֶץ defendi potest, quoniam alias quoque *terra* pro *terræ incolis* dicitur, (*Glassius* p. 859.) quod perperam negat *Hubigantius*, tamen quoniam Codex Samaritanus habet עם הארץ et omnes versiones *incolæ terræ*, dubitari potest annon hæc lectio illi sit præferenda.

a) Hoc mandatum Moses prius accepit illo Exod. 25, 10. coll. Cap. 34, 1. Sed quia arca ex parte hunc in usum fabricata est, ut in ea tabulæ legis reponerentur, jungit utrumque.

his tabulis eadem, quæ in prioribus a me fractis fuissent, deinde eas in arca reponerem. 3. Feci igitur ex acaciæ lignis arcam, excidi duas tabulas lapideas prioribus similes, easque mecum ferens montem ascendi. 4. Has igitur tabulas exaravit Jova eadem scriptura, qua priores, decem videlicet præceptis, quæ vobiscum ex igne locutus est die conventus illius solennis, mihique eas tradidit. 5. Quum deinde e monte rediissem, reposui tabulas illas in arca quam feceram, ut ibi servarentur, quemadmodum Jova mihi præceperat — 6. (Israelitæ profecti sunt a puteis Jaakanitarum Maseram *b*); ibi mortuus et sepul-

b) Hunc versum et tres sequentes uncinis inclusi, quia non possunt esse a Mose, sed ab aliena manu (qua de causa nemo dixerit) sunt inserti. Etenim partim contradicunt Num. 33, 31. ubi tamen Moses ex instituto de Israelitarum stationibus et morte Aaronis exponit; partim prorsus alieni sunt a consilio Mosis, populum ad obedientiam legi divinæ præstandam adhortantis. Quod ad prius pertinet, collatio hujus loci cum Num. 33, 31. plane docet, primo, Israelitas non a puteis Jaakanitarum Maseram, sed ordine inverso ex Masera ad illos puteos esse profectos. (quanquam ne ibi quidem horum puteorum mentio fit, sed בני יעקן simpliciter nominantur.) Deinde Aaronem non Maseræ sed in monte Hor mortuum esse, octo stationes a Masera distante. Alienam autem esse hanc itinerum

ſepultus eſt Aaron. Eleaſar autem, filius ejus, ei ſucceſſit in ſacerdotio. 7. Exinde profecti ſunt Haggidgadam, inde in Jotbatam, terram quæ aquarum rivos habebat. 8. Tunc ſecrevit Jova tribum Levi, ut bajularent arcam fœderis, ut ei miniſtrarent et bene precarentur in ejus nomine, quemadmodum etiamnum facere ſolent. 9. Propterea Levitæ non habent

nerum populi enumerationem, et Aaronis mortem et Levitarum ſeparationem ad munus ſacrum (non *illo tempore* ſecundum verſum 8. ſcilicet inter ipſa Iſraelitarum itinera factam, ſed diu ante cum ipſa tabernaculi exſtructione) a conſilio orationis Moſis, quis non videt? Neque enim cum antecedentibus, neque cum conſequentibus ullo modo cohærent. Codex quidem Samaritanus exhibet verſum ſextum et ſeptimum eodem modo, quo Numerorum loco citato legitur. Sed quanquam hac ratione dubium contradictionis removetur, tamen remanet alterum, quod non minus grave mihi quidem videtur, totum hujus *ῥήσεως* argumentum nihil cum oratione Moſis habere commune. Attamen perquam antiqua ſit neceſſe eſt, hæc vel ſcribarum hallucinatio, vel librariorum temeritas, quoniam verſiones omnes cum lectione textus recepta conſentiunt. Audacius enim fortaſſe videatur aſſerere, interpolatas eſſe h. l. verſiones antiquas ex Codicum Hebræorum lectione recepta. Hinc etiam mirum non eſt, *Kennicotii* collationem, ut in plurimis aliis, nihil nos juvare. cf. *Cappellus* in Crit. S. Lib. VI. Cap. VII. n. XI. et *Cappellorum* Commentarii p. 410. et *Hubigantius* ad h. l.

habent partem aut peculium inter populares suos. Jova eis est instar peculii, quemadmodum eis promisit. 10. Mansi igitur in monte, sicuti antea, quadraginta dies totidemque noctes; atque Jova me hac quoque vice exaudivit, ut vos non perderet: 11. Sed jussit ut vos ducerem ad possessionem terræ, quam majoribus vestris jurejurando promisisset. 12. Jam vero, o Israelitæ, quid postulat Jova Deus vester a vobis, nisi ut eum timeatis, ut vivatis secundum rationem ab eo præscriptam, ut ametis eum et colatis toto corde totoque animo, 13. ut præcepta et statuta ejus, quæ ego jam vobis præcipio, teneatis, in propriam vestram utilitatem? 14. Jovæ Dei tui sunt cæli et cæli cælorum, terra et quæ in ea sunt, 15. et tamen majores vestros tanto est amore amplexus, et vos, eorum posteros, elegit ex omnibus gentibus. Res ipsa loquitur. 16. Igitur circumcidite cordis vestri præputium, neque amplius cervicem obstinate. 17. Nam Jova Deus vester est Deus Deorum, Dominus dominorum, Deus magnus, potens, tremendus, qui non habet personarum respectum, nec munera accipit. 18. Causam agit pupilli et viduæ, amat peregrinos, prospicit eis de victu et amictu. 19. Et vos quoque amate peregrinos, quoniam ipsi peregrini fuistis in Aegypto. 20. Jovam Deum vestrum timete et colite, huic adhærete

rete et per nomen ejus jurate. 21. Hic est de quo gloriari potestis, est Deus vester, fecit stupenda et terribilia ista facinora, quorum vos ipsi fuistis spectatores. 22. Septuaginta numero fuerunt majores vestri cum in Aegyptum proficiscerentur, et nunc auxit vos Jova Deus vester ad stellarum cælestium multitudinem.

CAPUT XI

Promittit obedientiæ legi divinæ præstitæ vitam felicem in terra occupanda, quam a magna fertilitate sua commendat, et victoriam de gentibus ejiciendis, si constantes essent in religione sua, eaque liberos suos quoque imbuerent. Tandem jubet solennem promissionum in monte Garizim, comminationum vero in monte Ebal proclamationem.

1. Amate Jovam Deum vestrum et diligentes estote in servandis ejus legibus, juribus et præceptis. 2. Nostis enim, (non loquor cum filiis vestris, qui non experti sunt aut viderunt Jovæ Dei vestri judicia) vos, inquam, nostis ejus magnitudinem, manum ejus fortem et brachium exertum, 3. signa et facinora quæ patravit in Aegypto in Pharaonem ejus regem omnesque ejus incolas. 4. Quæ fecit Aegyptiorum exercitui, equis et curribus, quos aquis sinus Arabici obruit, cum vos persequerentur, et sic eos delevit: quod constat

inter omnes. 5. Quæ vobis fecit in deferto, donec ad hunc locum perveniftis. 6. Quæ fecit Datani et Abiramo, Eliabi filiis, Rubenitis, quos terra hiatu aperta devoravit cum familiis fuis, tabernaculis et omnibus facultatibus e medio Ifraelitarum cœtu *a*). 7. Quæ eximia Jovæ facta cum ipfi oculis veftris videritis: 8. obfervate præcepta ejus omnia, quæ vobis jam injungo, ut confirmati pergatis ad terræ occupationem, cujus caufa mox Jordanum eftis trajecturi, 9. et ut diu vivatis in terra, quam majoribus veftris eorumque pofteris jurejurando promifit, terram rebus optimis et præftantiffimis abundantem *b*). — 10. Hæc vero terra non eft ficuti Aegyptus, ex qua egreffi eftis, quam confitam machinis adhibitis irrigabatis ut olerum hortum. *c*) 11. Sed montes habet et valles, et cæleftem pluviæ aquam bibit. 12. Jova Deus vefter hujus terræ curam gerit

a) Hiftoria legitur Num. 16, 31. feqq.

b) hebr. *lacte et melle fluentem.*

c) hebr. *quam femine tuo conferebas et irrigabas pede tuo ut hortum olerum.* Intelligendum hoc eft de machinis, quibus Aegyptii aquam Nili hauriunt atque ad loca altiora deducunt, quæ a Nilo non irrigantur. De quibus laboribus valde operofis et moleftis vid. *Paulfen* Relationes fide dignæ de agricultura orientalium p. 36. *Shaw* Itiner. p. 351. verf. germ. et *Harmari* Obfervatt. Orient. P. I. p. 12. P. II. p. 262.

rit et providentia ſua peculiari dignatur per totum annum. 13. Quodſi præceptis meis, quæ vobis jam injungo, obtemperaveritis, ut Jovam Deum veſtrum ametis et toto corde et animo colatis, 14. dabo, inquit, terræ veſtræ ſuo tempore pluviam tum autumnalem tum vernam *d*). Frumentum, muſtum et oleum colligetis. 15. Efficiam ut in campis gramina pro pecore veſtro ſuccreſcant, ut victus vobis abunde ſuppetat. — 16. Cavete ne animo decepti *a Jova* deficiatis et alios Deos colatis et adoretis. 17. Sic enim ille vobis iratus cælum claudet, ne pluviam dimittat, nec terra dabit proventum ſuum, et cito peribitis in terra illa bona, quam vobis dabit. 18. Igitur hæc mea dicta animo et memoriæ mandate, ligate ea in ſignum ſuper manibus veſtris, et ſint vobis frontalia inter oculos veſtros. 19. Docete ea liberos veſtros, de his loquimini, ſive domi ſitis, ſive in itinere, ſive cubitum abeatis, ſive ſurgatis. 20. Hæc inſcribite ædium veſtrarum poſtibus

d) יוֹרֶה *autumnalis*, poſt jactam ſementem ſub finem menſis Octobris. מַלְקוֹשׁ *verna*, ante meſſem, h. e. menſe Martio. Quæ duæ ſunt pluviæ tempeſtates in Palæſtina, a quibus omnis ejus fertilitas dependet. Aeſtate enim plerumque ſudum eſt. cf. *Harmarum* l. c. P. I. p. 32. ſeqq. et omnino Cap. I. de cœli temperie in Palæſtina l. c.

bus et *oppidorum* portis, 21. ut vos et poſteri veſtri diu vivatis in terra, quam Jova majoribus veſtris jurejurando promiſit, quam diu cælum terræ imminebit. 22. Quodſi præcepta, quæ vobis jam commendo, conſtanter tenueritis, ut ametis Jovam Deum veſtrum, ut ad normam ejus vivatis, eique adhæreatis, 23. expellet ante vos omnes iſtas gentes, earumque terram occupabitis, quanquam ſunt vobis majores et potentiores. 24. Omnis locus in quo pedem figetis, veſter erit. A deſerto usque ad Libanum, ab Euphrate flumine usque ad mare occidentale *e*) termini veſtri erunt. 25. Nemo vobis poterit reſiſtere. Timorem et terrorem veſtrum injiciet Jova Deus veſter omnibus regionibus, ad quas vos convertetis, quemadmodum vobis promiſit. — 26. En ego vobis jam propono felicitatem et infelicitatem. 27. Felicitatem, ſi obtemperaveritis Jovæ Dei veſtri præceptis, quæ vobis jam injungo. 28. Infelicitatem vero, ſi ea contemſeritis, et via quam vobis monſtravi deſerta alios Deos vobis ignotos ſectamini. — 29. Quando Jova vos introduxerit in terram mox a vobis occupandam, pronunciare debetis promiſſiones in monte Garizim, imprecationes vero in monte Ebal, *f*) (30. qui ſunt

e) h. e. mediterraneum, quod eſt Palæſtinæ ab occidente.

f) De his montibus vid. *Relandus* in Palæſtina p. 344. et 503.

ſunt trans Jordanum verſus occidentem, in Cananæa campeſtri e regione Gilgalis, juxta therebinthos More). 31. Trajicietis enim Jordanum, ut occupetis et inhabitetis terram, quam Jova Deus veſter vobis aſſignavit. 32. Igitur diligenter ſervate omnia jura et ſtatuta, quæ vobis jam propoſui.

CAPUT XII

Denuo injungit exſtirpationem idololatriæ Cananitarum antiquorum terræ incolarum. Unius et veri Dei, Jovæ cultus certo cuidam loco deinceps deſignando adſtringitur. Eſus carnis in deſerto interdictus conceditur in terra promiſſa, modo ut communis, non ut ſacer, et cum abſtinentia a ſanguine.

1. Hæc ſunt jura et ſtatuta a vobis perpetuo obſervanda in terra, quam Jova Deus majorum veſtrorum poſſidendam vobis dabit. 2. Deſtruere debetis omnia loca, in quibus gentes iſtæ a vobis expellendæ, in montibus, collibus, aut ſub arboribus virentibus, Deos ſuos coluerunt. 3. Aras eorum debetis evertere, ſtatuas frangere, lucos igne comburere, ſculptas

503. et ejusdem Diſp. de monte Garizim, quæ legitur in ejus Diſſ. miſcell. P. I. p. 122. et *Bachiene* in deſcriptione Palæſtinæ P. I. Vol. I. §. 97—100. Plura de re ipſa infra ad Cap. 27, 9. ſeqq.

ſculptas Deorum ſuorum imagines ſuccidere atque adeo nomina eorum ex illis locis delere. 4. Non ita Jovam Deum veſtrum coletis, 5. ſed in eo loco, quem ipſe ex omnibus tribubus eliget, ut ibi habitet. *a*) Ad hoc ejus domicilium ad eum conſulendum convenietis. 6. Eo holocauſta veſtra et reliqua ſacrificia, decimas, donaria, votorum ſpontaneas oblationes, primogenita *b*) armenti et pecoris deferre

a) Verba textus ſunt: לָשׂוּם אֶת שְׁמוֹ שָׁם *ad ponendum nomen ſuum ibi;* quæ explicanda ſunt ex alia phraſi verſu 11. obvia, cum qua in ſequentibus ſaepe permutatur לְשַׁכֵּן שְׁמוֹ שָׁם *ut nomen ejus ibi habitet.* Jam vero quis neſcit, nomen Dei idem eſſe, quod Deus ipſe? Deus vero ibi habitare dicitur, ubi ex voluntate ſua colitur. Hinc utramque illam phraſin nonnunquam cum aliis ſimilibus permutavi: locus Deo ſacer, locus quem cultui ſuo deſtinavit etc. לְשִׁכְנוֹ verti ut nomen, ſic quoque Syrus, et pro וּבָאתָ legendum videtur וּבָאתֶם. Sic Codex Samaritanus habet et verſiones antiquæ omnes. Syrus: *domicilium ejus quærite et ad illud venite.*

b) Recte, uti arbitror, Illuſtr. *Michaelis* ſtatuit, (in J. Moſ. P. III. §. 145. p. 22. et P. IV. §. 192. p. 95.) ut decimarum, ita quoque primogenitorum duplex genus fuiſſe, alterum quod Deo ſive Levitis in partem ſalarii datum ſit, alterum quod ab Iſraelitis in epulis ſacrificalibus conſumererur; illud quidem Moſen in populo Iſraelitico primum inſtituiſſe, hoc

deferre debetis. 7. Ibique in loco Jovæ Deo vestro sacro epulari et lætari una cum familiis vestris, de rebus et negotiis vestris; siquidem Jova Deus vester vos fortunabit. 8. Tum non ea omnia vobis licebunt, quæ hic vobis licent, ubi pro arbitrio nostro vivimus. 9. Nondum enim venistis ad quietam possessionem, quam Jova Deus vester vobis dabit. 10. Quum vero trajecto Jordano habitatis in terra, ad cujus possessionem a Jova Deo vestro immissi istis, quieti et securi ab omnibus undique hostibus vestris, 11. ad locum, quem ille pro domicilio suo eliget, afferre debetis omnia quæ vobis præ-

hoc vero ut ritum antiquum, fortasse inde a Jacobo servatum, invenisse, neque abrogasse. Quod ad duplicis generis decimas attinet, de his scriptores antiquitatum sacrarum, quæ vulgo dicuntur, exponunt, sed de primogenitis, quos ego quidem inspexi, tacent. *Clericus* ad h. l. v. 17. existimat *primogenitum pecus* vocari *pinguissimum*, epulis sacrificalibus consecratum, ex usu hujus vocis בכור satis noto, quo nonnunquam pro optimo et præstantissimo in suo genere dicitur. Sed ut taceam, tropicam vocum significationem in legum interpretatione non facile esse admittendam, refellit hanc sententiam quoque locus Cap. 15, 19. ubi eadem lex repetita extat, ibique additur *omnis*, כָּל הַבְּכוֹר. Sed durissima lex fuisset, si omnia armenta pinguia epulis sacrificalibus debuissent insumi.

præcepi, holocausta vestra et alia sacrificia, decimas, donaria et oblationes votivas, 12. ibique lætari cum liberis vestris, servis et ancillis, et Levitis apud vos commorantibus, qui nullam inter vos habent hæreditariam possessionem. 13. Cavete, ne holocausta vestra ubivis immoletis. 14. Sed tantum in eo loco, quem Jova ex una aliqua tribuum vestrarum eliget, ibi tum illa, tum reliqua omnia facietis, quæ vobis præcepi. *c)* 15. Attamen pro lubitu mactare animalia et carne vesci, ex beneficio divino in urbibus vestris potestis, mundus et immundus, ut capream aut cervum *d)*. 16. Sanguinem tantum ne comedatis, sed humi eum ut aquam effundatis. 17. At enim vero decimas frumenti, musti, olei, primogenita armenti et pecoris, votivas et spontaneas oblationes et donaria, non potestis in urbibus vestris comedere, 18. sed tantum coram Jova Deo vestro, in loco quem eliget, cum liberis vestris, servis et ancillis et Levita apud vos degente, et lætari coram eo de rebus vestris felicibus. 19. Absit ut unquam Levitas negligatis. — 20. Quum Jova Deus vester ampliarit

c) Abrogatur lex de carne non comedenda nisi in epulis sacrificalibus. cf. observata ad Levit. 17; 4. *a)*

d) h. e. ut cibum vulgarem. Illa enim animalia Deo non poterant sacrificii loco offerri.

rit terminos veſtros, quemadmodum vobis promiſit, carne pro lubitu veſci potoritis. 21. Si longius aberit locus, quem Jova cultui ſuo deſtinavit, licet jugulare armentum et pecus, quemadmodum vobis præcepi, et carne pro lubitu in urbibus veſtris veſci, 22. modo tanquam cervo aut caprea. Purus et impurus de eis comedant. 23. Sanguine vero prorſus abſtinete. Nam in ſanguine vita eſt, carne vero viva veſci non licet. 24. Igitur eum non comedite, ſed humi ut aquam fundite. 25. Non comedite eum, ut felices ſitis, vos et poſteri veſtri, cum feceritis, quæ Jovæ probantur. 26. Attamen quæ conſecraſtis, aut voviſtis, deferre debetis ad eum locum, quem Jova eliget, 27. ibique immolare holocauſta veſtra, carnem et ſanguinem ſuper altari Jovæ Dei veſtri. Sanguis vero ſacrificiorum effunditur ad aram, et carne veſci licet. 28. Diligenter obſervate omnia quæ vobis præcepi, ita enim felices eritis et poſteri veſtri in perpetuum, quum feceritis, quæ Jovæ Deo veſtro probantur. 29. Quodſi, deletis a Jova Deo veſtro iſtis gentibus, vos earum terram occupatam inhabitatis: 30. cavete, ne eodem laqueo irretiamini, ne nempe de earum diis ſciſcitemini, ut hos eadem ratione, qua illæ fecerunt, colatis. 31. Abſit, ut vos ita geratis in Jovam Deum veſtrum. Nam quæ hic quam maxime abominatur

minatur et deteſtatur, gentes iſtæ fecerunt in honorem Deorum ſuorum, quibus adeo filios ſuos et filias immolarunt.

CAPUT XIII

Leges pœnales contra idololatriam et qui ad eam alios ſeducant.

1. Omnia quæ ego vobis præcipio, diligenter ſervate, nihil eis neque addite, neque detrahite. 2. Si extiterit inter vos vates aliquis, aut ſomniator, qui ſignum aut prodigium apud vos ediderit, 3. quod etiam ſicuti ab eo prædictum eſt, evenerit *a*): idem vero vos hortetur ad aliorum deorum vobis ignotorum cultum: 4. nequaquam obtemperate dictis hujusmodi vatis, aut ſomniatoris. Jova Deus veſter vos tantum explorat, num eum toto corde et animo ametis. 5. Hunc igitur ſectari et timere debetis, ejus præcepta ſervare, voluntati ejus obtemperare, hunc colere, ei adhærere. 6. Iſte vero vates, aut ſomnia-

a) Hæc non ſunt ita intelligenda, tanquam ſi falſus iſte propheta legationem ſuam divinam vero miraculo confirmaret. Sed אות h. l. eſt res mira, inſueta, prodigioſa, quam ille prædicit et quæ impletur. Quod etiam ab impoſtore rerum naturalium perito fieri poteſt. cf. *Michaelis* in notis ad verſ. germ. et in Jure Moſ. P. V. §. 245 ſeqq. p. 103.

ſomniator, moriatur; ſuaſit enim defectionem a Jova Deo veſtro, qui vos ex Aegypto eduxit et ex ſervitute redemit, et ſeducere vos voluit a via quam ille vobis præſcripſit. Tollite igitur malum e medio veſtrum. — 7. Quum vos pellicere voluerint fratres veſtri germani, aut filii, aut filiæ, aut uxores vobis cariſſimæ, aut amici dilectiſſimi, ad cultum aliorum deorum vobis et majoribus veſtris ignotorum: 8. cujusmodi ſunt dii gentium vobis ſinitimarum, ſive propinquæ ſint, ſive remotæ, ab uno terræ extremo ad alterum: 9. Nolite votis eorum annuere, neque eis parcere, neque per miſericordiam eos celare. 10. Interficite eos, veſtra quidem manus prima ſit in eos, reliquorum autem ſecunda. 11. Nimirum lapidare eos debetis ut moriantur, nam vos ſeducere voluerunt a religione Jovæ Dei veſtri, qui vos ex Aegypto e ſervitute eduxit. 12. Quo audito Iſraelitæ timebunt, neque amplius hujusmodi ſcelus inter vos committetur. — 13. Si audiveritis, in una aliqua urbium veſtrarum, quæ Jova Deus veſter vobis habitandas dedit, 14. eſſe homines perditos, qui cives iſtius urbis ſeducant ad cultum aliorum deorum vobis ignotorum: 15. diligenter debetis inquirere atque inveſtigare. Quod ſi ita eſt, ſi revera ſcelus hoc turpiſſimum inter vos patratum eſt: 16. omnes iſtius urbis incolas ferro debetis trucidare,

trucidare, eam et omnia quæ in ea deprehenduntur atque adeo animalia devovere, 17. prædam ejus omnem in forum congerere, eamque ut et urbem ipſam igne comburere in honorem Jovæ Dei veſtri, et rudus ſit ſempiternum, nunquam inſtaurandum. 18. Nec quicquam de rebus iſtis devotis manibus veſtris adhæreat, ut Jova in ira ſua remittat, veſtrum miſereatur, vosque, quemadmodum majoribus veſtris jurejurando promiſit, augeat. 19. Si nempe voluntati ejus obtemperaveritis, et præcepta ejus, quæ vobis jam injungo, ſervantes feceritis, quæ ei probantur.

CAPUT XIV

Ritus prohibiti in funere. Animalia pura et impura. Decimæ in conviviis conſumendæ.

1. Filii eſtis Jovæ Dei veſtri, ne carnem veſtram incidatis, aut calvitiem vobis inducatis propter mortuum. 2. Populus enim ſanctus eſtis Jovæ Deo veſtro. Vos elegit, ut ei eſſetis populus peculiaris ex omnibus gentibus, quæ ſunt in orbe terrarum. — 3. Nulla re abominanda veſcamini. 4. Hæc ſunt animalia, quibus veſci licet: a) Bos, pecus ovinum et caprinum, 5. cervus, caprea, Jachmar, tragelaphus, Diſchon, bubalus et Semer. 6. Omnino omnia

a) cf. obſervata ad Levit. XI. not. a).

mnia animalia quæ ungulas habent divifas easque prorfus fiffas in duas partes, et quæ ruminant, ea comedatis. 7. In his vero non funt camelus, lepus, et mus urfinus, quæ quidem ruminant, fed ungulas non habent fiffas. Propterea vobis funt immunda. 8. Item porcus, qui quidem ungulas habet fiffas, fed non ruminat, impurus vobis efto. Carne ejus ne vefcamini, nec cadaver ejus tangatis. — 9. Ex aquatilibus hæc comedere licitum fit: omnia quæ pinnas habent et fquamas. 10. Quæ vero eis funt deftituta, ea ne comedatis, impura vobis funt. 11. Avibus puris vefci licet, 12. ad quas referendæ non funt aquila, aquila offifraga, valeria, 13. milvus, et Ajjæ varia genera, 14. ut et omnia corvorum genera, 15. Struthiocamelus, hirundo, larus, et pafferum varia genera, 16. otus, noctua et Tinfchemeth, 17. pelicanus, vultur, mergus, 18. ciconia, Anaphæ genera, upupa et vefpertilio. 19. Omnia volucria reptilia, impura vobis fint, 20. puris vero vefci vobis licitum eft. 21. Nullo morticino vefcemini. Peregrinis, qui inter vos degunt, illud date comedendum, aut vendite extraneis. Sacer enim eftis populus Jovæ Deo veftro. Hœdum in lacte matris ne coquatis. *b*) — — 22. Decimas omnis proventus veftri ex agris confitis quotannis

b) cf. Exod. 23, 19. not. *b*).

annis feponite, 23. quas deinde comedetis coram Jova Deo veftro, in loco quem cultui fuo deftinabit. Decimas nempe frumenti, mufti et olei, nec non primogenita armenti et pecoris veftri, ut Jovam Deum veftrum per omnem vitam veftram revereamini. 24. Quodfi longior eft via, et locus, quem Jova Deus vefter cultui fuo deftinavit, remotior quam ut decimas per divinam benedictionem copiofiores eo deferre poffitis, 25. licet eas pecunia permutare, quam in loco facro 26. infumatis pro arbitrio veftro, armento et pecore, vino et temeto, aut quacunque alia re, quam concupifcitis: ibique in loco facro cum familiis veftris epulemini et lætemini. 27. Tum vero Levitas inter vos degentes, qui nullam vobiscum partem aut portionem acceperunt, ne omittatis. 28. Sub finem tertii cujusque anni feponetis omnes proventuum veftrorum decimas, ad quas in urbibus veftris 29. invitetis Levitas nullas inter vos poffeffiones fortitos, peregrinos, pupillos et viduas veftrates, qui ad fatietatem epulentur. Quod fi feceritis, Jova Deus vefter vobis in rebus et negotiis veftris favebit.

CAPUT

CAPUT XV

De debitis feptimo quoque anno non exigendis, de fervorum manumiffione et primogenitis fecundis.

1. Septimo quoque anno moram debetis concedere:
2. Hæc vero fit hujus moræ ratio: *a*) omnes creditores

a) Multi interpretes hanc legem ex fententia Judæorum fic intellexerunt, quafi Mofes juberet, ut feptimo quoque anno creditores debitoribus fuis nomina contracta prorfus remitterent, neque unquam ea ab his exigerent. At enim vero alii recte viderunt non effe hunc hujus legis fenfum, neque verba Mofis hæc dicere; fed legislatorem tantum præcipere, ne feptimo quoque anno, qui erat fabbaticus, h. e. quo non ferebatur, nec metebatur, debita exigerentur a pauperibus, qui eo anno, quo nullos ex agris proventus percipiebant, non erant folvendo; moram igitur his effe hoc anno concedendam. Sed fequenti, quo ad agrorum fuorum culturam iterum redire poterant, utique licitum quoque fuerit debita exigere. Sic legem hanc interpretati funt *Jo. Meyerus* in Tract. de temporibus facris et feftis diebus Hebræorum Cap. XVII. §. 20. p. 335. et Ill. *Michaelis* in Jure Mof. P. III. §. 157. p. 106. feqq. qui inprimis iniquitatem hujus legis fecundum priorem ejus explicationem, et multa et gravia incommoda ex ea proventura, pluribus demonftravit. Neque verba legis jubent, ut ea de abfoluta debitorum remiffione explicentur, quin potius contrarium fuadent. Nam quoniam Mofes concedit de-

ditores debitoribus fuis moram debent concedere, neque debita ab eis exigere, cum indictus fuerit annus moræ in honorem Jovæ. 3. A peregrinis liceat debita exigere, fed popularibus veftris in eo quod vobis debent moram date, 4. nifi forte pauperes non fint. Nam Jova vobis fortunabit poffeffionem terræ quam vobis concedet. 5. Dummodo voluntati ejus obtemperaveritis, ut diligenter obfervetis præcepta omnia, quæ ego vobis jam injungo. 6. Imo Jova vobis benedicet, quemadmodum promifit, ita ut mutuo dare poffitis multis gentibus, ipfi vero nunquam mutuo accipiatis. Imperabitis multis gentibus, illæ vobis non imperabunt. — 7. Quodfi eft

bitum exigere a peregrino, apparet eum loqui de exactione, quæ fieret anno feptimo. Nam de eo dubium effe non poterat, num debitum a peregrino liceret exigere poft annum feptimum. — Verbum שמט quod vulgo vertitur *remittere*, hoc loco conftruitur cum fubftantivo יָד *manus*, et debitor jubetur שָׁמוֹט יָדוֹ *manum fuam remittere*, fc. a debitore, h. e. debitum non ab eo exigere. Ex qua fubftantivi יָד cum שמט conftructione apparet מַשֵּׁה in verfu fecundo non punctandum effe per Tfere, ut fit in ftatu conftructo cum fequenti ידו fed per Segol; pertinet enim ad שָׁמוֹט non ad מַשֶּׁה. Quod non obfervaffem, nifi vidiffem interpretes nonnullos in illa duarum vocum ex receptis punctis conjunctione hærere.

est aliquis popularium vestrorum, egenus in una aliqua urbium ejus terræ, quam Jova Deus vester vobis dabit, ne animum erga eum induretis, aut manum vestram ei subtrahatis. 8. Quin potius liberali manu ei mutuate, tantum quantum opus habet ad penuriam suam sublevandam. 9. Cavete ne cogitationes vobis oboriantur malignæ, atque anno septimo, anno moræ appropinquante vultu inhumano adspiciatis consanguineum vestrum egenum eique mutuare recusetis. Conqueretur enim hac de re apud Jovam, idque vobis culpæ erit. 10. Dare ei debetis, idque animo non invito, hac ipsa enim de causa Jova Deus vester vobis fortunabit res et negotia vestra omnia. 11. Non deerunt in terra vestra pauperes, propterea vobis præcipio liberali manu popularibus vestris pauperibus atque egenis largiri. — 12. Si vobis venditus fuerit popularis vester Ebræus, aut Ebræa, serviat sex annos, septimo anno manumittere eum debetis. 13. Nec tamen vacuum eum dimittite, 14. sed donum addite ex pecore, area et torculari; pro facultatibus vestris, quibus Jova vobis benedixit, eum munerate. 15. Et memores estote vos ipsos in Aegypto servos fuisse, Jovam vero Deum nostrum vos redemisse: propterea hoc ego vobis jam præcipio. 16. Quodsi negabit se a vobis discessurum esse, quoniam vos et vestros amet et

bona apud vos conditione utatur; 17. ſubula ejus aurem oſtio affigite et in perpetuum vobis ſerviat. Idem quoque ancillæ facite. 18. Ne durum vobis videatur, quod eum manumittere debeatis, nam duplum, mercedis mercenarii ſex annis vobis ſerviit, et Jova omnibus laboribus veſtris felices ſucceſſus largietur. — 19. Omnia primogenita de armento et pecore maſcula, Jovæ Deo veſtro conſecrate. *b*) Ne bove primogenito ad laborem utamini, nec pecus primogenitum tondeatis. 20. Coram Jova illa quotannis comedatis, cum familiis veſtris in loco quem Jova cultui ſuo deſtinabit. 21. Sed ſi vitioſum eſt, ut claudum et cœcum, aut alio gravi vitio affectum, non poteſt Jovæ Deo veſtro ſacrificari. 22. Sed domi illud comedite, immundus et mundus, modo ut capream aut cervum *c*). Sanguinem vero ne comedatis, humi eum ut aquam effundite.

CAPUT XVI

De celebratione trium feſtorum majorum; de conſtitutione magiſtratus et vitanda idololatriæ occaſione.

1. Menſem Abib notate, in quo Paſſa Jovæ Deo veſtro celebretis: hoc enim menſe ille vos ex Aegypto noctu eduxit. 2. Immolate autem Paſſate Jovæ

b) Sermo eſt de primogenitis ſecundis, de quibus confer dicta ad Cap. XII, 6.

c) cf. Cap. 12, 15. not. *d*).

Jovæ Deo vestro oves et boves, in loco quem cultui suo religioso destinabit. 3. Sed fermentatum ne comedatis, per septem dies panibus azymis vescamini panibus miseriæ *a*). Trepidanter enim ex Aegypto egressi estis. Propterea memores esse debetis hujus exitus vestri ex Aegypto per omnem vitam vestram. 4. Non inveniatur fermentum in tota terra per septem dies, nec supersit de carne hostiæ vespere primi diei mactatæ in tempus matutinum. 5. Non licet vobis mactare Passa in una aliqua urbium vestrarum, quam Jova Deus vester vobis dedit. 6. Sed tantum eo in loco, quem ille eligat, ut ibi colatur. Ibi quoque Passa mactate circa vesperam, sub occasum solis, quo ex Aegyto emigrastis. 7. Ibique paratum illud comedite et postridie domum revertimini. 8. Sex diebus panibus non fermentatis vescamini. Septimus sacer est Jovæ Deo vestro, quo ab omni labore abstinete. — 9. Septem septimanas numerate, ex quo falcem messi immisistis. 10. Tunc festum septimanarum Jovæ Deo vestro celebrate, dono voluntario, quod respondeat facultatibus Dei beneficio vobis concessis, 11. et lætamini coram Jova

a) Metonym. Sensus est: hoc pane semper memoriam afflictionum, quas in Aegypto perpessi estis, debetis renovare. Idem tropus extat Jes. 30, 20.

Jova Deo veſtro, vos, liberi veſtri, ſervi et ancillæ, Levitæ veſtrates, peregrini, pupilli, viduæ inter vos degentes, in eo loco, quem Jova Deus veſter cultui ſuo deſtinabit. 12. Meminiſſe enim debetis vos ſervos fuiſſe in Aegypto, propterea hæc inſtituta diligenter obſervate. — 13. Feſtum tabernaculorum ſeptem diebus celebrate, cum areæ et torcularis fructus percepiſtis, 14. et in illo feſto lætamini cum filiis et filiabus veſtris, ſervis et ancillis, Levitis, peregrinis, pupillis et viduis apud vos degentibus. 15. Per ſeptem dies hoc feſtum agite Jovæ Deo veſtro in eo loco quem Jova ſibi eliget. Is vobis fortunabit proventus veſtros et omnia veſtra negotia, ut poſſitis quoque lætari. 16. Ter quotannis compareant omnes mares veſtri coram Jova, in loco quem eliget, nimirum feſto azymorum, ſeptimanarum et tabernaculorum, neque vacui tunc compareant coram Jova. 17. Quisque quod offerre poteſt pro facultatibus a Jova Deo veſtro vobis conceſſis. — 18. Judices et ſcribas conſtituite in omnibus urbibus, quas Jova Deus veſter ſecundum tribus veſtras vobis dabit, qui jus dicant populo. 19. Juſtitiam ne violate, perſonarum reſpectum nunquam habete, nec munera accipite. Munera enim excœcant ſapientum oculos et pervertunt res juſtorum. 20. Juſtitiæ omni modo ſtudete, ut felices ſitis in poſſeſſione terræ,

terræ, quam Jova Deus vester vobis dabit. — 21. Ne plantetis lucum ullarum arborum juxta aram Jovæ Dei vestri, 22. neque erigatis statuam, quæ omnia ei exosa sunt.

CAPUT XVII

De victimis prohibitis, de idololatria cavenda, de caussis difficilioribus in judicio, de electione et officio regis.

1. Ne sacrificetis Jovæ Deo vestro bovem, aut ovem ullo vitio infectum, abominatur enim hujusmodi sacrificia. — 2. Si in ulla urbium vestrarum vir aut fœmina tantopere Jovam Deum vestrum offendat et fœdus ejus transgrediatur, 3. ut alios Deos sectetur eosque adoret, aut solem, aut lunam, aut astra cœlestia, quæ tamen minime præcepi. 4. Idque vobis indicatur, diligenter debetis hanc in rem inquirere. Quodsi comperitur revera hoc flagitium inter vos commissum esse: 5. educere debetis hunc virum, aut foeminam, qui scelus istud apud vos patrarint, atque lapidationis supplicio afficere, nullo ad sexum respectu adhibito *a*). — 6. Ex testimonio duorum aut trium reus moriatur: non vero ex testimonio unius. 7. Testes primi sint in supplicio

a) Sic explicanda videntur verba repetita: *virum aut foeminam.*

plicio ei inferendo, deinde qui de populo præsentes sunt. Sic tollere debetis malum e vobis. — 8. Si qua caufa difficilior incidat, quam ut de ea judicare audeatis, ut in homicidio, aut in quæstione poffefforia, aut in læfionibus, aut quacunque alia in re controverfa: adeatis locum quem Jova cultui religiofo deftinavit, 9. et conveniatis facerdotes, Levitas, aut judicem illum, qui tum erit. Hos confulite, hi de jure vobis refpondebunt. 10. Quorum fententiæ, quam vobis in loco facro dicent, obtemperate et ftudiofe facite omnia, quæ vos docebunt. 11. Ex lege, qua vos inftruent, ex fententia, quam vobis dicent, ita agite, ut neque ad dextram neque ad finiftram defleαtatis. 12. Si quis vero per infolentiam non paruerit facerdoti, qui tum apud Jovam Deum veftrum minifterio fungitur, aut judici: is morte puniatur. Malum enim e medio veftrum auferetis. 13. Quod cum reliqui audierint, timebunt, neque amplius infolenter fe gerent. — 14. Quum perveneritis in terram, quam Jova Deus vefter vobis dabit, eamque occupatam inhabitaveritis, regemque creare ftatueritis ad morem gentium finitimarum, 15. eum vobis præficite, quem Jova Deus vefter eliget, regem nempe ex natione veftra. Non licebit vobis præficere peregrinum, qui non fit de popularibus veftris. 16. Ille vero non multos equos

equos alat, neque propter eos populum in Aegyptum reducat, Jova enim negavit vos ea via redire debere. 17. Neque multas habeat uxores, ne a Deo deficiat, neque magnos auri et argenti thesauros sibi colligat. 18. In throno regio constitutus describat sibi exemplar hujus legis a sacerdotibus Levitis. 19. Idque apud se habeat et legat per omnem vitam suam, ut discat Jovam Deum suum timere, legi huic obedire, atque instituta hæc observare. 20. Ne superbe se gerat in consanguineos suos et a præceptis hisce in neutram partem deflectat, ut diu vivat in regno suo, cum ipse tum ejus filii inter Israelitas.

CAPUT XVIII

De reditibus sacerdotum et Levitarum, de artibus superstitiosis vitandis, de falsis prophetis dignoscendis.

1. Sacerdotes, Levitæ et universa omnino tribus Levitica partem et possessionem non habeat inter Israelitas, sed ex sacrificiis Jovæ ejusque possessionibus vivant. 2. Patrimonium non habeant inter populares suos, Jova eis erit pro patrimonio, quemadmodum etiam promisit. 3. Hæc vero debentur sacerdotibus a populo. Quicunque sacrificium facit, sive bove, sive ovino aut caprino pecore, det sacerdoti armum, maxillas et omasum. 4. Neque minus

date eis primitias frumenti, mufti, olei veftri, et primitias tonfuræ, ovium veftrarum. 5. Hanc enim ex omnibus tribubus veftris Jova Deus vefter elegit, ut fibi miniftret et pofteri ejus in perpetuum. 6. Si venerit Levita ex quovis oppidorum veftrorum, in quo peregrinatus fuerat, pro lubitu et arbitrio fuo ad locum a Jova cultui facro deftinatum; 7. miniftret Jovæ Deo fuo, uti omnes Levitæ contribules fui, qui tum ibi minifterio funguntur, 8. atque æquali cum eis portione fruatur, præter vendita a fe de bonis paternis. — 9. Quum perveneritis in terram quam Jova Deus vefter vobis daturus eft, ne mores imitemini turpiffimos iftarum gentium. 10. Ne fit inter vos qui filium fuum aut filiam igne comburat, qui fortilegia exerceat, aftrologus, augur, veneficus, 11. ferpentum conjurator, confulens pythones, fatidicus, necromantes. 12. Deteftatur Jova omnes, qui ifta faciunt et propter fcelera ifta turpiffima expellit gentes illas ante vos. 13. Integri eftote erga Jovam Deum veftrum. 14. Gentes iftæ a vobis expellendæ aftrologos habent et fortilegos. Vobis vero hoc Jova Deus vefter non concedit. *a*) 15. Prophetam vobis excitabit ex popularibus veftris

a) hebr. נָתַן *dedit* h. l. idem eft quod *conceffit*, *permifit*, uti fæpe, e. c. Genef. 20, 6. 31, 7. Quoad conftructionem cf. *Glaffius* in Tract. de Pronomine p. 148.

ſtris mei ſimilem, hunc audietis. *b*) 16. Quemadmodum

b) Sub hoc propheta non unus aliquis, non Joſua Moſis ſucceſſor, nec adeo Meſſias primario et in ſenſu literali eſt intelligendus, ſed prophetæ in genere omnes, quos Deus ſequentibus temporibus voluntatis ſuæ interpretes ad Iſraelitas ſit miſſurus. Quem ſenſum, quantum ego quidem intelligo, contextus plane docet. 1) Interdixit Moſes verſu præcedente populo, ne hariolos et divinatores adiret. Rationem addit in hoc verſu: quod Deus eis ex gente ſua prophetas ſuæ voluntatis interpretes perpetuo mittere vellet. 2) Nulla eſſet vis in verbis Moſis ad cavendam illam ſuperſtitionem, niſi promittat Meſſiam ſtatim poſt mortem ſuam venturum — Nolite hariolos adire — nam Deus vobis prophetam Meſſiam excitabit. — 3) Nexus cum verſibus 20. 21. 22. in quibus docetur, qua ratione ab illis veris Dei prophetis pſeudoprophetæ ſint diſcernendi. Perperam nonnulli interpretes urgent illud כָּמֹנִי *ſicuti me*, cum negetur Devt. 34, 10. et Num. 12, 6. 7. prophetam Moſi ſimilem extitiſſe. Male enim ab eis illud כמוני extenditur ad omnes Moſis prærogativas. Propheta Moſis ſimilis intelligitur talis, cui Deus ſuam voluntatem patefaciat, et qui eam ad populum ſumma fide referat, uti Moſes hactenus fecerat. Cum hac explicatione citatio hujus loci in Nov. Teſt. Act. 3, 23. et 7, 37. et applicatio ad Meſſiam bene poteſt conciliari, ſi teneamus, id quod adeo *Calovius* contra *Grotium* diſputans conceſſit, multa Vet. Teſt. loca præter ſenſum proxime intentum, literalem vocant, habere quoque ſenſum ſubliumiorem.

Igitur

modum ab eo petiistis ad Horebum die solennis istius conventus, ne amplius vocem Jovæ Dei vestri audiretis, neque ignem illum ingentem videretis, ne moreremini. 17. Tum ille mihi dixit: Bene habet quod dicunt. 18. Excitabo eis prophetam ex eorum popularibus, tui similem. Cui voluntatem meam indicabo, atque hic eis eloquetur omnia, quæ ei præcepi. 19. Quicunque vero non obtemperabit eis, quæ ille nomine meo dicet, in hunc ego animadvertam. 20. Quodsi propheta ea audacia fuerit, ut nomine meo loquatur, quanquam ei hoc non præceperim, aut aliorum Deorum nomine oracula proferat, hujusmodi propheta supplicio est afficiendus. 21. Fortasse quæritis, unde cognoscatis, prophetam non ex auctoritate Jovæ loqui? 22. *Respondeo:* si propheta nomine Jovæ aliquid prædixerit, neque hoc evenerit, res non est a Jova prædicta; per jactantiam loquitur hujusmodi propheta, non est quod eum metuatis.

Igitur hæc verba maxime proprie de Messia possunt intelligi et in eo sunt impleta: quippe ille fuit verissimus ille a Deo missus propheta ex populo Judaico, cujus contemtum quoque Deus severe puniit.

CAPUT

CAPUT XIX

De oppidis asyli, termino non transferendo, et testibus.

1. Quum exciderit Jova Deus vester gentes, quarum terram vobis assignabit, vosque in earum urbibus et ædibus consederitis: 2. 3. tria oppida in illa terra vestra in tres partes propterea dispertienda seligetis, ad quæ viam complanatam esse curabitis, ut ad ea confugiat homicida *a*). 4. Sed hoc privilegio fruatur tantum is, qui alium per imprudentiam occiderit, neque antea oderit. 5. Verbi causa: qui cum alio silvam lignandi gratia ingressus securim ad cædendam arborem agitet, et ferrum de capulo elapsum in alterum inciderit, ut ex eo moriatur, is in unum istorum oppidorum confugiat et saluti suæ prospiciat. 6. Ne sanguinis vindex eum in fervore animi sui persecutus assequatur, si via longior sit, et interficiat, cum tamen morte non dignus sit, quia nullam in eum inimicitiam foverit. 7. Propterea vobis præcipio, ut tria oppida *hunc in finem* separetis. 8. Si Jova Deus vester ampliarit terminos vestros, vobisque totam hanc terram dederit, quemadmodum majoribus vestris jurejurando promisit, 9. sed sub hac conditione, ut præcepta, quæ vobis jam injungo, studiose observetis, ut eum ametis et ex ejus legibus vitam vestram omnem instituatis: tum

a) cf. de his asyli oppidis observata ad Num. 35.

tum illis tribus oppidis adhuc alia tria addatis, 10. ne, si cædes in terra vestra a Jova Deo vestro vobis concessa committatur, vos ipsi cædis rei fiatis. 11. Sed si quis alterum oderit, eique struxerit insidias, aut palam eum aggressus fuerit et occiderit, et deinde in aliquod istorum oppidorum confugerit: 12. mittant proceres loci in quo vixit, et inde eum auferant et tradant sanguinis vindici, qui mortis pœnam de eo sumat. 13. Ne parcatis ei, sed commissam cædem punite. Sic enim felices eritis. 14. Ne transferatis terminos aliorum primum definitos in terra, cujus possessionem Jova Deus vester vobis concedet. — 15. Non admittatur unus testis in causa criminali cujuscunque generis, sed ex duorum aut trium testium indicio in rem inquiratur. 16. Si quis falsum testimonium in alium perhibuerit, et criminis aliquem postularit, 17. utraque litigantium pars in loco sacro compareat, coram sacerdotibus et judicibus, qui tum erunt; 18. judices diligenter in rem inquirant: et, si probatum fuerit, falsum esse testimonium quod in alterum dixerit, 19. faciant ei, quod ipse in alterum machinatus erat, et malum e vobis removete, 20. ut alii qui hoc audiunt, metuant, neque audeant deinceps hujusmodi scelus inter vos committere. 21. Ne parcatis. Vita pro vita, oculos pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede.

CAPUT

CAPUT XX

Belli leges.

1. Cum ad prælium hoſtibus veſtris committendum egreſſi videritis, equorum, curruum et hominum multitudine vos longe ſuperari, nolite timere, Jova enim Deus veſter, qui vos ex Aegypto eduxit, vobis adeſt. 2. Pugna igitur jam inſtante accedat ſacerdos, et populum ſic alloquatur: 3. Audite, Iſraelitæ, vos jam prælio decertabitis cum hoſtibus veſtris, nolite animis molleſcere, aut præ metu et terrore illos expaveſcere. 4. Jova enim Deus veſter vos præcedit, pugnaturus pro vobis cum hoſtibus veſtris, et vos defenſurus. 5. Tum tribuni coram populo edicant: qui novam domum exſtruxit, neque dedicavit, domum revertatur, ne, ſi in prælio occubuerit, alius eam dedicet. 6. Qui vineam plantavit, necdum primos fructus percepit, is domum repetat, ne forte in prælio cadat, et alius eos colligat. 7. Qui uxorem ſibi deſponſavit, neque duxit, is domum redeat, ne, ſi in prælio occubuerit, alius eam ducat. 8. Tandem et hæc addant tribuni: qui timidus eſt et animo effeminato, is domum redeat, ne aliis quoque timorem injiciat. 9. Quæ ſi edixerint tribuni apud populum, tum conſtituant duces exercitus, qui populo præſint. — 10. Si urbis obſidio-

nem

nem aggredimini, pacem ei antea offerte. 11. Si
pacem acceperit, et portas aperuerit, omnes ejus
incolæ tributarii vobis ſint et ſervi. 12. Sin pace
repudiata armis vobiscum decertare audet, eam ob-
ſidete. 13. Quodſi deinde Jova Deus veſter vobis
eam tradiderit, omnes ejus mares gladio interficite.
14. Mulieres vero, infantes, pecus, et quæ præterea
in urbe ſunt, vobis ut prædam diripite, et ſic uti-
mini ſpoliis hoſtium veſtrorum, quos Jova Deus ve-
ſter vobis tradet. 15. Sic vero agere debetis cum
urbibus a vobis longius remotis, quæ non ſunt ex
harum gentium urbibus. 16. Sed de his, quas Jo-
va Deus veſter vobis poſſidendas dabit, nihil omni-
no vivum debetis conſervare. 17. Has prorſus
evertetis, *urbes nimirum* Chittæorum, Amoritarum,
Cananitarum, Phereſitarum, Chivvæorum et Jebuſi-
tarum, quemadmodum Jova Deus veſter vobis præ-
cepit. 18. Ne imitemini cultum eorum turpiſſi-
mum, quem diis ſuis exhibuerunt, et ſic Jovam
Deum veſtrum offendatis. — 19. Si oppidum
aliquod diutina obſidione oppugnatis, ne arbores
ejus admota ſecuri corrumpite, nam earum fructi-
bus veſci poteritis. Igitur eas ne ſuccidite, ut il-
lis ad obſidionem utamini. Hominum enim uſui a
Deo

Deo sunt destinatæ *a*). 20. Sed arbores minus frugiferas potestis corrumpere et succidere, et machinas ex illis construere adversus oppidum, quod vobis resistit, donec illud expugnaveritis.

CAPUT

a) Verba textus כִּי הָאָדָם עֵץ הַשָּׂדֶה sunt paullo difficiliora. Vulgaris eorum explicatio mihi non probatur, quoniam sensum dat nimis frigidum, *num arbores homines sunt, ut eas oppugnes?* neque כִּי hujusmodi interrogationi solet præmitti, ut taceam ה non cum Kamets, sed Kateph patach esse punctandum. Particula illa caussalis rationem reddit, cur arbores frugiferæ non sint perdendæ, quoniam nempe Deus earum fructus hominum usibus destinavit, Genes. 1, 29. quod præceptum Moses sine dubio in animo habuit. Igitur hæc verba sunt in parenthesi et idem dicunt, quod Moses modo aliis verbis dixerat: כִּי מִמֶּנּוּ תֹאכֵל atque ultima cum præcedentibus sunt nectenda, qui in versione factum est. Phrasis vero *venire in obsidionem*, pro: *adhibere aliquid ad obsidionem instruendam*, legitur etiam Jerem. 32, 24. Ellipsis τῶ ל ante הארבים non dura videri potest, cujus et alia sunt exempla Eccles. 3, 19. 12, 13. Ezech. 13, 10. Legitur hæc hujus loci explicatio in *Frommanni* Opuscul. philol. p. 161.

Uu

CAPUT XXI

De expiatione cædis, cujus auctor ignotus est. De captivæ nuptiis. De primogenitorum jure. De liberis contumacibus. De sepultura cruci affixorum.

1. Si inveniatur occisus in terra, quam Jova Deus vester vobis possidendam dabit, ruri jacens, nec constet, quis eum interfecerit: 2. exeant seniores et judices, et metiantur distantiam oppidorum, quæ circum occisum erunt. 3. Et tunc magistratus illius oppidi, quod occiso proximum erit, sumant juvencam, quæ agricolationi nondum sit adhibita, nec in jugo traxerit, 4. eamque deducant ad rivum perennem, qui exsiccatus nec coli solet, nec conseri *a*), ibique eam decollent. 5. Tunc accedant sacerdotes Levitæ (hos enim Jova Deus vester elegit,

a) Interpretes dissentiunt in vertendo vocabulo נחל, quod *vallem* et *torrentem* notat. Illam quidem significationem suadere videntur verba adjecta, *quæ nec coli solet nec conseri;* hanc vero ejus epitheton איתן, quod ab arab. ותן aquam perennem notat. Equidem hanc præferendam putavi propter constantem et minime dubiam significationem vocis איתן quæ cum illis verbis bene potest conciliari. Constat enim dari in Oriente multos rivos, qui aquam non habent perennem, sed æstate exsiccantur et in valles, quæ coli possunt, convertuntur. Quæ haud dubie quoque ratio est, unde נחל utramque accepit significationem.

git, ut ſibi miniſtrent, ſuo nomine bene precentur, et in controverſiis et quæſtionibus capitalibus de jure reſpondeant), 6. omnesque illius oppidi proceres, qui occiſo proximi ſunt, lavent manus ſuas ſuper vitula ad rivum decollata, 7. et dicant: manus noſtræ non effuderunt hunc ſanguinem, nec oculi noſtri viderunt. 8. Propitius eſto, Jova, populo tuo Iſraelitico, quem redemiſti, nec imputes ei ſanguinem innocentem apud eum effuſum, ſed expietur ab illa cæde. — 9. Vos enim cædem e medio veſtrum removere debetis, et omnem operam dare ut Jovæ placeatis. — 10. Si in expeditionem profecti Jova Deus veſter hoſtes vobis tradiderit, ut eos captivos abducatis, 11. et veſtrum aliquis viderit inter captivos mulierem formoſam, quæ ſibi adeo placeat, ut eam in matrimonium ducere velit: 12. deducat eam in domum ſuam; illa vero caput ſuum tondeat, ungues alat *b*),

13.

b) Verba textus ſunt: וְעָשְׂתָה אֶת צִפָּרְנֶיהָ *et faciet ungues ſuos;* quam phraſin ambiguam interpretum antiquiorum alii de unguibus nutriendis, alii de iis reſecandis intellexere. Onkelos, Arabs priori modo, [illegible], Vulgatus et Syrus poſteriori. Illam præferendam putavi, quoniam mulier iſta ſigna luctus edere debebat. Sed tamen dubito.

13. et depofita vefte, qua tanquam captiva induta fuit, maneat domi ejus et deploret parentes fuos per menfem integrum, et ita demum cum ea congredi eamque in matrimonium ducere poteft. 14. Quodfi *deinceps* ei difplicet, liberam eam debet dimittere, vendere eam non licet, neque mancipii loco habere, quoniam eam fubegerat. — 15. Si quis duas habet uxores, alteram amatam, alteram invifam, atque ex utraque filios fuftulit, quorum primogenitus eft ex invifa: 16. non licet ei in conftituenda hæreditate inter filios fuos, jura primogeniti conferre in filium amatæ, vivente adhuc filio invifæ, qui fuit primogenitus. 17. Sed hunc ut primogenitum agnofcat, eique tribuat duplicem portionem facultatum fuarum omnium. Eft enim virium fuarum principium, huic competit jus primogenituræ. — 18. Si quis filium habet contumacem, rebellem et parentibus fuis immorigerum, qui ab eis caftigatus ne quidem obtemperet: 19. parentes eum deducant ad magiftratum urbis in locum judicii, 20. et fic eum accufent: hic filius nofter contumax eft et rebellis, obedire renuit, prodigus eft et ebriofus. 21. Tum omnes illius urbis incolæ eum lapident. Sic malum e medio tollere debetis, ut Ifraelitæ, cum hoc audierint, metuant. — 22. Si quis ob crimen capitale fupplicio

cio affectus e patibulo suspenditur, 23. non pernoctet in eo cadaver, sed eodem die sepeliatur. Nam suspensum Deus exsecratur. Terram vero, quam Jova Deus vester vobis possidendam dabit, non debetis contaminare.

CAPUT XXII

Leges de rebus amissis restituendis, de sexuum vestibus non permutandis, de matre et pullis una non capiendis, de tecti lorica, de mistuvis illicitis, de fimbriis, de signis virginitatis, adulterio, stupro.

1. Si videtis popularis vestri bovem aut pecus divagari, nolite vos eis subtrahere, sed reducite ea ad illum. 2. Quodsi vobis vicinus non est, aut non notus, recipite ea apud vos et servate, donec ea illi quærenti restituere possitis. 3. Ita etiam facere debetis cum asino ejus, veste et omnino cum omni re amissa popularis vestri, quam si inveneritis, non potestis eam negligere. 4. Neque, si videbitis bovem, aut asinum alterius in via lapsum, curam ejus omittere. Juvare debetis popularem vestrum in eis erigendis. — 5. Non sese amiciat mulier vestitu virili, nec vir induat vestes mulieris; quicunque hoc fecerit, Deo est invisus. — 6. Si incideritis in via in nidum avis, sive in arbore, sive humi positum, in quo aut pulli sunt, aut ova, qui-

bus mater incubet, non licet matrem una cum pullis auferre. 7. Matrem dimittite, pullos vero vobis capite; ut bene vobis ſit et diu vivatis. — 8. Si novam domum exſtruitis, ejus tectum loriça munite, ne culpam contrahatis mortis alterius, qui ex eo deciderit. — 9. Ne conſeratis vineam veſtram rebus diverſi generis; alioquin omne quod in ea eſt, ſacrum fiet *a*), tum ſemen quod ſeminaſtis, tum proventus vineæ. 10. Bove ſimul et aſino ne arate. — 11. Schaatnes, h. e. veſtem ex lana et lino contextam, ne induite *b*). 12. Fila contorta vobis facietis in quatuor extremis tunicæ veſtræ, qua amicti eſtis. — 13. Si quis uxorem duxerit, et cum ea congreſſus, eam ex odio calumniatus fuerit, 14. famam ejus læſerit, dixeritque ſe eam in

a) In textu legitur פֶּן תִּקְדַּשׁ הַמְּלֵאָה *ne conſecretur plenitudo.* Multi interpretes offenderunt in ſignificatione rariori verbi קדש et explicationes hujus legis dederunt valde quæſitas. Recte, uti arbitror, *Clericus*, cum quo etiam Ill. *Michaelis* conſentit (in J. M. P. IV. §. 219. p. 340). verbum קדש de pœna explicat, quam Moſes minetur ei, qui contra hanc legem peccet, ne nempe ſacro fiſco addicatur, quicquid in hoc agro aut vinea creverit. — Qui hoc fecerit, inquit Moſes, videbitur fructus illius agri aut vineæ Deo conſecraſſe.

b) cf. Levit. 19, 19.

in primo congressu virginem non invenisse: 15. tum puellæ parentes deferant virginitatis signa ad magistratum in forum, 16. et pater coram eo rem exponat, se filiam suam viro huic dedisse in matrimonium; qui per odium 17. eam calumnietur, dum dicat, se eam non invenisse virginem, cum tamen hæc sint signa virginitatis filiæ. Simul expandat pannum coram magistratu urbis. 18. Tum hic virum illum castiget, 19. et mulctam imponat centum siclorum argenteorum, quos patri puellæ det, quoniam malum rumorem sparsit de virgine Israelitica, atque eam ita uxorem habeat, ut nunquam dimittere possit. 20. Quodsi autem revera eam *in primo congressu* virginem non invenerit: 21. deducant puellam ante fores paternæ domus, eamque lapidibus obrutam istius urbis cives supplicio afficiant, quoniam flagitium commisit in Israele et in domo patris sui scortata est; omne autem scelus e medio vestrum tollere debetis. — 22. Si quis deprehensus fuerit concubuisse cum fœmina maritum habente, ambo juxta moriantur, cum vir, tum fœmina. Auferre debetis omne nefas e populo vestro. — 23. Si quis puellam virginem viro jam desponsatam in urbe compresserit, 24. ambos educite ante portas istius urbis et lapidando occidite. Puellam quidem, quoniam in urbe non

clamavit; virum autem, quoniam alterius uxori
vim intulit. Omnia flagitia a vobis removete. 25. Si
quis autem ruri puellæ desponsatæ vim intulerit: vir
tantum moriatur, qui cum ea concubuit. 26. Puel-
la autem pœna immunis esto, neque capitale crimen
commisisse censenda est. Perinde est, ac si quis al-
terum aggressus vita privet. 27. Nam cum ruri
puellam reperisset, clamavit illa quidem, sed nemo
aderat, qui ei succurreret. — 28. Si quis puel-
lam virginem non desponsatam constuprarit et depre-
hensi fuerint, 29. solvat vir ille, qui hoc fecerit,
patri puellæ, quinquaginta siclos argenteos, atque
eam uxorem habeat, quam nunquam repudiare pos-
sit, quoniam ei vim intulerat.

CAPUT XXIII

De iis qui jus civitatis Israeliticæ consequi poterant: de munditie castrorum: de servo fugitivo: de meretricibus, cynædis, votis, et alienarum frugum usu.

1. Nemo novercam suam ducat in matrimonium,
nec patris sui gremium retegat. 2. Nemo contri-
tione læsus aut castratus jus habeat civitatis Israe-
liticæ. 3. Item peregrinus infamis *a*); is neque de-
cima

a) Explicationem vulgarem vocabuli rarioris מַמְזֵר quod h. l. tantum et Zach. 9, 6. legitur, in dubium vocavit Ill.

cima generatione admittatur ad civitatem Jovæ, 4. non Ammonitæ, non Moabitæ debent admitti, vel in decima ſtirpe, hoc eſt, nunquam. 5. Eo quod

Ill. *Michaelis* in Jure Moſ. P. II. §. 139. Nimirum ex conſenſu verſionum antiquarum et Judæorum chriſtiani interpretes omnes ממזר vertunt *de ſcorto natum*, (ſic Vulgatus) ſub quo tamen non liberos ex matrimonio illegitimo intelligunt, ſed qui ex ſcorto publico ſ. proſtibulo nati ſunt. Quoniam vero duo loca, in quibus hoc vocabulum legitur, non ſufficiunt ad hanc ſignificationem certo probandam, neque ex linguis cognatis aliquid ad ejus illuſtrationem afferri poteſt, Vir Celeb. primum ipſe ex conjectura divinavit, legendum eſſe מום זָר *macula peregrini*, h. e. peregrinus, qui populo macula ſ. ignominia eſſet; deinde ex nota marginali patris ſui, quam ſuis bibliis adſcripſerat, didicit eum in eandem ſententiam incidiſſe, non quidem ex eo, quod lectio ei ſuſpecta eſſet, ſed ex contextu, quoniam ſequuntur ſpecies peregrinorum in perpetuum a jure civitatis Iſraeliticæ excluſorum, Ammonitæ et Moabitæ. Tandem quod quæſivit Vir Celeb. l. l. p. 434. an non in Codice manuſcripto hoc vocabulum per Vau ſcriptum legatur מומזר, confirmat collatio codicum *Kennicotii*, qui unum quidem, nec tamen nullum, codicem ſub num. 236. citat, in quo ſcriptum extat מומזר. Quæ omnia mihi facile hanc explicationem ut perquam probabilem et tantum non certam perſuaſerunt.

quod vobis cibum et potum non suppeditarunt, cum ex Aegypto effetis egressi, atque adeo mercede conduxerant Bileamum filium Beoris, ex Petore Mesopotamiæ ad mala vobis imprecanda. 6. Sed Jova Deus vester hoc ei non concessit, quin potius diras ejus convertit in bona vota, quoniam vos amat. 7. Saluti et utilitati eorum nunquam studete. 8. Sed ab Edomitis ne abhorrete, consanguinei vestri sunt; neque ab Aegyptiis, peregrini fuistis in eorum terra. 9. Nati eorum in tertia stirpe admittantur ad Jovæ civitatem. — 10. In expeditione adversus hostes vestros, cavete vobis ab omni re turpi. 11. Si quis impurus factus est pollutione nocturna, castris egrediatur, neque *illo die* eo redeat. 12. Circa vesperam autem lavet se aqua, et post occasum solis in castra revertatur. — 13. Locum *certum* habetote extra castra, quo ad requisita naturæ exeatis. 14. Et instrumento ferreo, quod præter arma vobiscum feratis, fodite, et deinde egesta iterum obruite. 15. Jova enim Deus vester in castris vestris versatur, ut vos defendat, vobisque hostes vestros subjiciat. Igitur castra vestra munda sint, ne si quid fœdum apud vos conspiciat, a vobis discedat. — 16. Servum, qui ad vos sese receperit, domino suo ne tradatis: 17. apud vos habitet, in loco quem ipse elegerit, quacunque

in urbe ei visum fuerit, nec ullo modo ei molesti estote. 18. Nulla sit ex fœminis Israeliticis prostibulum, neque ex viris cynædus. 19. Mercedem meretriciam et pretium ex vendito cane ullum ob votum ne inferatis in ædem Jovæ Dei vestri, nam utrumque æque abominatur *b*). 20. Nullas a popularibus vestris accipite usuras, neque ex pecunia, neque ex cibis, neque ex ulla alia re quam fœneratus est. 21.

b) Dissentiunt interpretes circa alteram hujus legis partem, utrum nempe כֶּלֶב proprie an improprie dictum sit, pro *cynædo*, qui in antecedente versu קָדֵשׁ vocatur. *Clericus* quidem in Commentario suo hanc explicationem data opera defendit contra *Bochartum* (in Hieroz. P. I. Lib. II. Cap. 56.) et *Spencerum* (de legibus Hebr. rit. Lib. II. Cap. 36.) qui propriam vocabuli כלב significationem asseruerant. Contra *Clericum* vero disputavit *Ikenius* in Dissert. philol. theol. Disp. VI. p. 65.) atque probare studuit כלב utique proprie esse accipiendum, quoniam legislatores non verbis tropicis, sed propriis leges suas promulgare soleant. מְחִיר vero dicitur de quacunque permutatione, s. emtione s. venditione aut alia transactione fiat in compensationem rei traditæ, ex significatione verbi مخر in VIII. Conjug. *selegit meliorem rei partem.* Hinc מְחִיר כֶּלֶב est id quod cum cane permutatur s. quo canis permutatur. Cujusmodi res s. pecunia Deo summæ castitatis et puritatis auctori non poterat non esse quam maxime invisa.

21. In peregrino licitum fit vobis, non vero in popularibus veftris, ut Jova Deus vefter vobis fortunet res et negotia veftra in terra, ad quam occupandam pergitis. — 22. Si votum feceritis Jovæ Deo veftro, ne moremini illud folvere. Exigit enim hoc a vobis Jova Deus vefter, et culpam committetis. 23. Qua carebitis, fi omnino a vovendo abftinetis. 24. Promiffa fervate diligenter, quemadmodum Jovæ Deo veftro fponte vovistis atque ore promififtis. — 25. Si alterius vineam intraveritis, uvas pro appetitu ad fatietatem comedere, fed convafare non licet. 26. Si in alterius fegetem veneritis, fpicas manu carpere licet, fed non falcem ei immittere.

CAPUT XXIV

De divortiis, belli immunitate, plagio, lepra curanda, pignore, mercede, humanitate in pauperes et peregrinos, et liberalitate in frugum collectione.

1. Si quis uxorem duxerit, remque cum ea habuerit, quæ deinde ei difpliceat, quod aliquid in ea offenderit inhoneftum, atque fcripferit ei divortii libellum, quo eam e domo fua dimiferit: 2. e qua egreffa, fi alii nupferit, 3. et is quoque alter ejus maritus odium in eam conceperit, fcriptoque repudii libello dimiferit; aut fi alter ejus maritus, qui eam

eam duxerat, mortuus fuerit: 4. non potest prior ejus maritus, qui eam dimiserat, eam iterum in matrimonium ducere, siquidem polluta est, idque abominabile futurum esset coram Jova Deo vestro. Terram vero, quam vobis possidendam dedit, nullo modo debetis contaminare. — 5. Qui recens matrimonium contraxit, is non in exercitu pugnet, nec aliis muneribus sit obnoxius. Immunis sit domus ejus per integrum annum, lætetur cum ducta uxore. 6. Ne quis pignoris loco accipiat molam et catillum; perinde est, ac si vitam ipsam pro pignore acciperet. — 7. Si quis convictus fuerit, quod furatus sit aliquem ex consanguineis suis, hoc est, Israelitis, quem aut ipse retinuerit, aut vendiderit aliis: fur ille moriatur, tollere debetis hujusmodi flagitium e medio vestrum. — 8. In morbo lepræ omnem operam date, ut diligenter faciatis omnia, quæ vos sacerdotes Levitæ docent: et quæ vobis præcipiunt, exsequamini. 9. Recordamini quæ Jova Deus vester fecit Mariæ in itinere post exitum ex Aegypto a). — 10. Si mutuum dederitis alteri, quodcunque illud fuerit, nolite domum ingredi ad pignus ab eo accipiendum, 11. foris manete, et is cui mutuastis, pignus vobis foris efferat. 12. Si pauper est, cum pignore ejus ne cubitum

a) Historia legitur Num. 12, 9—16.

bitum abeatis. 13. Reddite ei pignus ante ſolis occaſum, ut in panno ſuo cubare poſſit *b*). Qua de re vobis bene precabitur, et pro beneficio vobis reputabitur apud Jovam Deum veſtrum. — 14. Mercede ſua ne defraudetis mercenarium pauperem et egenum, ſive ſit popularis veſter, ſive peregrinus apud vos degens. 15. Suo quoque die date ei mercedem, antequam ſol occidat. Nam pauper cupide eam anhelat, ne, ſi propter vos Jovam imploret, culpam contrahatis. — 16. Non moriantur patres propter filios, neque filii propter patres, quisque ſui peccati pœnam luat. — 17. Ne cauſam peregrini et pupilli in judicio pervertatis, nec pignoris loco accipiatis veſtem viduæ. 18. Memores eſtote vos ſervos fuiſſe in Aegypto, a Jova Deo veſtro exinde redemtos, propterea hæc vobis præcipio. — 19. Si meſſem facientes in agro omiſeritis manipulum, nolite eum repetere. Peregrini ſit, pupilli et viduæ. Ita vero Deus vobis res veſtras omnes proſperabit. 20. Quando oleam ſtringitis, non ſingulos ramos excutiatis. Peregrini ſint, pupilli et viduæ. 21. Item in vindemia ne racememini: habeant ſibi reliquias peregrini, pupilli et viduæ. 22. Recordemini vos ſervos fuiſſe in Aegypto, propterea hæc vobis præcipio.

CAPUT

b) cf. Exod. 22, 25. not. *a*).

CAPUT XXV

De pœna in judicio infligenda, de bove triturante, de uxore fratris ducenda, de muliere impudica, de ponderibus et menſuris, de delendis Amalekitis.

1. Orta contentione partes in judicium eant, et judices dicant ſententiam. Innocentem abſolvant, nocentem condemnent. 2. Qui ſi plagis dignus eſt, judex eum proſtratum in ſuo conſpectu pro criminis ratione ad numerum cædat. 3. Quadragies eum feriat, non amplius, ne ſi modum excedat in flagellatione, nimium affligatur frater veſter in conſpectu veſtro *a*). — 4. Ne capiſtrum injiciatis bovi trituranti. — 5. Si fratres una habitant, et unus ex iis ſine liberis moritur, defuncti uxor alieno ne nubat, levir eam ex jure ſuo in matrimonium

a) Verba textus פֶּן נִקְלָה אָחִיךָ לְעֵינֶיךָ vulgo explicantur: *ne contemtim habeatur frater tuus.* At enim vero Ill. *Michaelis* recte, uti arbitror, contradixit huic explicationi (in Jure Moſ. P. V. p. 52.) ex ea ratione, quod, ſi plagæ dehoneſtent, æque ignominioſum ſit, num aliquis quadragies, an centies loris cædatur. Igitur Vir Celeb. ex originatione verbi קלה, *uſſit*, *aduſſit*, exiſtimat phraſin hebræam hujus loci reſpondere Latinorum formulæ, *urere loris*, *urere virgis*, ſi nimia verberatione cutis dilaceretur (*blutrünſtig ſchlagen*). Quam ingenioſam explicationem nemo forte contemnat.

nium ducat, 6. et primogenitus, quem pariet, defuncti fratris nomen gerat, ne illius nomen ex Israelitis deleatur. 7. Quodsi nolit vir ille fratriam suam ducere, hæc in loco judicii coram senatoribus se sistat, atque eis indicet, levirum suum nolle fratris sui nomen servare inter Israelitas, nec eam ex jure leviratus ducere. 8. Tum advocent eum senatores illius civitatis, et cum eo colloquantur. Si præsens negaverit se velle eam ducere, 9. tum fratria ad eum accedat in præsentia senatorum, eique calceum detrahat et coram eo exspuat, ita dicens: sic fit homini, qui fratris sui familiam sobole non instruit, 10. et cognomen ei sit inter Israelitas, ut ejus familia *familia discalceati* vocetur *b*). — 11. Si duo pugnis inter se contendant et alterius uxor accedat sui viri defendendi causa ab eo a quo pulsatur, et prehendat hujus pudenda: 12. absque misericordia manum ei præcidite. — 13. Ne habeatis in crumena vestra diversum pondus, majus et minus, 14. neque in ædibus vestris diversam mensuram, majorem et minorem. 15. Pondera et mensuras justas et æquas habetote, ut diu vivatis in terra, quam vobis Jova Deus vester dabit. 16. Ille enim abominatur omnes, qui hoc aut aliud quodcunque scelus admittunt. — 17. Mementote quæ vobis

b) cf. Genes. 38, 8. not. *c*).

vobis Amalekitæ fecerint in itinere post exitum vestrum ex Aegypto. 18. Quomodo vobis in itinere occurrerint atque extremos vestros carpserint, fessos et fatigatos, nihil Deum veriti c). 19. Igitur cum Jova Deus vester quietem vobis concesserit ab omnibus hostibus vestris finitimis, in terra quam vobis possidendam dabit, memoriam adeo Amalekitarum e terrarum orbe delete. Ne horum obliviscamini d).

CAPUT XXVI

De ritibus in oblatione primitiarum observandis, de decimis tertii cujusque anni. Conclusio hujus sermonis.

1. Quum perveneritis in terram, quam Jova Deus vester vobis possidendam dabit, eamque occupatam inhabitaveritis, 2. de primitiis omnium frugum, quas perceperitis in terra a Jova Deo vestro vobis donata, reponatis in canistro eoque abeatis ad locum cultui sacro a Jova Deo vestro destinatum a), 3. et

c) Historiam legimus Exod. 27, 8. seqq. ubi tamen hæc circumstantia non narratur, sed tantum prælium cum Amalekitis commissum, ex quo Israelitæ superiores discesserunt.

d) Incertum est, utrum de facto Amalekitarum, an de Mosis præcepto hoc intelligendum sit.

a) cf. Cap. XII, 5. not. a).

3. et sacerdotem tunc futurum his forte verbis alloquimini: profiteor hodie apud Jovam Deum tuum, me perveniſſe in terram, quam majoribus noſtris jurejurando promiſerat. 4. Tum ſacerdos accipiat caniſtrum e manibus veſtris, idque ante aram Jovæ Dei veſtri deponat. 5. Vos vero ita pergatis: pater meus Syrus fuit oberrans. In Aegyptum profectus ibi peregrinatus eſt cum ſuis non ita multis; ſed ibi excrevit in gentem magnam, potentem et numeroſam. 6. Cum Aegyptii nos graviter affligerent et dura ſervitute premerent, 7. clamavimus ad Jovam majorum noſtrorum Deum; is nos exaudivit viditque miſeriam noſtram, laborem et afflictionem. 8. Eduxit nos ex Aegypto inſigni potentia et virtute, terribili judicio, ſignis et prodigiis, 9. et introduxit nos in hunc locum, dedit nobis hanc terram optimam et fertiliſſimam. 10. Jam igitur offero primitias frugum terræ, quam tu, o Jova, mihi dediſti. — Et ſimul deponetis eas coram Jova Deo veſtro eum ſuppliciter adorantes: 11. quo facto læta convivia, adhibitis Levitis et peregrinis apud vos degentibus, inſtituantur propter bona iſta omnia vobis et familiis veſtris ab eo tributa. — 12. Quum perſolveritis omnes proventus veſtri decimas *b*) tertio anno, qui eſt harum decimarum annus,

b) Sermo eſt de decimis ſecundis, cf. Cap. 12, 6. not. *b*).

nus, et *ex iis* dederitis Levitis, peregrinis, pupillis et viduis, ut in urbibus veſtris ad ſatietatem comedere poſſint: 13. tunc coram Jova Deo veſtro hanc profeſſionem edere poteſtis: Removi ſacrum ex ædibus; dedi illud Levitis, peregrinis, pupillis, et viduis, omni modo quo præcepiſti. Non transgreſſus ſum leges tuas, neque earum fui immemor. 14. Non comedi de eo in luctu, nec ſuſtuli aliquid in uſum immundum, nihil de eo dedi mortuo, tuæ, o Jova, voluntati obtemperavi, feci omnia quæ præcepiſti. 15. Reſpice *ad nos* ex ſede tua ſancta ex cœlo. Fave populo tuo, Iſraeli, et terræ quam nobis dediſti, quemadmodum majoribus noſtris jurejurando promiſiſti, terram rebus optimis et præſtantiſſimis abundantem. — 16. Hoc ipſo die Jova Deus veſter vobis præcipit obſervare jura hæc et ſtatuta omnia. Diligenter igitur ea tenete toto corde et toto animo. 17. Vos quidem Jovæ hodie principatum conceditis *c*), ut nempe ſit Deus veſter, ut ex voluntate ejus vivatis, leges et præcepta ejus ſervetis eique in omnibus morem geratis. 18. Ideo quo-

c) hebr. הֶאֱמַרְתָּ in Hiphil tantum h. l. et ſequenti verſu legitur. Significat in quarta conjugatione apud Arabes *principatum alicui concedere*, quæ ſignificatio h. l. eſt aptiſſima. cf. *Glaſſius* p. 259.

quoque Jova vobis hunc honorem concedit, ut vos populum suum esse declaret, quemadmodum vobis promisit, et ut ejus præcepta servetis, 19. ut vos omnibus aliis gentibus a se conditis reddat superiorem, ut laude, honore et gloria floreatis, ut sacer sitis populus Jovæ Dei vestri, quemadmodum promisit.

CAPUT XXVII

De lege tabulis lapideis insculpenda, iisque prope Sichemum erigendis. De nova in montibus Ebal et Garizim fœderis pactione et solenni dirarum proclamatione.

1. Porro Moses et Israelitarum proceres a) populo edixerunt: observate omnia præcepta, quæ ego vobis hodie injungo. 2. Nimirum quando trajecto Jordano perveneritis in terram, quam Jova Deus vester vobis dabit, erigite lapides magnos, quibus calce obductis 3. inscribite verba hujus legis omnia b). Postquam *Jordanum* transiistis in terram, quam

a) Præsentes sine dubio in illa legatorum populi concione, eoque ipso promittentes se diligenter omnia, quæ Moses jusserit, esse executuros.

b) Incertum est, quænam lex sit intelligenda. Alii Decalogum, alii Deyteronomium, alii totum Pentateuchum, alii tantum maledictiones et benedictiones quæ in fine capitis legun-

quam vobis Jova Deus vester donabit, terram rebus optimis abundantem, quemadmodum majorum vestrorum Deus vobis promisit. 4. Igitur Jordano trajecto erigite lapides illos, de quibus vobis dixi, in monte Ebal c), eosque calce obducite. 5. Atque

leguntur, volunt his lapidibus esse inscriptas. De decalogo nihil Moses habet, neque de eo aliquid legitur in executione hujus mandati a Josua curata Cap. VIII. Deuteronomium et multo magis omnes quinque Mosis libri tantam tabularum lapidearum multitudinem requisivissent, quam locus, in quo erigendæ erant, vix cepisset, ut alia taceam, quæ hanc sententiam parum probabilem reddunt. Equidem assentior iis, qui has ipsas maledictiones et benedictiones intelligunt, quæ in solenni isto conventu ex illis montibus debebant proclamari. Sic quoque *Josephus* intellexit Antiquitt. Jud. Lib. IV. Cap. VIII. segm. 44.

c) Codex Samaritanus pro monte Ebal substituit montem Garizim. Quam lectionem *Kennicotus* in Differt. II. super ratione textus hebr. Cap. I. data opera defendit, et Judæos corruptionis temerariæ textus hebræi convincere voluit. At enimvero *Kennicotum* Samaritanorum caussam male defendisse, tum alii jam monuerunt, tum novissime S. R. *Verschuir* (in Dissertatt. philol. exegeticis p. 44 seqq.) qui argumentum primarium quo *Kennicotus* usus est, tam solide refutavit, ut vel Ill. *Michaelem* Kennicoti sententiæ antea faventem ad partes suas traheret. (Biblioth. Orient. P. VI. p. 45.) Nimirum Anglus ille Celeb. contendit,

que ibidem aram exſtruite Jovæ Deo veſtro lapideam ferro non adhibito. 6. In hac ara ex lapidibus

aram una cum lapidibus non in monte Ebal fuiſſe exſtructam, ſed in monte Garizim, quoniam in illo imprecationes debebant pronunciari, in hoc vero benedictiones, inter quas ſacrificia a populo cum gaudio eſſent peracta. At enim vero S. R. *Verſchuir* hoc ipſo argumento contra *Kennicotum* utitur. Quoniam enim tota hæc cærimonia fiebat in ſanctionem fœderis cum Iſraelitis denuo ſub ingreſſum terræ occupandæ percuſſi, ſacrificia, quæ in hoc fœdere uti in omnibus aliis offerebantur, neceſſario in eo monte mactata ſunt, in quo populus ſub dirarum illarum pronunciatione promiſit, velle ſe fœderis conditiones omnes implere, qui e conſenſu utriusque Codicis hebræi et Samaritani fuit mons Ebal. S. R. *Verſchuir* in hujus ſuæ ſententiæ probationem pluribus adſtruit diſcrimen, quod fuerit inter fœdus Moabiticum et Sinaiticum, illudque inprimis ſub diris imprecationibus ſancitum eſſe defendit. Sed quanquam Viro Celeb. in eo non aſſentior, fœdus illud Moabiticum novum prorſus et diverſum a Sinaitico fuiſſe, tamen hæc ejus hypotheſis ad quæſtionem hujus loci vel intelligendam vel dijudicandam nihil facit. Convenit hoc inter omnes in fœderis ſanctione ſacrificia eſſe adhibita, quibus partes paciſcentes mala ſibi imprecabantur, ſi fœderis conditiones violarent. Igitur ara, in qua ſacra illa fieri debebant, neceſſario in monte Ebal fuit erecta. Dei vero erat fidem in ſervando fœdere monſtratam remunerari quaſi promiſſionibus, quod factum eſt ex monte Garizim.

ctibus impolitis exſtructa immolate holocauſta Jovæ Deo veſtro. 7. Ibi mactate ſacrificia euchariſtica et epulas ſacrificales inſtruite et ferias agite coram Jova Deo veſtro. 8. Lapidibus autem illis verba omnia hujus legis clare et perſpicue inſcribite. — 9. Porro Moſes et ſacerdotes Levitæ univerſo Iſraeli edixerunt: Attendite Iſraelitæ! Vos hodie facti eſtis populus *ſacer* Jovæ Deo veſtro. 10. Igitur huic obtemperate et obſervate præcepta et ſtatuta ejus, quæ ego vobis jam injungo. — 11. Præterea Moſes tunc populo dixit: 12. Hi ad bene precandum populo ſtent in monte Garizim, quando Jordanum trajeciſtis: Simeon, Levi, Juda, Iſaſchar, Joſeph, Benjamin. 13. Ad imprecandum ſtent in monte Ebal: Ruben, Gad, Aſcher, Sebulon, Dan, Naphtali. 14. Sic vero Levitæ coram omnibus Iſraelitis *d*) alta voce exclament: 15. Male pereat *e*) qui

d) Joſ. 8, 33. totus Iſrael explicatur per ſeniores, tribunos et judices totius populi partes ſuſtinentes. Neque enim veriſimile eſt, terminos horum montium cum valle interjecta cepiſſe omnes et ſingulos Iſraelitas, peregrinos æque ac indigenas, quemadmodum Joſuæ l. c. legitur. Tot interfuerunt ſacræ cærimoniæ, quot locus capiebat.

e) hebr. ארור *maledictus*, h. e. dignus cui mala omnia eveniant.

qui sculptum aut fusum simulacrum fecerit, quod Jova abominatur, opus fabrili manu factum, quod in occulto ponat. Et respondeat omnis populus: Ita. 16. Male pereat, qui patrem aut matrem diffamarit *f*), et respondeat omnis populus: Ita. 17. Male pereat, qui terminos alterius submoverit. Et respondeat omnis populus: Ita. 18. Male pereat, qui cœcum a via seduxerit. Et respondeat omnis populus: Ita. 19. Male pereat, qui peregrinum, pupillum et viduam jure suo defraudaverit. Et respondeat omnis populus: Ita. 20. Male pereat, qui cum noverca sua concubuerit, nam patris sui gremium retexit. Et respondeat omnis populus: Ita. 21. Male pereat, qui cum bestia rem habuerit. Et respondeat omnis populus: Ita. 22. Male pereat, qui cum sua sive ex patre sive ex matre sorore concubuerit. Et respondeat omnis popu-

f) Sic verto verbum hebraicum מַקְלֶה quod ex significatione sua primaria *ussit* etiam de ignominiæ nota, quæ alicui inuritur, usurpatum fuisse apparet ex substantivo קָלוֹן. *Oi ó* habent ἀτιμάζων. Vulgatus: *qui non honorat.* Syrus: מַן דְנַצַּחֵא. Onkelos verbum hebraicum habet: דִיקַלֵּי. Videntur hi interpretes קלה cum קלל confudisse. Quod an recte fiat dubito, quanquam lingua chaldaica confirmare videtur eandem utrique verbo significationem fuisse communem.

populus: Ita. 23. Male pereat, qui cum focru fua concubuerit. Et refpondeat omnis populus: Ita. 24. Male pereat, qui alterum clam interfecerit. Et refpondeat omnis populus: Ita. 25. Male pereat, qui munus acceperit ad cædem patrandam. Et refpondeat omnis populus: Ita. 26. Male pereat, qui non omnia hujus legis præcepta diligenter executus fuerit. Et refpondeat omnis populus: Ita.

CAPUT XXVIII

Magnam felicitatem Mofes promittit Ifraelitis, fi legem fervarent, et minatur pœnas graviffimas, fi eam transgrederentur.

1. Si Jovæ Deo veftro morem gefferitis, ut fervetis ejus præcepta, quæ vobis jam injungo; principem vos omnium totius terrarum orbis gentium efficiet. 2. Evenient vobis, femperque juncta erunt bona hæc omnia. 3. Felices eritis in urbe, felices ruri. 4. Felices erunt fructus uterorum veftrorum, terræ, pecoris; fœtus armenti veftri, et greges ovium. 5. Felicia caniftra veftra et mactræ. 6. Felices eritis redeuntes, felices exeuntes. 7. Profligabit Jova hoftes veftros vos aggredientes. Una via vos invadent, et feptem viis fugient. 8. Jubebit Jova, ut felicitas vobis adfit in horreis et in omnibus negotiis veftris. Fortunabit vos in terra,

quam vobis dedit. 9. Conſtituet vos populum ſibi ſacrum, quemadmodum vobis jurejurando promiſit, ſi præcepta ejus ſervaveritis et ſecundum ea vitam inſtitueritis. 10. Videbunt omnes terrarum orbis nationes vos Jovæ populum eſſe, vosque timebunt. 11. Efficiet vos bonis abundantes, fructu uterorum, pecoris, agrorum in terra, quam majoribus veſtris jurejurando promiſit. 12. Aperiet vobis theſauros ſuos, bona cœli, dabit pluviam terræ veſtræ tempeſtivam. Proſperabit labores veſtros. Mutuabitis multis gentibus, vos vero non mutuo ſumetis. 13. Jova vos principem, non ultimam gentium conſtituet *a*). Superiores, nunquam inferiores eritis, ſi obſervaveritis Jovæ Dei veſtri præcepta, quæ ego vobis injungo, 14. neque ab his edictis meis vel ad dextram vel ad ſiniſtram deflexeritis, converſi ad alios Deos quos colatis. — 15. At enim vero ſi Jovæ Dei veſtri voluntati non obtemperaveritis, ut præcepta et ſtatuta ejus ſervetis, quæ vobis jam injungo, vobis evenient, ſemperque juncta erunt mala hæc omnia: 16. Infelices eritis in urbe, infelices ruri. 17. Infelicia erunt caniſtra veſtra et mactræ. 18. Infelices fructus uterorum veſtrorum et terræ veſtræ, fœtus armenti et greges ovium.

19.

a) hebr. *efficiet te caput*, *non caudam*, eſt dictio proverbialis. cf. v. 44. et Eſ. 9, 14. 15.

19. Infelices eritis in reditu, infelices in exitu. 20. Immittet Jova vobis maledictionem, perturbationem, exitium omnibus laboribus quos fuscipitis, ita ut destructi cito pereatis propter morum vestrorum improbitatem, qua eum deseruistis. 21. Peste vos afficiet, donec vos consumserit e terra, ad quam occupandam pergitis. 22. Infliget vobis phthisin, febrem, ardorem, inflammationem, siccitatem, uredinem et icterum *b*), quæ vos ad perniciem usque persequentur. 23. Cælum fuper vobis erit æneum, et terra fubter ferrea. 24. Demittet Jova in vos loco pluviæ pulverem et arenam, donec perditi fueritis. 25. Efficiet ut cædamini ab hostibus vestris. Una via exibitis, et feptem fugietis. Oberrabitis per omnia terrarum orbis regna. 26. Cadavera vestra ab avibus rapacibus et feris animalibus consumentur nemine abigente. 27. Afficiet vos Jova ulceribus Aegyptiacis, mariscis, porrigine, scabie infanabili, 28. amentia, cæcitate, mentis stupo-

b) Qui morbi in lingua latina aut germanica his nominibus morborum hebraicis respondeant, nemo tuto dixerit. Conjecturæ ex verborum origine petitæ incertæ sunt. — שִׁדָּפוֹן et יֵרָקוֹן alias sunt vitia frumenti. Sed in hoc contextu malim ea etiam de morbis humanis explicare, cf. *Michaelis* quæstiones arab. p. 189. seqq.

ſtupore. 29. In ipſa meridie palpabitis, ſicuti cæcus in tenebris. Nihil vobis proſpere ſuccedet, ſemper opprimemini et diripiemini, defendente nemine. 30. Uxores vobis deſpondebitis, alii eas ſtuprabunt, domos exſtruetis, quas non inhabitabitis, vineas conferetis, nec percipietis earum fructus. 31. Boves veſtri vobis ſpectantibus mactabuntur, ſed vos de eis non comedetis. Aſini veſtri vobis eripientur, neque ad vos redibunt. Oves veſtræ tradentur hoſtibus, nec erit qui vos defendat. 32. Filii filiæque veſtræ captivi abducentur a populo peregrino vobis ſpectantibus, et magno eos juvandi deſiderio tenebimini, nec vires habebitis, ut eos liberare poſſitis. 33. Terræ laborumque veſtrorum fructus conſumet populus tibi ignotus, ſemperque oppreſſi eritis et vexati. 34. Mente moti eritis propter iſta ſpectacula quæ *quotidie* videtis. 35. Afficiet vos Jova malis ulceribus et inſanabilibus in genibus et cruribus a planta pedis ad verticem usque. 36. Abducet Jova vos et regem veſtrum in gentem vobis et majoribus veſtris ignotam, ibi coletis alios Deos ligneos et lapideos. 37. Obſtupeſcent gentes, ad quas vos Jova abegerit ad calamitatem veſtram, dicterio et deriſioni eritis. 38. Multum ſeminis efferetis in agrum et parum metetis, locuſtæ *ſegetem* conſument. 39. Vineas conſeretis et coletis, ſed vinum

vinum neque bibetis, neque uvas colligetis, convolvulus *racemos* corrumpet. 40. Oleas habebitis in terra veſtra, nec oleo vos poteritis ungere, quoniam olivæ excutientur. 41. Filios et filias gignetis, ſed non veſtri erunt, quoniam captivi abducentur. 42. Arbores et terræ fruges corrumpet locuſta. 43. Peregrini, qui apud vos degunt, magis magisque creſcent, vos magis magisque decreſcetis. 44. Illi vobis mutuabunt, vos non illis. Illi ſuperiores, vos inferiores eritis. 45. Hæc mala vobis evenient, vos perſequentur et ad internecionem usque perdent, quoniam Jovæ Deo veſtro non morem geſſiſtis, ut præcepta et ſtatuta, quæ vobis dedit, ſervaretis, 46. eruntque in vobis et poſteris veſtris ſignum et exemplum, 47. quoniam Jovam Deum veſtrum non coluiſtis læto et hilari animo ex omnium rerum copia. 48. Servietis hoſtibus veſtris ad quos ille vos propellet in fame, ſiti, nuditate et omnium rerum inopia. Ferreum jugum vobis imponet ad perniciem usque veſtram. 49. Adducet Jova in vos gentem remotam ab extremis terræ finibus, aquilæ inſtar velocem, gentem cujus linguam non intelligetis, 50. atrocem, quæ nec ſenis rationem habet, nec pueri miſeretur. 51. Fructus pecoris et terræ veſtræ conſumet, donec *fame* periiſtis. Non relinquet vobis frumentum, muſtum, oleum,

oleum, fœtus armenti, aut pecoris greges, donec vos prorſus confecerit. 52. Oppugnabit vos in urbibus terræ veſtræ, donec muros illos altos et munitos, quibus confidebatis, dejecerit. Oppugnabit, *inquam*, vos in oppidis terræ veſtræ, quam Jova Deus veſter vobis dedit. 53. Comedetis fructum ventris veſtri, carnem liberorum veſtrorum, quos Jova Deus veſter vobis dedit, præ obſidionis anguſtia qua vos hoſtes veſtri prement. 54. Vir mollis et valde delicatus invidebit fratri ſuo, aut uxori cariſſimæ, aut filio ſuperſtiti 55. dare de carne filiorum ſuorum, quos præ inopia rerum aliarum omnium comedere cogetur in obſidionis anguſtia, qua vos hoſtes in omnibus oppidis veſtris arctabunt. 56. Fœmina mollis et adeo delicata, ut præ mollitie et deliciis non ſuſtineret pede humum tangere, invidebit marito dilecto, filio ſuo, aut filiæ, 57. dare de ſecundinis a ſe editis, aut de filiis recens natis, quos præ omnium rerum inopia ipſa clam comedet, propter obſidionis anguſtiam, qua vos hoſtes in oppidis veſtris prement. 58. Niſi diligenter obtemperaveritis omnibus legibus in hoc libro ſcriptis, ut nomen hoc glorioſum et venerandum *Jovam Deum veſtrum* revereamini: 59. hic miras plagas vobis et poſteris veſtris infliget, plagas graves et diu durantes, morbos peſſimos et incurabiles. 60. Affliget vos omni-

omnibus Aegypti morbis, a quibus vobis timetis, quique vobis perpetuo inhærebunt. 61. Omnes quoque morbos et plagas non nominatas in hoc legis libro vobis immittet, donec consumti fueritis. 62. Pauci tantum superstites eritis, qui jam stellarum multitudini æquetis, eo quod Jovæ Deo vestro morem non gessistis. 63. Et quemadmodum gavisus est Jova vobis benefacere vosque augere; ita gaudebit vos perdere et delere. Exterminabimini e terra mox a vobis occupanda, 64. et dispergemini per omnes totius terrarum orbis nationes, ibi coletis deos alios vobis et majoribus vestris ignotos, ligneos, lapideos. 65. Neque inter has gentes felices vivetis, nullus in quo quiescere possitis locus concedetur. Jova vos ibi quoque mentis agitatione, anxio desiderio et animi mœrore affliget. 66. Vitam agetis anxiam, noctu diuque metuetis, nunquam vos tutos existimabitis. 67. Mane vesperam, et vespere mane optabitis, tanto timore agitabimini, tantopere vos omnia quæ videtis terrebunt. 68. Navibus Jova vos deportari finet in Aegyptum, quam terram nunquam a vobis revisendam dixerat, ibi vendemini hostibus vestris in servos et servas *tanta multitudine*, ut emtores desint. — 69. Hoc est fœdus, quod jussu Jovæ Moses pepigit cum Israelitis in regione Moabitica, præter illud quod cum eis ad Horebum pepigerat.

CAPUT

CAPUT XXIX

Hortatur Mofes ad fœderis conditiones implendas et fervandas, et fœdifragis interitum atque perniciem minatur.

1. Convocavit Mofes omnes Ifraelitas *a*) atque hunc in modum ad eos verba fecit: Vidiftis quæ Jova fecit in Aegypto Pharaoni, ejus aulicis et omni ejus terræ. 2. Mala illa graviffima innuo, figna et prodigia horrenda, quibus vos ipfi fpectatores interfuiftis. 3. Neque tamen ad hunc usque diem Jova vobis dedit mentes intelligentes, oculos ut videre, aures ut audire poffetis. 4. Duxi vos quadraginta annos in deferto. Non obfoleverunt veftimenta veftra, nec calcei detriti funt in pedibus veftris *b*). 5. Panem non comediftis, nec vinum aut potum fortiorem bibiftis. Ex quo Jovam Deum veftrum cognofcere debebatis. 6. Perveniftis tandem in hunc locum. Hic obviam nobis proceflerunt Sichon rex Chefbonis et Ogus rex Bafanis, ut prælium nobis committerent: hos vicimus, 7. et terram eorum captam diftribuimus inter Rubenitas, Gaditas et dimidiam tribum Manaffis. — 8. Implete omnes hujus

a) Quomodo hæc fint intelligenda, dictum eft ad Caput I. fub *

b) cf. Cap. 8, 4. not. *c*).

jus fœderis conditiones diligenter, ſic enim felices eritis in omnibus, quæ ſuſceperitis. 9. Vos omnes hodie ſtatis coram Jova Deo veſtro, tribuum veſtrarum principes, ſenatores, ſcribæ, omnes omnino Iſraelitæ, 10. liberi veſtri, mulieres, peregrini in caſtris veſtris verſantes, ipſique adeo lignatores et aquatores, 11. ad fœdus cum Jova Deo veſtro adhibito ſacramento ineundum *c*), quod ille vobiscum hodie pangit, 12. quo vos populum ſuum Deumque veſtrum eſſe declarat, quemadmodum vobis promiſit, et majoribus veſtris Abrahamo, Iſaaco et Jacobo juravit. 13. Neque ſolum vobiscum ego hoc fœdus et ſacramentum ſancio: 14. ſed tum cum his qui adſunt et coram Jova Deo noſtro ſtant, tum etiam cum his, qui nondum adſunt *d*). 15. Meminiſtis enim commorationis noſtræ in Aegypto atque itinerum noſtrorum per varias gentes. 16. Vidiſtis ſacra earum abominabilia, idola earum lignea et lapidea, argentea et aurea. 17. Ne ſit inter vos vir, aut fœmina, aut familia, aut tribus, quæ

c) Verba textus לְעָבְרְךָ בִּבְרִית יְהוָֹה *ut transeas per partes victimarum ſectas*, explicanda ſunt ex ritu in fœderibus pangendis ſolenni, de quo dictum eſt ad Geneſ. 15, 10. cf. Jerem. 34, 18.

d) h. e. cum poſteris veſtris.

quæ animo a Jova Deo noſtro averſo ſibi proponat colere iſtarum gentium deos, ne ſit inter vos radix progerminans venenum aut abſinthium *e*). 18. Qui auditis hujus ſacramenti verbis ſibi ipſe blandiatur, ſibique perſuadeat felicem ſe futurum, ſi quoque ex mentis ſuæ pertinacia vivat, atque ita cupiditates ſuas foveat *f*). 19. Non ignoſcet Jova

e) Hebr. ראש ולענה. Nondum ſatis certa eſt ſignificatio utriusque vocis. De illo quidem egit *Celſius* in Hierobot. P. II. p. 46. et *cicutam* eſſe defendit, de hoc Part. I. p. 480. quod *abſynthium* eſſe ſtatuit. Prioris ſignificationem inprimis in dubium vocavit Ill. *Michaelis* in Quæſt. Arab. p. 144. utpote non ſatis tuto a *Celſio* probatam. Poſui vocabulum generis *veneni*, a qua ſententia ipſe Vir Celeb. alienus non eſt l. c. Cæterum dictio eſt proverbialis, cujus ſenſus eſt: ne ſit aliquis rebellis adverſus legem primariam de uno Deo colendo, atque hæc ſecum cogitet, quæ in ſequenti verſu leguntur.

f) Verba textus ſic habent: לְמַעַן סְפוֹת הָרָוָה אֶת הַצְּמֵאָה, quæ perquam diverſimode explicantur. Mihi quidem *Clerici* interpretatio verbis et contextui ſatis apta videtur, *ut addat irrigationem terræ ſitienti.* רָוֶה eſt ſubſtantivum, idem quod רְוָיָה (ex quo fortaſſe contractum eſt) *irrigationem* ſignificans, ad הצמאה ellipſis ſubſtantivi ארץ aut אדמה *terræ* nemini dura videbitur. Quorum troporum facillimam explicationem oſtendunt antecedentia:

Jova hujusmodi homini, sed ira ejus et æmulatio in eum exardescet, incumbent ei omnes imprecationes in hoc libro scriptæ, memoriam ejus Jova delebit ex hoc universo. 20. Separabit eum ex omnibus tribubus Israeliticis ad mala ei inferenda, quibus hoc fœdus in hoc libro consignatum sancitum est. 21. Quodsi deinde aliquando futura generatio, liberi vestri qui post vos existent, aut peregrini ex remotis regionibus advenæ, videbunt calamitates hujus terræ, et afflictiones, quibus Jova eam contriverit, 22. sulphure et sale combustam, non consitam, non gramen, non herbam progerminantem,

dentia: *ne sit inter vos*, ait Moses, *qui sibi persuadeat, se salvum et incolumem futurum esse, quamvis ex animi sententia vivat et agat.* Jam, quæso, quid *irrigatio* esse potest, nisi eæ ipsæ cogitationes, quæ in hujusmodi Israelitæ animo, qui cum *terra sitienti* comparatur, fovebant desiderium illud idololatriæ, atque ita suaves et optatæ ei erant, ut *irrigatio terræ sitienti.* Simillimus locus est apud Esaiam, qui eodem tropo utitur ad beneficia describenda, quæ Deus conferre velit ea desiderantibus. Cap. 44, 3. *Ne timeas, Jacobe*, nam *effundam aquam* עַל צָמֵא *in sitientem et fluenta* עַל יַבָּשָׁה *in siccum sc. humum.* Sic Moses, modo de re contraria, eandem metaphoram adhibet de falsa et impia spe, qua Israelitæ pravas suas cupiditates fovebant.

nantem, Sodomæ et Gomorrhæ, Adamæ et Zeboim per Jovæ iram æſtuantem everſis ſimilem: 23. interrogabunt *illi g)* aliæque gentes, cur Jova huic terræ ita fecerit, quæ cauſa ſit hujus tantæ iræ ferveſcentis; 24. tum eis reſpondebitur: quoniam *ejus incolæ* violato fœdere, quod Jova Deus majorum eorum cum eis ex Aegypto eductis fecerat, 25. alios deos coluerunt et adorarunt ipſis ignotos, neque *a Jova* aſſignatos *h)*. 26. Propterea ira ejus exarſit in hanc terram, ut adduceret in eam omnes diras in hoc libro ſcriptas, 27. atque *ejus incolas* ex terra ſua ejiceret magna cum ira et indignatione, atque in alias regiones expelleret, in quibus etiamnum vivunt. 28. Occulta, Jovæ Dei noſtri ſunt. Revelata autem ad nos et poſteros noſtros pertinent in perpetuum, ut nos impellant ad omnia hujus legis præcepta ſervanda *i)*.

CAPUT

g) Mutavit ſubjectum quærens. Nam in hoc verſu eſt apodoſis periodi, quæ incipit in verſ. 21.

h) hebr. חָלַק cf. Cap. 4, 19.

i) Senſus videtur eſſe hic: Iſraelitas non debere nimis curioſe quærere, quando aut quomodo Deus pœnas illas in eorum poſteros ſit immiſſurus; hæc Dei eſſe, cui futura tantum cognita ſint et perſpecta. Quæ vero univerſe de his revelata ſint, ea debere ipſos ad obedientiam legibus præſtandam impellere.

CAPUT XXX

Promittit populo resipiscenti veniam. Legem ipsam vero tam clare explicatam esse monet, ut nemo se ejus ignorantia possit excusare.

1. Quando autem hæc omnia, tum fausta tum infausta, quæ vobis jam exposui, evenerint, vosque eorum memineritis inter gentes, ad quas vos Jova Deus vester propellet, 2. atque ad eum reversi ejus voluntati obtemperaveritis in omnibus, quæ vobis jam præcipio, una cum liberis vestris toto corde totoque animo eum reverentes: 3. Ille Jova Deus vester vos ex captivitate reducet, atque vestrum misertus, ex omnibus gentibus inter quas vos dispersserat, colliget. 4. Si qui vestrum ad extremas cœli regiones dispersi essent, tamen eos inde colliget, 5. vosque reducet in terram, quam majores vestri tenuerunt, atque feliciores et potentiores quam majores vestros efficiet. 6. Liberabit vos et posteros vestros ab ista mentis pravitate *a*), ita ut eum toto corde et animo ametis. Quæ vestra erit felicitas. 7. Hostibus vero vestris et adversariis, qui vos persequuntur, immittet ista mala omnia. 8. Quodsi sic ad Jovam reversi ei obtemperatis et præcepta ejus exsequimini, quæ vobis

 jam

a) hebr. *circumcidat Jova cor tuum et cor seminis tui.*

jam injungo, 9. vos felices reddet in omnibus negotiis veſtris, in liberis veſtris, in pecore alendo, in agricultura, imo lætabitur de felicitate veſtra, quemadmodum de majoribus veſtris eſt lætatus. 10. Sed ſub hac conditione, ut ei pareatis, ut præcepta et ſtatuta ejus in hoc libro legis ſcripta ſervetis atque ad eum toto corde et animo revertamini. — 11. Hæc vero præcepta, quæ vobis jam expoſui, non nimis ardua ſunt, neque captum veſtrum excedunt. 12. Non in cœlo ſunt, ut vobis dicendum ſit: quis in cœlum aſcendat et inde ea nobis repetat et explicet, ut ea facere poſſimus? 13. Non trans mare ſunt, ut optandum vobis ſit: quis mari trajecto ea nobis reportet et explicet, ut ea facere poſſimus? 14. Valde propinqua vobis ſunt, ut exactiſſimam eis obedientiam poſſitis præſtare. 15. En! propono vobis hodie vitam et felicitatem, mortem et infelicitatem: 16. dum vobis præcipio, ut ametis Jovam Deum veſtrum, ut ſecundum leges, jura et ſtatuta ejus vitam veſtram inſtituatis. Sic enim felices eritis et creſcetis; atque Jova Deus veſter vos fortunabit in terra, ad quam occupandam vaditis. 17. Sin autem mutatis animis non obtemperaveritis, ſed in errorem prolapſi Deos alios adoraveritis et colueritis, 18. prædico vobis, vos perituros eſſe, neque diu ætatem

pro-

productūros in terra, quam trajecto Jordano occupabitis. 19. Cœlum et terram testor, me vitam et mortem vobis proposuisse, felicitatem et infelicitatem. Eligite igitur vitam, ut felices sitis vos et posteri vestri. 20. Amate Jovam Deum vestrum, obtemperate ejus voluntati, ei adhærete. Sic enim felices eritis et diu vivetis in terra, quam majoribus vestris, Abrahamo, Isaaco et Jacobo, interposito jurejurando promisit.

CAPUT XXXI

Moses deposito suo munere Josuam populi ducem constituit. Legem literis consignatam tradit sacerdotibus, septimo quoque anno in solenni conventu populo prælegendam. Convocat populum ad carmen fatidicum ei prælegendum, quod memoriæ mandent.

1. Tum quoque Moses hunc in modum ad Israelitas verba fecit: 2. Annum jam ago vicesimum supra centesimum. Non possum ulterius rebus præesse, et Jova mihi indicavit, me non transiturum esse Jordanum. 3. Ille vero Deus vester vobis præcedet, ille perdet gentes istas, quarum terram occupabitis. Josua dux vester erit ex Jovæ voluntate. 4. Qui idem istis gentibus faciet, quod Sichoni fecit et Ogo Amoritarum regibus eorumque terræ, quos evertit. 5. Sic illas quoque vobis tradet, ut

cum eis agatis ex præſcripto, quod a me accepiſtis. 6. Fortes eſtote et alacres. Nolite eos timere, aut formidare. Jova Deus veſter vobis adeſt, vos non relinquet aut deſeret. — 7. Tunc Joſuam allocutus eſt præſentibus omnibus Iſraelitis: Fortis eſto et ſtrenuus, tu enim perduces hunc populum in terram, quam ejus majoribus Jova jurejurando promiſit, eamque inter eos divides. 8. Jova te antecedet, is tibi aderit, non te deſeret aut relinquet. Ne igitur timeas, aut conſterneris. — 9. Deinde Moſes legem literis conſignatam tradidit ſacerdotibus arcam fœderis portantibus, omnibusque Iſraelitarum ſenatoribus, 10. cum hoc mandato: ut ſeptimo quoque anno in ſolenni conventu anni moræ a) feſto tabernaculorum, 11. quando omnes Iſraelitæ coram Jova in loco cultui ſuo deſtinato convenirent, hanc legem audientibus omnibus Iſraelitis prælegerent: 12. Tunc congregato univerſo populo viri et fœminæ, liberi et peregrini, audirent et diſcerent et timerent Jovam Deum ſuum, ejusque legem diligenter obſervarent: 13. ut liberi quoque eorum, qui nihil *his de rebus* noverunt, audiendo diſcerent Jovam Deum ſuum timere. *Idque facerent*, quamdiu viverent in terra, ad quam occupandam mox Jordanum eſſent trajecturi. —

14.

a) cf. Cap. 15, 2.

14. Porro Jova Mosi indicavit, instare tempus quo moriatur, igitur eum Josua adesset ad tentorium conventus, velle se ei sua mandata dare. Cum uterque in dicto loco convenisset, 15. ibi apparuit Jova in nube, quae ad introitum tabernaculi substitit, 16. atque Mosen his verbis est allocutus: Te quidem apud majores tuos cubante hic populus peregrinos ejus terrae deos sectabitur, in qua consederunt, me relicto, et foedere, quod cum eo pepigeram, violato. 17. Tum ego iratus eos deseram, atque favore meo eis subtracto ab hostibus suis conficientur, et multa et gravissima mala experientur: tunc quidem agnoscent ista omnia sibi evenire, quod ego eis non adsim. 18. Sed subtraham tunc eis meum favorem, propter tot scelera ab eis commissa, cum alios deos sectarentur. 19. Scribite igitur hoc carmen, et cura ut Israelitae illud memoriae mandent. Hoc testabitur contra eos aliquando, 20. cum a me introducti in terram, quam majoribus eorum juravi, fertilem et opimam, bene pasti pingues evaserint, et se converterint ad deos peregrinos, quos colent me spreto et foedere quod eis mecum intercedit violato. 21. Quando tunc eis evenient mala multa et calamitates, testabitur contra eos hoc carmen. Nam nec posteri eorum debent ejus oblivisci. Novi jam, quomodo nunc sen-

 tiunt,

tiunt, antequam eos in terram promissam introduxi. — 22. Scripsit igitur Moses hoc carmen idque Israelitas edocuit. 23. Josuam vero Nunis filium hortatus est *Jova*, ut forti animo esset et alacri, eum enim ducturum esse Israelitas in terram eorum majoribus jurejurando a se promissam, ipsumque ei adfuturum. — 24. Postquam Moses totam hanc legem in libro scripserat, 25. præcepit Levitis arcam fœderis portantibus, 26. ut eum juxta arcam fœderis Jovæ Dei sui deponerent, qui testimonium contra eos ibi sit perhibiturus. 27. Novi enim, inquit, contumaciam vestram et cervicis duritiem. Jam nunc me adhuc vobiscum vivente rebellastis contra Jovam, quanto magis post mortem meam! 28. Convocate ad me omnes tribuum vestrarum senatores et scribas. Recitabo coram eis hoc canticum, cœlum et terram in eos testaturus. 29. Scio enim vos post mortem meam graviter esse peccaturos, et defecturos a via quam vobis præscripsi. Tunc vero evenient vobis mala ista, cum Jovam offenderitis et iram ejus factis vestris provocaveritis. 30. Igitur Moses effatus est audiente universo Israelitarum senatu illud carmen in hunc modum:

CAPUT

CAPUT XXXII

Carmen Mosis fatidicum a).

1. Attende cœlum, nam loquar. Audi, terra, dicta oris mei. 2. Destillet instar pluviæ doctrina mea, fluat sicuti ros meus sermo, ut imbres super germen, ut pluvia rorans super herbam. 3. Nomen enim Jovæ celebrabo. Agnoscite Dei nostri magnitudinem. 4. Creator est b), cujus opus perfectum, cujus rationes omnes rectæ sunt. Deus fidelis, sine iniqui-

a) Scripsi in hoc *canticum*, uti vulgo vocatur, dissertationem, (1769.) ex qua pro instituti ratione ea afferam, quæ ad illustrationem versionis necessaria videntur. Plura cum contra *Hubigantii* emendationes criticas, tum de verborum et ipsius carminis structura in ipso libello legi possunt.

b) In textu est צור quod ab interpretibus, ex vulgari hujus vocis significatione, vertitur *petra*, quoniam ex compluribus locis constat, Deum sic tropice dici a salute et securitate quam hominibus præstat. Neque ego hunc hujus vocabuli usum nego, in quo infra v. 15. 31. 37. occurrit. Sed quoniam verbum צור significat *formare* 1 Reg. 7, 15. et Jer. 1, 5. (ex lectione textuali) equidem malim h. l. et infra v. 18. præferre significationem quæ aptior est prædicato, quam illa altera, *rupes est cujus opus est perfectum*, et v. 18. *rupes quæ te genuit.* Neque antiquiores interpretes hanc significationem ignorarunt, nam οἱ ό 2 Sam. 22, 32. vertunt κτιστὴν et in nostro loco *Theodotion* πλάστην.

iniquitate, justus et rectus est. 5. Corrupit illi filios, non jam suos, ipsorum protervitas c), genus perversum et tortuosum. 6. Hæccine Jovæ rependis, natio stolida et insipiens? nonne est pater tuus, et qui te sibi comparavit, is qui te fecit et formavit? 7. Recordare temporum antiquiorum, considera annos præteritorum sæculorum. Interroga patrem tuum et tibi indicabit, seniores tuos, et tibi dicent. 8. Cum possessiones assignaret Supremus gentibus, cum dispergeret homines, terminos nationum *Cananiticarum* constituit pro numero Israelitarum. 9. Nam pars Jovæ *erat* populus ejus. Jacobitæ portio, quam ipse sibi assignarat. 10. Confortavit eum in deserto, in locis aridis eum laute aluit

c) Ne nunc quidem repudio interpretationem prioris membri, quam in disputatione citata ex *Lowtho* de poesi S. hebr. Prælect. XV. attuli. Admittunq eam verba hebræa שִׁחֵת לוֹ לֹא בָּנָיו מוּמָם neque tamen propterea negare audeam lectionem codicis Samaritani faciliorem esse et fortasse genuinam שחתו לא לו בני מום *peccarunt, non sunt ejus, filii maculæ*, quam et οἱ ὁ et Syrus exhibent. Illi: *ἡμάρτοσαν οὐκ αὐτῷ τέκνα μωμητά.* Hic: חַבִּילוּ וְלָא לֵהּ בְּנַיָּא דְמוּמָא Pluralem quoque Onkelos exprimit: *corruperunt se ipsos non illum filii, qui servierunt idolis.*

aluit *d*). Adfuit ei undequaque, curam ejus gessit, custo-

d) Lectio textus recepta יִמְצָאֵהוּ בְּאֶרֶץ מִדְבָּר *invenit eum in terra deserta*, non commodam admittit explicationem. Quomodo enim dicere potuit Moses, Deum invenisse populum in deserto, in quod eum ipse deduxerat? Nonnulli interpretes, ut rationem redderent versionis græcæ *αὐτάρκησεν αὐτὸν* volunt מצא h. l. esse *sufficere*. Sed sic aliis punctis subjectis legendum esset in Hiphil יַמְצִאֵהוּ neque ego negem hanc lectionem satis aptam esse. At enim vero haud scio, an interpretes græci, uti sæpissime, ita h. l. quoque lectionem codicis Samaritani expresserint יְאַמְּצֵהוּ *confortavit eum*, quam recepta longe meliorem esse nemo non intelligit. — Verum etiam in posteriori membro prioris hemistichii hic codex lectionem valde probabilem exhibet, dum pro recepta וּבְתֹהוּ יְלֵל יְשִׁמֹן habet: בִּתְהוֹלְלוֹת יְשַׁמְּנֵהוּ. Vocabulum quidem תהוללות in aliis locis non extat, sed ex simili voce et tropo non male illud illustratum putem ab *Hubigantio.* צחח est *lucere*, *candidum esse*, hinc צחיחה. צחצחה *locum aridum*, *solitudinem* notat, ab *arena* nimirum in vastis illis et desertis locis splendente. Quid igitur? cur non ab הלל *lucere* תהוללות eodem tropo et sensu *loca arida* et *vasta* significent? Alterum vero verbum lectionis Samaritanæ ישמנהו bene respondet verbo prioris membri יאמצהו atque Moses infra v. 15. idem verbum in eodem sensu de Israelitis adhibuit: *pinguis factus est Israel.*

custodivit eum ut oculi sui pupillam. 11. Ut aquila ferventi amore complectitur nidum suum *e*) et super pullis suis molli fœtu incubat: expansis alis suis eos sustentat, tollitque super pennis suis. 12. Jova solus eum duxit, nec fuit cum eo Deus alienus. 13. Vexit eum ad regionem montanam *f*), ut vesceretur agrorum proventibus, nutrivit eum melle de rupe *g*) et oleo ex petra durissima, 14. cremore lactis, armento et pecore, adipe agnorum et arietum Basaniticorum et hircorum, optimo tritico. Sanguinem uvarum, mustum bibisti. — 15. At pinguis factus Jeschurun recalcitravit: pinguis factus es, obesus, adipe obductus; deseruit Deum creatorem suum et vilipendit refugium salutis suæ. 16. Zelum

Israel. Equidem fateor nullum interpretum antiquiorum hanc lectionem indicare, sed errori scribarum eam tribuendam esse nemo dixerit.

e) Sic verbum עִיר et omnino hunc locum erudite explicat Celeb. *Schroederus* in Observatt. ad Origg. hebr. p. 22.

f) hebr. עַל בָּמוֹתֵי הָאָרֶץ *super excelsa terræ.* Sic describitur Palæstina a montibus, quibus fere ab omnibus partibus circumdatur. cf. Ef. 58, 14.

g) Alii mel ex dactylis palmarum intelligunt. *Celsius* in Hierobot. P. II. p. 462. Alii mel ex uvis passis: utrumque frequens est Palæstinæ proventus. cf. *Harmarus* in Observatt. orient. P. I. p. 266.

lum ejus commoverunt peregrinis diis. Factis abominandis eum irritaverunt. 17. Sacrificarunt dæmonibus, non Deo. Diis, quos non noverunt, novis, qui e vicinia venerunt, quos non timuerunt majores vestri. 18. Creatorem, qui te genuit, deseruisti, oblitus es Dei, qui te procreavit. — 19. Vidit hoc Jova et præ ira filios filiasque suas abjecit, 20. et dixit: abscondam faciem meam ab illis, videbo qui exitus eorum sit futurus. Est enim natio perversa, filii perfidi. 21. Illi zelum meum commoverunt diis falsis, irritarunt me idolis suis inanibus. Igitur et ego zelum eorum excitabo alieno populo, per gentem stolidam eos irritabo. 22. Ignis enim accensus in ira mea, ardebit usque ad ima terræ, absumet terram cum proventu suo et inflammabit usque ad montium fundamenta. 23. Accumulabo in eos mala, tela mea in iis consumam. 24. Exesi erunt fame, absumti ab avibus rapacibus et peste virulenta. Dentes etiam ferarum illis immittam et venenum serpentum. 25. Foris orbabit gladius et intus tremor cum juvenes tum virgines, lactentes et senes. 26. Dicerem: perdam eos *h*), memoriam eorum

h) Ex lectione textus recepta אַפְאֵיהֶם quæ est a פאה, Arab. فاي *scindere, exscindere*. Sic *Schultensius* in Animadv. philol. ad h. l. Plura vide in Disp. cit.

eorum delebo, 27. nisi fastum hostium vererer, ne
alienum factum sibi tribuant adversarii. Ne dicant:
tanta est potentia nostra, Jova hoc non fecit. 28.
Nam est natio quæ suis perit consiliis, in qua nulla
est prudentia. 29. Utinam saperent, *atque* hoc in-
telligerent, *utinam* considerarent exitum suum: 30.
Quomodo unus mille persequeretur et duo fugarent
decem millia, nisi quod Deus eorum *i*) eos vende-
ret et Jova eos traderet. (31. Deus enim eorum
non est sicuti Deus noster, vel hostium nostrorum
judicio *k*).) 32. Sed de vitibus Sodomiticis est vitis
eorum et de agris Gomorranis. Uvæ eorum sunt
uvæ venenatæ *l*) et baccæ amaræ. 33. Venenum
draconum est eorum vinum, et virus aspidum sæ-
vum. 34. Nonne hoc reconditum est apud me, ob-
signatum

i) hebr. צוּרָם *petra eorum*. Sic quoque in sequenti versu.

k) Hic versus in parenthesi est ponendus. Deus enim inde a v. 20. loquitur, nec tamen hæc possunt esse verba Dei. Sed sunt verba Mosis, qui hæc interserit zelo incitatus pro Dei honore, quibus docere vult, gentiles quidem habere quoque Deos, quos ut petram suam, ut refugii tutissimi locum considerent; sed illos cum Deo Israelis nullo modo esse comparandos, ipsos gentiles summam hujus Dei potentiam agnoscere atque fateri coactos esse, Deum Israelis esse vere magnum, immo aliarum gentium diis majorem.

l) cf. dicta de ראשׁ ad Cap. 29, 17. *s*).

ſignatum in meis theſauris? 35. Ego ulciſcar et retribuam tempore, quo pes eorum vacillabit. Profecto appropinquat dies interitus eorum, approperant eorum fata. 36. Sed cauſam aget Jova populi ſui, et ſervorum ſuorum miſerebitur, quando videbit *eorum* vires eſſe exhauſtas, raros eſſe omnium ætatum homines *m*).

37. Tunc

m) Verba textus ſunt: אֶפֶס עָצוּר וְעָזוּב. Quæ phraſis quanquam in aliis quoque locis occurrit, nempe 1 Reg. 14, 10. 21, 21. 2 Reg. 9, 8. 14, 26. tamen cum in ſimili contextu legatur, parum lucis ex collatione ſingulorum locorum ipſi vocabulorum explicationi poteſt afferri. In eo quidem conſentiunt fere interpretes dictionem eſſe proverbialem, qua deſtructio ſ. perditio totalis indicetur; ſed unde hoc proverbium ductum ſit, non æque inter eos convenit. Mihi quidem *Lud. de Dieu* explicatio maxime probabilis videtur, qui in Critica S. ad h. l. עזוב et עצור de perſonis explicat, docetque apud Arabes *cælibem* dici עזוב ſubſtantivum etiam אַלְעֻזוּבָה ſignificare *cælibatum*, ejus oppoſitum eſſe עצור *patrem familias*. Quam bene hæc propriæ verborum ſignificationi conveniant, quisque intelligit. Ita enim עצור dicitur, qui vinculo matrimonii, uxori et liberis adſtrictus eſt; עזוב contra qui ſibi ſuæque libertati eſt relictus. Favet præterea huic explicationi locus 1 Reg. 14, 10. ubi tertia quaſi ſpecies his duabus additur משתין בקיר *mingens ad parietem*, quem idem *de Dieu* rectius, uti arbitror, de parvulis quam de canibus, ut vulgo fit, explicat. Minatur enim

 Deus

37. Tunc dicet: ubi ſunt dii eorum, numina quibus ſunt confiſi? 38. qui adipem victimarum eorum comederunt et biberunt vinum libaminum eorum. Surgent et adjuvent vos, ſint vobis præſidio. 39. Videte igitur me eſſe illum *n*), nec eſſe Deum præter me. Ego interficere poſſum et in vitam revocare, vulnerare poſſum et ſanare, non eſt qui de manu mea eripiat. 40. Nam ſublata ad cœlum manu in hæc verba juro per vitam meam æternam: 41. Acuam gladium meum fulgurantem, parabo judicium. Rependam ultionem meis adverſariis, et oſoribus meis retribuam. 42. Inebriabo ſagittas meas ſanguine et gladius meus devorabit carnem; ſanguine occiſorum et captivorum. Carnem de capite capillato hoſtis *o*). 43. Canite, gentes, e-

jus

Deus Jerobeamo excidium totale, atqui hoc in ejus familia, non in canibus abſolvebatur. — Senſum vero dictionis proverbialis in verſione indicandam putavi, quæ ad literam verſa *non erit adſtrictus et relictus*, a nemine intelligitur.

n) הוא *Ille* κατ᾽ ἐξοχὴν de nomine Dei dicitur. cf. *Glaſſius* p. 153. edit. recent.

o) De paralleliſmo membrorum in hoc verſu, in quo duo priores hemiſtichii membra reſpondent duobus membris poſterioris, vid. *Lowth* de poeſi ſ. hebr. p. 370. edit. Gœtting. prioris. — Ultima verba מֵרֹאשׁ פַּרְעוֹת אוֹיֵב

inpri-

jus *p*) populum. Nam sanguinem servorum suorum ulciscetur. Ultionem rependet suis adversariis et placatus erit terræ et populo suo. *q*) — 44. Hoc carmen Moses

inprimis difficilia sunt et varie explicantur ab interpretibus antiquioribus et recentioribus. Equidem inter duas explicationes fere dubius hæreo pro duplici nempe significatione vocis פְּרָעוֹת ex arabica فَرْعٌ sine dubio illustrandæ. Significat vero *principem* et *comam*. Hinc illa verba utique verti possunt, quemadmodum *οἱ ό* ea verterunt: *ἀπὸ κεφαλῆς ἀρχόντων ἐχθρῶν*, a quibus Syrus interpres non videtur esse diversus: *a capite coronato hostis*. Verum et altera significatio, qua de *coma* dicitur, non videtur esse inepta. Simillima est horum duorum substantivorum conjunctio רֹאשׁ פְּרָעוֹת *caput comæ*, ei quæ legitur Ps. 68, 22. קָדְקֹד שֵׂעָר *vertex pili*, quem Deus dicitur percussurus. vid. plura in diss. cit.

p) nempe Jovæ Dei.

q) Quoniam Moses in hoc carmine jussu Dei populo Israelitico fata prædicit ei sequentibus temporibus eventura Cap. 31, 19. quæritur, quousque hoc vaticinium progrediatur, sive quæ tempora sint, in quibus subsistat? Mihi quidem ex diligenti et sine præconcepta opinione instituta lectione, quæ ornamenta poetica sciat a rebus ipsis, quas poeta tractat, separare, plane constare videtur, Mosen in vaticinio suo non ultra tempora reditus ex captivitate babylonica et restitutionem reipublicæ Judaicæ esse pro-

 gressum.

ses assumto Josua effatus est coram populo, 45. et sic

gressum. In disputatione citata partes hujus carminis, earumque inter se nexum plenius edisserui pag. 41. seqq. quæ hoc loco repetere non licet. Duo tantum argumenta breviter indicabo ex illo ipso carminis nexu sumta, quæ tempus, in quo Mosis vaticinium desinit, plane probare videntur. *Primum* est: quod promissio liberationis ex malis immissis populo aliquando expectandæ, connectitur cum redargutione idololatriæ, ob quam illa mala populo immissa dicuntur. v. 36. seqq. Jam vero populus Judaicus post reditum ex captivitate babylonica diligenter sibi cavit ab idololatria, et ab ea vere abhorruit. Constat ex historia Maccabæorum, quantas persecutiones perpessi sint ob constantiam in religione patria, quomodo atrocissima supplicia atque adeo mortem ipsam subire maluerint, quam idolis immolare, aut quicquam committere, quo in communionem sacrorum gentilium venire viderentur. Ex quo sequitur, liberationem illam, in cujus laudibus carmen desinit, eandem esse quæ facta est in reditu ex captivitate Babylonica et temporibus eum proxime excipientibus. *Alterum* hujus sententiæ argumentum non minus evidens esse videtur: Nimirum in toto carmine unius modo liberationis mentio fit, quæ nisi est ipsa illa, quæ facta est ex captivitate Babylonica, hæc omnino non esset commemorata. Jam vero nemo facile probabile dixerit, Mosen, qui fata populi prædicere volebat atque ex his ipsis Dei summam justitiam et in populum benignitatem demonstrare, illum reditum aliis prophetis tam sæpe celebratum

ſic abſolvit ſermones ad Iſraelitas habendos, 46. addita admonitione hujus tenoris: attendite ad ea omnia, quæ vos edocui de harum legum ratione; quæ et poſteris veſtris præcipiatis diligenter ſervanda. 47. Etenim hæ leges minime vobis inutiles videri debent, ſed cauſam veſtræ felicitatis continent; his legibus *obſervatis* diu vivetis in terra, ad quam occupandam mox Jordanum eſtis trajecturi. — 48. Eodem die Jova Moſen juſſit 49. partem montis Abarim, quæ Nebo vocatur, in terra Moabitica e regione Hierichuntis aſcendere, inde contemplari Cananæam quam Iſraelitis poſſidendam ſit daturus, 50. atque mori in eo monte et ad populares ſuos colligi; quemadmodum idem Aaroni ejus fratri in monte Hor eveniſſet, 51. quoniam eum præſente Iſraelitarum cœtu offendiſſent ad aquas contentionum, Kadeſchi in deſerto Sin, neque honoris ei debiti tunc rationem habuiſſent. 52. Igitur videret modo ſibi ex adverſo terram, quam Iſraelitis daturus ſit, ipſum vero eo non eſſe perventurum.

bratum ſilentio præteriiſſe. Quod, ſi non eſt, ſequitur, eam liberationem cujus meminit eam ipſam eſſe debere, quæ facta eſt ex captivitate babylonica. Atqui in hac carmen deſinit. Ergo nec vaticinium ultra illa tempora progreditur. Neque loca Pauli in epiſtola ad Romanos Cap. 10, 19. et 15, 10. huic ſententiæ eſſe contraria, ibidem a me eſt probatum.

CAPUT XXXIII

Vota Moſis pro Iſraelitis.

1. Hæc ſunt vota quæ Moſes vir divinus pro
Iſraelitis antequam moreretur concepit: a) 2. Jova,
inquit,

a) Inſcriptionem hujus capitis non eſſe a Moſe ipſo his votis præmiſſam, plane apparet ex titulo illo honoris איש האלהים quo Moſes condecoratur, quod ei etiam in deſcriptione Pſalmi nonageſimi tribuitur. Nunquam Moſes ipſe de ſe ita eſt locutus. Sed is, qui ultimum caput addidit, quod de morte et ſepultura Moſis exponit, præmiſit quoque hanc inſcriptionem bonis votis, quæ Moſes literis conſignata reliquerat. Nemo, uti ſpero, me reprehendet, cum dixerim, duo ultima capita ab alio ſcriptore addita eſſe. Olim quidem fuerunt, qui defenderent, Moſen mortem et ſepulturam ſuam in ſpiritu phrophetico deſcripſiſſe. Sed jam plures interpretes monuerunt, nullum prorſus hanc pericopam vaticinii indicium habere, ſed potius ejus ſcriptorem ſummam animi reverentiam præ ſe ferre, qua tanti viri memoriam, qualis Moſes fuerat, vereretur. Hinc etiam titulus ille honoris venit, *vir Dei*, quem huic capiti præmiſit. Auctoritati divinæ librorum Moſaicorum hæc ſententia minime adverſatur. Etenim illos et reliquos ut ſacros et divinos recipimus non ex auctorum ſuorum dignitate, quæ in multis incerta eſt et dubia, ſed ex teſtimonio Chriſti et Apoſtolorum.

inquit, de Sina venit, ortus est eis *b*) ex Seire, illuxit ex monte Pharan, profectus est *c*) cum myriadibus lectissimi exercitus *d*) ad ejus defensionem *e*), columna ignea *f*) eis præivit. 3. Profecto amas popu-

b) לָמוֹ eis. Affixum uti sæpe ad sequens nomen רִבְבֹת קֹדֶשׁ pertinet.

c) אָתָה non *venit*, sed *profectus est*, uti ἦλθον in Nov. Test. sæpe sic dicitur.

d) רִבְבֹת קֹדֶשׁ non *angelos* intelligo, qui, quod ego quidem sciam, nunquam קדשים vocantur, sed Israelitas, qui statim in sequenti versu et alias quoque sic vocantur e. c. Exod. 19, 6. Num. 16, 3. ex singulari prærogativa, qua Deo sacri, sive separati ex tot aliis gentibus erant.

e) hebr. מִימִינוֹ *a dextra ejus*. Quod construo contra accentus cum קֹדֶשׁ et explico ex phrasi sæpe obvia, *stare ad dextram alicujus* pro: adesse ad alicujus defensionem.

f) אֵשׁ דָת לָמוֹ. Jam aliis interpretibus observatum est, Mosen innuere *columnam nubis et ignis*, in quo symbolo Deus se ducem præbuit Israelitis. At enimvero num דָת *columnam* significat? Probabiliter hoc asseruit *Lentz* in Observatt. Miscell. ad selecta V. T. loca, (leguntur in *Sylloge* Disputatt. Schultenss. et Schrœderi P. II. p. 1010.) ex radice ירה *in alterum protendi*, quod sit contractum ex דָוֹת *tensio*, *protensio*, et metonymice, pro eo quod protenditur. Eodem significatu quo יָד quod haud dubie est

populum *g*) omnes tibi facri, funt fub cura tua. Igitur ad pedes tuos provoluti accipiunt *h*) tua eloquia. 4. Mofes legem nobis dedit, quæ fingularis eft cœtus Jacobitici prærogativa. *i*) 5. Sit igitur Ifraelis rex *k*) quoties fe ad eum capita populi congregant, omnesque tribus Ifraelis. 6. Vivat Ruben! non pereat, homines ejus faciant numerum. *l*) 7. De

eft ab eadem radice ירה, etiam *columnam* notat. — Non fermo effe videtur de illa apparitione Dei in monte Sina ad legem populo ferendam. Sed Mofes in fine itineris fui longinqui conftitutus commemorat loca quædam infigniora, per quæ Deus populum duxerat, quod etiam verba זרח et הופיע innuunt, quæ legislationi minus conveniunt.

g) עַמִּים *fingulas tribus.*

h) Pro יִשָּׂא legendum eft יִשְּׂאוּ. Sic codex Samaritanus et Syrus מְקַבְּלִין *accipientes.*

i) In hoc et fequenti verfu formula eft confeffionis, quam Ifraelitæ coram Deo provoluti edere debebant. — מוֹרָשָׁה intelligo de *lege*, quæ *poffeffio* populi vocatur, quod populus ea ab aliis diftinguebatur. Quam prærogativam Mofes quoque commemorat Cap. 4, 8 feqq.

k) Non Mofes, qui nunquam fe pro rege geffit, fed Jova.

l) Sic verto verba textus: וִיהִי מְתָיו מִסְפָּר quæ utique plures explicationes admittunt. Etenim מִסְפָּר abfolute pofitum, fed raro et quantum fcio tantum Jef. 10, 19. dicitur

De Juda dixit: Audi, Jova, vocem Judæ et duc eum ad

dicitur quoque pro *paucis*, fortasse tantum ex ellipsi τὰ מְתֵי cum quo sæpe obvium est מְתֵי מִסְפָּר *focii numeri* h. e. pauci. Hinc verti possent hæc verba: *sint hominum ejus pauci*. Quæ vero esset imprecatio, non bonum votum. Neque existimo Vulgatum sic locum legisse, sed fortasse pro מתיו sine Vau legit מְתֵי מִסְפָּר hinc vertit: *et sit parvus in numero*. Inepte. Sed quoniam מתים h. l. non construitur cum מספר, possunt hæc verba quoque verti: *et sint homines ejus numerus*, h. e. *numerum faciant*, f. *multi eorum sint*. Sic Syrus videtur accepisse נֶהֱוֵה בְּמִנְיָנָא. Num οἱ ὁ eodem modo verba legerint, quoniam eundem sensum reddunt, incertum videtur: ἔστω πολὺς ἐν ἀριθμῷ. Fortasse codicem Samaritanum exprimunt, uti sæpe, qui pro מתיו legit מֵאָתו *erit* f. *sit ex eo numerus*. *Clericus* vertit: *sint mortui ejus pauci*, atque Mosen sic Rubenitis bene precari, quod hæc tribus valde esset imminuta, cf. Num. 26, 7. tunc vero legendum est aliis punctis מֵתָיו. Quæ conjectura placuit quoque Ill. *Michaeli*, sive quod Moses tribum Ruben intelligat, sive quod tribum Simeon innuat, cujus nomen fortasse exciderit, nam hanc quoque tribum magnam imminutionem passam esse legimus Num. 26, 14. coll. Num. 1, 13. Atque ego quoque fateor, mihi minime probabile videri, Mosen huic tribui non æque ac reliquis omnibus bene esse precatum. Attamen omnes Codices et versiones in lectione recepta consentiunt, præter unum codicem Alexandrinum, qui habet:

Aaa

ad populum suum; sua ipsi virtus sufficiat *m*), auxilio ei sis ab hostibus suis. 8. De Levi dixit: Urim et Thummim maneat viro tui studiosissimo, quem tentasti Massæ, cum quo contendisti ad aquas Meribæ *n*). 9. Qui dicit de patre suo et matre sua, non

bet: καὶ Συμεὼν ἔστω πολὺς ἐν ἀριθμῷ. Fortasse breviter tantum Moses utramque tribum nominavit, uti in versu 18. tribum Sebulonem et Isascharem. *Vivat Ruben, non moriatur! Vivat Simeon, sint mortuorum ejus pauci!* Sed quis in re prorsus incerta audeat aliquid definire?

m) Pro plurali יָדָיו codex Samaritanus habet singularem יָדוֹ qui sequenti רָב melius convenit, quod רָב construo cum Lamed sequenti eodem sensu quo supra adfuit, 1, 6. *οἱ ὁ, αἱ χεῖρες αὐτοῦ διακρινοῦσιν αὐτῷ*, et Vulgatus: *manus ejus pugnabunt pro eo.* Sic alii quoque. Sed ריב quod ego quidem scio, dicitur tantum de contentione, quæ fit verbis s. in judicio, non de contentione cum armis, de qua tamen hoc loco sermo est.

n) Plerique interpretes existimant Mosen alloqui populum. Sed placet S. R. *Herderi* sententia (in epistolis super literis theologicis P. I. p. 98.) qui totam pericopam putat preces continere ad Deum directas, partim quoniam suffixa תֻּמֶּיךָ וְאוּרֶיךָ non commode ad populum referri possunt, partim quoniam nimis subita videtur mutatio objecti in versu nono: *observant dicta tua*, quæ manifeste ad Deum pertinent. Favent quidem vulgari explicationi ultima verba hujus versus. Sed possunt quoque de Deo ex-

non video eum, et fratrem non curat, nec filii rationem habet, fed verbum tuum obfervat et fœdus tuum cuftodit: *o*) 10. hi funt qui doceant Jacobitas jura tua et legem tuam Ifraelitas, qui fuffitum tibi offerant et juge facrificium imponant tuo altari. 11. Fave, Jova, eorum reditibus, placeant tibi quæcunque fufcipiunt, ita profterne eorum hoftes et ofores, ut furgere non poffint. 12. De Benjamine dixit: Dilectus Dei fecure habitet, fupremus tegat eum quotidie *p*) et inter montes ejus confideat. 13. De

explicari et cum hiftoria, quam Mofes fine dubio refpexit, bene conciliari. Deus tentavit Aaronem, cum juberet eum petram alloqui; contendit cum eo, cum ejus diffidentiam reprehenderet, quam illa occafione prodiderat. Num. 20, 8. et 12.

o) Hic verfus laudat Aaronem propter integritatem fuam. Ab omni partium ftudio alieniffimum eum femper fuiffe, dignum propterea honore facerdotii. In altero hujus verfus hemiftichio eft mutatio numeri fingularis in pluralem, quod non de uno Aarone, fed potiffimum de ejus familia et tota Levitica tribu fermo eft.

p) Pro priori עלין *οἱ ό* videntur legiffe עֶלְיוֹן *ὁ θεὸς σκεπάζει ἐπ' αὐτῷ.* Quæ lectio valde probabilis videtur. Primo enim hoc עלין non admittit explicationem, quoniam fubjectum non eft Jova, fed Benjamin dilectus Jovæ. Deinde tria membra fibi melius refpondent. Tandem error facile poterat admitti, qui ex unius literæ *Nun* omiffione venit. Antiquus tamen fit neceffe eft, quoniam reliqui inter-

De Josepho dixit: Fertilissima erit ejus terra Dei beneficio, munere cœli præstantissimo, rore, et fontibus subterraneis. 14. propter fructus optimos, qui gignuntur beneficio solis, propter fructus optimos, qui singulis mensibus nascuntur. 15. qui in montibus et collibus jam olim celeberrimis procreantur. 16. ob cupedias terræ omnibus bonis refertæ, ob favorem ejus, qui in rubo habitavit q). Veniant, *inquam*, hæc omnia super caput Josephi, super verticem lectissimi fratrum suorum. 17. Decus ei sit, ut bovis sui primogeniti, cornua ejus ut cornua bubali, quibus gentes percutiat, extremos terræ fines. Nimirum hæ sunt myriades Ephraimi, hæ sunt chiliades Manassis. 18. De Sebulone dixit: Lætare Sebulon negotiis tuis r) et Isaschar tuis tentoriis. 19. Alias tribus invitabunt ad montem *sacrum* ſ) ibique

interpretes prius עָלַיִן videntur legisse, sed omittunt posterius.

q) h. e. Dei, qui Mosi in rubo ardente apparuit. Exod. 3, 2.

r) hebr. בְּצֵאתֶךָ *exitu tuo.* Qui in sequenti versu explicatur de commercio, quod Sebulonitæ cum finitimis Sidoniis habituri sint.

ſ) *Sacrum.* Addidi hoc epitheton, quod in textu non extat, ut lectores intelligant, de quo monte sermo sit. De eo nempe, in quo aliquando templum exstrui et sacra Jovæ Dei Israelitarum celebrari debebant. — Sub עַמִּים

gen-

ibique sacrificia eucharistica offerent: nam divitiis mari advectis fruentur et thesauris arenæ abditis. *t*) 20. De Gado dixit: Laudetur *Deus*, qui amplos et latos fines Gado concedit, uti leo habitabit, brachium et verticem prædabitur *u*). 21. Primitias *terræ* promissæ sibi expetiit, ibique in portione statuta cum dignitate vivet *x*). Sed *antea* præcedet popu-

gentibus, tribus Israeliticas intelligo, quanquam non repugnem, si quis gentiles malit intelligere, qui a societate sacrorum populi Israelitici exclusi non erant.

t) In finibus Sebulonitarum fuerunt ostia fluvii Beli, qui arenam vitriariam effundit, ex qua primum vitrum est confectum. vid. *Bachiene* in descript. Palæstinæ P. I. Vol. I. p. 176. et *Michaelis* in notis ad vers. germ.

u) Descriptio fortitudinis, ut Genes. 49, 9.

x) Verba textus כִּי שָׁם חֶלְקַת מְחֹקֵק סָפוּן si qua alia hujus capitis difficilia sunt, in quibus omnes quos vidi interpretes laborant. Liceat et mihi meam afferre conjecturam et versionem supra positam explicare. Adverbium loci שָׁם *ibi*, emollit, uti spero, duritiem ellipseos præpositionis ב ante חֶלְקַת. Participium activum מְחֹקֵק quod ex meo sensu paullo durius vel de Mose, vel de Gado explicatur, ego passive lego, et, quoniam cum חלקה construitur, in foeminino מְחֻקָּקָה ne quem offendat enallage generis, cujus tamen quam plurima exempla sunt in lingua hebræa. Tandem סָפוּן ex usu hujus vocis in lingua chaldaica explico (vid. *Buxtorfius* in Lex. Rabb. et Tal-

populum, Jovæ vôluntatem executurus atque officio ſuo inter Iſraelitas ſatisfacturus. 22. De Dane dixit: Dan eſt leo catulus ex Baſane proſiliens. 23. De Naphtali dixit: Naphtali favore et beneficiis Jovæ exſatiatus et repletus mare et meridiem occupa. 24. De Aſchere dixit: Sobole felix ſit Aſcher, carus fratribus ſuis, immerget oleo pedem ſuum. 25. Ferreæ et æneæ erunt feræ tuæ, felix ſis quam diu vives! 26. Non eſt Deo ſimilis, o Iſrael, qui cœlo vehitur in tui auxilium, et majeſtatem ſuam *oſtendit* in nubibus. 27. Perfugium *eſt* Deus antiquus, demittit *y)* brachium æternum. Expellit ante te hoſtem, et dicit: perde. 28. Secure habitabit Iſrael, ſolus

Talmud. ſub h. v.) et ad Gadum refero, qui in portione illa ei tributa cum honore et dignitate ſit habitaturus. Sic evito alteram enallagen generis, quæ ſtatuenda eſt ſi ספון cum חלקה conſtruitur. Quodſi quis illis generis enallagis non offenditur, poſſunt etiam verba verti: *Ibi portio ſtatuta ei eſt* ſ. *manet ſpectabilis.* Sic non opus eſt ellipſi præpoſitionis Beth. — Senſus cæterum totius loci non eſt obſcurus. Tribus Gad cum tribu Ruben et dimidia Manaſſis primam partem terræ occupatæ cis Jordanum accipiebat, quam ſibi a Moſe expetierat ſub hac conditione, ut adjuvaret populares ſuos in occupatione terræ trans Jordanum. Hiſtoria legitur Num. 32.

y) hebr. ומתחת *et infra*, ſcilicet ſeſe exerit, aut oſtendit potentia Dei.

ſolus fons Jacobi z) in terra frumenti et muſti, cujus cœlum rorem deſtillat. 29. O te felicem, Iſrael! quis tui ſimilis? popule, per Jovam ſervate! auxilii tui clipeus, et gloriæ tuæ gladius. Blandientur tibi hoſtes tui et tu eorum terga *aa)* calcabis.

CAPUT XXXIV

Moſis mors et ſepultura.

1. Poſthæc aſcendit Moſes ex planitie Moabitica in montem Nebonem in ſummum Piſgæ faſtigium, quod eſt in regione Hierichuntis, unde oſtendit ei Jova totam terram, Gileaditidem usque ad Danem. 2. Terram Naphtaliticam, Ephraimiticam, Manaſſiticam, totam terram Judaicam usque ad mare occidentale. 3. Regionem meridionalem, planitiem vallis Hierichuntis, quæ et urbs palmarum vocatur, usque

z) hebr. עֵין יַעֲקֹב *fons Jacobi* eſt in appoſitione cum *Iſrael*, qui, ut rivi ex fonte Jacobo deductus eſt, cf. Pſ. 68, 27. אל pro עַל conſtruendum eſt cum שְׁכַן. Sic Syrus quoque interpres locum intellexit: מַבּוּעָה דְיַעְקוֹב *fons Jacobi in terra frumenti* etc. et Onkelos quoque verba de poſteris Jacobi explicavit.

aa) hebr. בָּמוֹתֵימוֹ *excelſa eorum*, quæ non de *terra* intelligo. Nam hæc jam occupata præſupponitur, dum hoſtes blandiuntur, ſed ex more orientis hoſtes pedibus calcandi dicuntur. Sic quoque omnes interpretes veteres hæc verba intellexerunt.

que ad Zoaram. 4. Hæc eſt, inquit Jova, terra, quam jurejurando promiſi Abrahamo, Iſaaco et Jacobo, me eorum poſteris eſſe daturum. Oſtendo tibi eam, ſed eo ipſe non intrabis. 5. Igitur mortuus eſt Moſes ſervus Jovæ ex ejus voluntate in terra Moabitica, 6. atque ſepultus eſt in valle illius regionis e regione Beth Peoris, nec quisquam ad hunc usque diem ejus ſepulcrum reſcire potuit *a*). 7. Annum ætatis agebat centeſimum et viceſimum cum moreretur, oculis nec caligantibus nec *corporis animique* vigore amiſſo. 8. Lugebant obitum ejus Iſraelitæ in planitie Moabitica per integros triginta dies. 9. Joſua quidem Nunis filius magna fuit ſapientia præditus (Moſes ei manus impoſuerat) atque Iſraelitæ ei quoque ex voluntate Jovæ per Moſen indicatæ obtemperarunt. 10. Sed propheta Moſi ſimilis poſthæc nunquam inter Iſraelitas extitit, qui cum Jova præſens locutus eſſet. 11. Cui tot ſigna et prodigia in Aegypto patranda Jova mandarat, in Pharaone, ejus miniſtris, et in tota ejus terra. 12. Per quem tanta et tam ſtupenda miracula Jova ediderat ſpectantibus omnibus Iſraelitis.

a) De ſepulcro Moſis, quod anno 1656. a paſtoribus quibusdam Maroniticis detectum putabatur, legatur *Bachiene* in deſcriptione Palæſtinæ P. I. Vol. I. p. 335.

CORRIGENDA.

P. 20. in nota *g*) lin. 11. pro Itaque, lege, Idque.
p. 53. lin. 8. post, virorum, adde, doctorum.
p. 61. in nota lin. 7. l. aquam.
p. 85. lin. 6. l. quoque.
p. 92. verf. 14. l. circumciderint.
p. 99. verf. 7. l. hortatus eft.
p. 101. verf. 21. pro, eam, l. id.
p. 102. in nota lin. 3. l. neget.
p. 109. verf. 29. poft, finem, adde, hoc.
p. 123. lin. 10. l. iniit et lin. 11. l. lenivit.
p. 126. verf. 26. l. prodiit. ibid. verf. 30. l. rogavit.
p. 145. verf. 25. l. rogavit.
p. 147. Cap. XXXI. lin. 3. l. furripuiffe.
p. 151. verf. 38. l. capræ.
p. 156. in nota l. 2. l. hæc.
p. 171. Cap. XXXVII. lin. 6. l. maxime.
p. 183. verf. 22. l. Hunc.
p. 197. verf. 22. l. faccis noftris.
p. 209. verf. 29. l. juffit.
p. 215. lin. 2. l. venerentur.
p. 216. Cap. XLIX. lin. 2. l. allocutus eft.
p. 242. Cap. V. lin. 1. l. adeunt. lin. 3. l. dimittat. lin. 9. l. concedat.
p. 271. lin. 3. l. nafcatur.
p. 352. in nota lin. 11. poft, fic, adde, legem.
p. 401. in nota *d*) lin. 3. l. tamen.
p. 467. in nota lin. ult. l. cenfu.
p. 486. lin. 5. l. erit.
p. 504. lin. 2. dele, non.
p. 538. in nota lin. 4. poft, hujus, adde, loci.
p. 563. in nota *b*) lin. 1. poft, loco, adde, non.
p. 608. in nota *f*) lin. 2. l. et 13. 14.
p. 640. in nota *b*) lin. 7. l. attinet.
p. 642. lin. 3. addatur uncinus) fignum finis parenthefeos.